M

LECTIONES AVREAE

In quattuor libros Mag. ſentent.

In quibus, & Magiſtri littera accurate explicatur, & quæſtiones omnes, quæ a ſcholaſticis tractari ſolent, ſubtiliter examinantur.

Tomus Quartus.

Auctore R. P. M. Ioanne Paulo Pallanteriò a Caſtro Bononienſi Min. Con. S. Theologiae Doctore.

Opus omnibus Scholaſticis, Theologiæque ſtudioſis, apprime vtile, & neceſſarium.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



VENETIIS, MDXCIX.

Apud Ioannem Guerilium.

B

LECTIONVM
DISTINCTIONVM

INDEX LECTIONVM, DISTINCTIONVM, ET QVAESTIONVM LIBRI QVARTI.

 exerci

Lectio

Lectio

Lectio

Lectio

gentiam

Lectio

Tria

FINIS.

FRATRIS IO. PAVLI PALANTERII

A Castro Bononien. Sacræ Theologiæ Doctoris.

LECTIONES IN QVARTVM LIBRVM MAGISTRI SENTENTIARVM.

SAMARITANVS ENIM, &c. TEX. Distinctio 1. Lectio prima.

NODATVRVS *librum quartum Magistri sent. ne confusio aliqua sit apud nostrũ intellectum, ea quæ animaduersione digna videntur, silentio inuoluam minimè. Quare primo perpendam huius libri cum superioribus continuationẽ, insuper inscriptionem, deniq; diuisionem. Quãtum ad primum. ex quo Magister in præcedentibus libris determinauit de rebus: consequenter in hoc quarto de signis sacramentalibus verba facturus. Quantum ad secundum, inscriptio libri, siue titulus intuenti patet, est enim Petri Lombardi Episcopi Parisiensis M. sententiarũ. Ex qua inscriptione genera causarum quatuor colligenda, efficientis, materialis, formalis, & finalis: causa efficiens, vt norunt docti, duplex*

est, principalis, vt Deus, minus vero principalis, siue instrumentalis, Magister sent. causa materialis, sacramenta ipsa: causa formalis modus procedendi diuisiuus, & diffinitiuus: causa finalis conseruatio humani generis: His duobus tertium nectitur ad libri diuisionem pertinens; diuidi enim potest liber iste in secta duo principalia: in Prohemium, & tractatum: in Prohemio ponitur intentio, & intentionis ratio: circa quod, tractatum dimittentes in sequentem lectionem, versaturi: ab illa exordiemur Parabola, quæ Lucæ x. habetur in figura: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiã despoliauerunt eũ, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. In quo verbo sex mala tanguntur, quæ facit peccatum; primo enim à Regno cœlesti separat, ibi, Homo quidã &c. scilicet Adam, vel genus humanũ descendebat videlicet per culpam, vel quia ascenderat per superbiam, ideo descendebat per pœnam, & miseriam à Hierusalem, quæ secundum Aug. contra Pelagium interpretatur visio pacis, nam antequã peccaret, in visione pacis erat: hoc est in Paradiso; descendebat ergo à visione triplicis pacis: scilicet à Deo per inobedientiam: à se ipso per innocentiam: à toto mundo per prędominationem; secundo peccatum captiuat sub defectu pręsenti: ibi, in Hierico: Nam Hierico secundum Aug. luna interpretatur: & nostram significat mortalitatem: per hoc, quod sicut luna nascitur, crescit, senescit, occidit, sic vita nostra: descendit ergo in Hierico inquantum defectũ pacis incurrit, nam factus est inobediens Deo: & corpus eius spiritui, & creaturę inferiores ipsi toti generi humano: vnde in miserias, & vitæ defectus incurrit: tertio peccatum mortale subiugat diabolicæ

potestati;

potestati; ibi, & incidit in latrones. Ambr. ibidem: Qui sunt isti latrones, nisi Angeli noctis, & tenebrarum, in quos non incidisset, nisi eis deuius mandati cælestis se obnoxium fecisset: incidit ergo in latrones, idest in dæmonum potestates: qui clam bonis alienis insidiantur: & rectè dicitur, quòd incidit in latrones, quia spontè se ipsum eorum tradidit potestati. quarto mortale peccatum gratuitis spoliat; ibi, qui etiam despoliauerunt eum. vbi Aug. de quæstionibus noui, & veteris testamenti sic ait: vel secundum Ambr. qui scilicet Dæmones expoliauerunt eum, gratiæ indumenta, & innocentiæ auferendo. Iob. xix. sic ait: spoliauerunt me gloria mea. & gen. iii. post peccatum cognouerunt se esse nudos. quinto peccatum vulnerat in naturalibus; ibi: & plagis impositis, idest naturalibus vulneratis per peccatum: vnde Psal. non est sanitas in carne mea: & subdit plagis impositis secundum Aug. idest peccata suadendo. Beda, peccata dicuntur plagæ, quia his naturæ humanæ integritas violatur. sexto mortale peccatum in operibus mortificat meritorijs; ibi, semiuiuo relicto: quia ex parte, qua homo Deum potest intelligere, & cognoscere, viuus est secundum Aug. in quæstionibus Euangelij: ex parte verò, qua peccatis contabescit, & premitur, mortuus est. insuper abierunt: Beda ait: Non ab insidijs cessando, sed insidiarum fraudes in eis occultando: à quibus omnibus defectibus vt genus humanum curaretur: Samaritanus, idest animarum nostrarum custos Christus homini sauciato idest generi humano per originale peccatum appropinquans per suam incarnationem, sacramentalem medicinam adhibuit, idest sacramenta instituit: quæ vt odorifera Deum placare valent: & vt salutifera ægroti infirmi-

tatem curare: unde ſicut mundus ſenſibilis recipit influentiam à corporibus cęleſtibus, maximè autem à ſeptem ſtellis, quæ planetæ dicuntur: ſic corpus Eccleſiæ militantis recipit influentiam vitæ Spiritualis à Chriſto mediantibus ſeptem ſacramentis: & merito ſtellis propter tria comparantur, habent enim ſtellæ claritatem in aſpectu; velocitatem in motu, & vim in effectu; ſic, & ſacramenta inſtituta ſunt propter noſtram eruditionem quo ad primum, propter noſtram exercitationem quo ad ſecundum, & propter noſtram iuſtificationem quo ad tertium, de quibus ſuo paulatim loco Deo duce verba faciemus.

QVID SIT SACRAMENTVM.
Lectio ſecunda.

DIcebamus hunc librum in duas poſſe ſecari partes: in quarum prima ponebatur Prohemium: in altera verò tractatus: iam declarata parte prohemiali, accedit executiua, quæ ſui prima diuiſione in duas poteſt vſurpari partes: in altera quarum ſit ſermo de ſacramentus in genere, in ſecunda verò de eiſdem in ſpecie: nos circa primã verſaturi, in pręſenti tria faciemus, primo varias ſacramenti rationes in medium adducemus: inſuper de multiplici ſignificatione ſigni in gratiam ſacramenti verba faciemus: tertio ex dictis perfectam colligemus ſacramenti finitionem. Quantũ attinet ad primum: Sacramẽtum ſic ab Auguſtino diffinitur Sacramentum eſt, per quòd ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretius ſalutem operatur: & qđ ibi ſalutem ſecretius

operatur, verum est per se, vt ait Pet. de Palud. licet per accidens in ponente obicem impediatur. Hanc diffinitionem sic ponit Cortesius. Sacramentum est, in quo sub operculo rerum spectabilium à diuinitate incolumitas nostra iuuetur. ab Hugone de sancto Victore sic finitur, Sacramẽtum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repręsentans, ex sanctificatione aliquam inuisibilem gratiam conferens. à D. Thoma sic. Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis: quæ diffinitiones si rectè intelligantur, variatis verbis eandem præ se ferunt sententiam: licet vna obscurius innuat, altera verò clarius exprimat. à Magisto sent. sacramentum primo quo ad quid nominis sic describitur. Sacramẽtum est sacræ rei signum: potest etiam sumi sacramentum pro re significata, quo modo consueuimus dicere: magnum sanctissimæ Trinitatis fore sacramentum: quibus duobus modis hic nõ intendimus loqui: nam si primo modo: tunc serpens ęneus, & crux, quæ in Ecclesia ponuntur, & aqua benedicta, & similia viderentur sacramenta, cum res sacras significent: verum quia non sunt ad hoc, vt causent gratiam, instituta, propterea nec sacramẽta dicenda; serpens enim erectus fuit, vt inspicientes corporaliter sanarentur: & crux in Ecclesia vt Christi passionem imitemur: Aqua verò benedicta instituta est ad abigendos Dęmones, morbosquè pellendos. De sacramento igitur hic fiat sermo secundum quòd est signum, & finiatur in hunc modum. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, scilicet in se, vel habens annexum visible, vel sensibile. At quia de signo in pręsenti est facta mentio, iccirco ne laboremus in ęquiuoco, quid sit signum quęso dicamus: nam vocat

Magister

Magister illud signum, quod preter speciem, quam sensibus ingerit nostris, ex se aliud facit, scilicet in cognitionē venire. Hic tamen notetis, diuidi posse in duo: nam datur naturale signum naturaliter significans, vt fumus respectu ignis: quoddam verò datur ex institutione repræsentans, & tale sacramentum dicitur: rursus signorum datorum quoddam non gerit sui signati similitudinem, quoddam verò rei, cuius est signum, gerit similitudinem, & tale sacramentum est: insuper signum gerens sui signati similitudinem, quoddam signum est tantum: quoddam verò est signum, & causa: & tale sacramentum est. Ex quibus tertiò colligi potest sacramēti perfecta diffinitio, scilicet inuisibilis gratiæ visibilis forma, ita vt imaginem gerat, & causa existat. hinc habetur, sacramenta veteris legis, quæ solum significabant, nec esse, nec propriè sacramenta dici debere. Pro vberiori tamen doctrina eorum, quæ tacta fuere in hac nouissima parte, ad sacramentum vt sit tale, tria requiri velim vos scire. Primum quòd sit res sensibilis, naturalē habens similitudinem ad gratiam, siue effectum Dei gratuitum, quam, vel quem repræsentat: Naturalem inquam similitudinem non per participationem eiusdem qualitatis, sic enim sensibilia spiritualibus minimè similia: sed similitudinem illam, quæ est proportionatorum. V. g. vt se habet aqua ad maculas corporales abluendas, ita gratia ad abluendas maculas spirituales: & hęc similitudo est bene corporalium ad res spirituales: secundū quòd requiritur, est, quòd actualiter sit à Deo institutum. Nam solus ille potuit instituere sacramenta, qui potuit suo signo dare sanctificationis certitudinem, & efficatiam: hanc autem solus Deus potest, qui gratiam solus infundere, nec non gratuitum

tuitum

tuitum effectum causare. tertium quòd requiritur, est, quòd sit signum efficax, & certum: quòd semper suum habeat effectum, quem signat infallibiliter, nisi sit impedimentum in suscipiente per positionem obicis gratiæ repugnantis: quæ tria intelligenda in diffinitionibus allatis: primum innuitur in finitione Aug. in hoc quòd dicitur rerum visibilium: & in illa Magistri: visibilis forma, idest similitudo; ideo additur, vt imaginem gerat, vbi imago pro similitudine ponitur: vt causa existat: vbi tangitur sacramenti efficatia: non quòd sit causa efficiens, non materialis, non formalis, non finalis: sed causa continens, atque disponens: continens, quia licet gratia sit à solo Deo tanquam auctore: causa tamen in sacramentis confertur tanquam in vasis gratiæ: disponens causa similiter est: quia sacramenta disponunt ad ablationem peccati, & gratiæ infusionem, & accipitur visibile ibi generaliter pro sensibili, vt vult Ricardus: & hoc propter dignitatem, nam inter quinque sensus, visus est excellentior: & hęc de pollicitis: in sequenti secundum Scotum de sacramento verba faciemus.

QVID SIT SACRAMENTVM.

Lectio tertia.

S*Vbtilissimus Doctor prędictas sacramenti diffinitiones ad vnam reducere videtur, quæ talis, sacramētum proprijssime acceptum, est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris: quæ Scoti diffinitio cōpletior apparet, & magis*

magis circunstantionata, ad signorum differentiam, quæ non sunt sacramenta: vbi sensibile accipitur pro visibili, aut audibili. Insuper dicitur gratiæ inuisibilis: vbi gratia denotat gratiam gratum facientem, & hoc in anima suscipientis sacramentum: vel effectum Dei gratuitum propter Eucharistiæ sacramentum, quòd gratiam non significat gratum facientem, quæ est quędam accidentalis forma, sed bene significat corpus Christi verum sub speciebus contentum, quòd effectus gratuitus dicitur, quia ex gratuita voluntate procedens; & dicitur effectus, non quòd de nouo fiat, siue esse accipiat, at quia fit de nouo pręsens illis speciebus per transubstantiationem panis in ipsum. Additur deinde, ex institutione diuina, per quòd excluduntur signa pure naturalia, vt lotio balnei, & aqua benedicta, quæ non est sacramentum: quia non à Deo, sed ab Ecclesia instituta: prętcrea dicitur efficaciter significans, qđ includit certitudinaliter, propter signa ęquiuoca, siue dubia, vt sacramenta veteris legis quæ, quia gratiam non conferebant (saltem ex opere operato) iccirco sacramenta non fuerunt. Per idem excluduntur petra deserti, agnus Paschalis, virga Aaron: quæ quia gratiam, siue effectum gratuitum, non conferebant, ideo sacramenta minime appellanda, licet rerum sacrarum repręsentatiua. Quòd additur ordinatum ad salutem hominis viatoris, nil excludit, vel includit, at finem sacramentorum ostendit. Hęc ad aures subtilissimi Doctoris. Accedit modo opinio secundũ Occan de sacramento: vir enim iste sic ait. Sacramentum est signum significans efficaciter effectum Dei gratuitum. sunt autem tres conditiones signi efficacis secundum Scotum: videlicet quòd sit signum practicum, idest habens aliquam

causalitatem

causalitatem respectu signi. secunda quòd sit signum certum certitudine, vt in pluribus, idest semper, dum non ponitur impedimentum ex parte suscipientis. Tertia quòd sit naturaliter prius effectu signato vnde, vt sentit Sanctus Bonauentura, Rilardus, Scotus, & Occam: Deus constituit sacramenta sensibilia, tanquam signa certa gratiæ, quam Deus ex pacto producit in anima suscipientis sacramentum (nisi ponatur obex) Hinc sacramenta gratiam continere dicuntur, quia significant gratiam, non quia formaliter, sed virtualiter, & non nisi causa suum effectum. quare ex propria natura causæ gratiæ sacramenta eis in prima rerum conditione tradita non sunt. Nam ante institutionem nullam habebant efficaciam: sunt tamen causæ sine qua non, quia sunt causæ effectus sacramentalis, & non causæ naturales, siue ex propria natura, vt Gabr. dicit. Possunt quoque dici ex voluntaria institutione diuina id totum, qđ habent, retinere: nā sine eis non dicitur causari sacramentalis effectus, at eis positis sic. sunt igitur causæ sine qua nō: & quamuis Deus suā non alligauerit sacramentis potentiam, cū valeat hominē, sine sacramētis saluare de potentia sua absoluta, non id tamen de ordinaria facit: & ideo hominē saluari p sacramēta sic ordinauit. In proximo futuro nostro sermone ad alia festinabimus, hęc in tantū, sint dicta.

DE CAVSA INSTITVTIONIS SACRAMENTORVM.

Lectio Quarta.

I*AM patet satis abunde, diffinitio sacramenti: consequenter in pręsenti sermone de quatuor loquendum; de sacramentorū pro-*

mulgatione primo: de notando vno secundo: de eorundem sacramentorum integritate tertio: demum quo modo medicinæ sacramenta dicenda speculandum quarto: Quo ad primum: sacramenta vt per belle innuit Magister sent. in litera dicuntur fuisse instituta triplici de causa: prima quidem fuit hominis humiliatio, qui per sacramenta corporalibus rebus, quæ natura infrà ipsum sunt, subditur: volens itaque Deus hominem humiliari, ac sibi subijci, hinc sacramenta sub sensibilibus rebus instituit: quæ licet homine ipso inferiores, effectum nihilominus diuinum, vt puta Dei gratiam continent. Insuper promulgata sunt ad eruditionem; homo etenim de inuisibilibus per ea docetur, ac instruitur: tertio ad exercitium, vt scilicet ociositas, & occupatio noxia vitentur. Verum quia hic factus est sermo de exercitationibus, propterea velim sciatis: ad tria posse referri: nam quædam ad bonum animæ ordinantur, & sunt virtutes Teologicæ, quibus humana mens vnitur Deo: quædam verò aliæ ad bonum corporis, vt artes mechanicæ: demum quędam aliæ ad subuersionem vtriusque, vt artes Magicæ. Enodata iam priam parte, vbi erat sermo de sacramentorum promulgatione, nec non de causa triplici institutionis: Accedit altera perbreuis notando contenta: quòd est tale: Quamuis Deus instituit sacramenta, potuit tamen sine illis hominẽ de potentia absoluta saluare: sed voluit ex dictis causis sacramenta instituere: hinc tertio tangitur loco integritas sacramentorum, quæ duobus consistunt, scilicet rebus, & verbis: quas sanctus Aug. nominat elementum, & verbum: Accedit inquit verbum ad elementum, & fit sacramentum, in homine scilicet. Per rem, siue elementum intelligitur res, siue actus aliquis

sensibilis,

sensibilis, ut confirmatio, unctio, calicis traditio, &c. quæ cum verbis dant effectum sacramentalem. Per verbum autem, oratio prolata ore ministrantis sacramentum. elementum, siue res, ut latius patebit inferius, materia dicitur; & verba forma dicuntur. His quarto addenda venit loco, quo modo sacramenta medicinæ, & remedia contra morbos dicuntur spirituales, ut Gabr. scribit. dicuntur etiam adiutoria animæ ipsam perficientia in spirituali vita: nam conferunt gratiam, quæ vita animæ dicitur. Sunt etiam remedia contra septem vitia capitalia: nam Baptismus contra superbiam: Eucharistia contra inuidiam: confirmatio contra Accidiam: extrema unctio contra iram: ordo contra auaritiam: pœnitentia contra gulam: & matrimonium contra luxuriam. Prĕter hĕc notandum: sacramentorum quĕdam esse homini lapso tradita, ut curatiua: & ecce baptismus, pĕnitentia, & extrema unctio; quĕdam verò prĕseruatiua, ut confirmatio, Eucharistia, Matrimonium, & ordo. Ipsa ergo sunt medicinæ, & vasa medicinalia: unde Deus est medicus, homo ĕgrotus, sacerdos minister, vel nuntius, gratia effectus. Insuper medicus donat, minister dispensat, vas seruat, quæ sanat percipientē ĕgrotum, spiritualem gratiā. Ipsa ergo sacramēta medicinæ, & vasa gratiæ. Et hĕc pro prĕsenti lectione.

DE DIFFERENTIA SACRAMENTORVM Lectio Quinta.

AGebamus in proxima prĕterita lectione nostra de sacramentorum promulgatione: post quam consequenter, Nunc agen-

dum de differentia sacramentorum nouæ legis, & veteris. Diuidatur itaque presens sermo in secta tria: in quorum primo discrimen ponetur inter sacramenta nouæ legis, & veteris: in altero propositio: in tertio, & vltimo dubium cum solutione. Pro intellectu secti primi est sciendum: in duplici discrimine sacramenta fuisse: quędam enim appellabantur veteris legis: & quędam alia nouæ legis: quo stante, difficile minimæ erit videre, quo modo differant inter se: nam illa veteris legis significabant, & promittebant tantum: at nouæ legis sacramenta significant, promittunt, & causant; ecce differentia prima. Altera differentia est timor, & amor, quia veteres sua sacramenta timore adimplebant, nos verò Euangelica sacramenta ex amore: & ad literam datio veteris legis tota fuit in timore, & fumo, & alijs terribilitatibus: at noua lex tota in benignitate, & gratia, secundum Gersonem de sacramentis; nec non ad Aug. mentem. Hugo verò victorius inter sacramenta nouæ legis, & sacramenta veteris legis triplicem differentiam ponit. Prima est: quòd nostra sacramenta sunt signa gratiæ: at illa non sic immediate sunt gratiæ signa, vt nostra: altera differentia est, quòd nostra sacramenta sunt signa, & causæ, illa verò signa tantum. tertia differentia est, quòd illa veteris legis gratiam tantum promittunt, quam non continent: at nostra dant gratiam, quam continent: & hęc de puncto primo. In altero ponitur hęc propositio. Inter sacramenta veteris legis circuncisio sola originalem culpam delebat, sed regni cęlestis ianuam non aperiebat: vnde Aug. ait: Ex quo instituta est circuncisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculũ iustitiæ, fidei, ad purgationem valebat magnis, & paruulis originalis, veterisque

terisque peccati: sicut baptismus ex illo valere cępit ad innouationem hominis, ex quo institutus fuit. hoc idem Beda dicit; excepto quod regni cęlestis ianuam non intrabant: sed in sinu Abrahę post mortem requie beata consolati, supernę pacis ingressum spe felici expectabant. His igitur apertè traditur, circuncisionem institutā fuisse ad culpam originalem tollendam: Et hęc profectò secundo. in tertio dubium proponitur, illudq; e medio tollitur. Quęritur ergo quodnam viri remedium habebant contra peccatum ante circuncisionem, & fęminę ante, & post? dubio sub his verbis proposito, quid respondendum sit, audite. Qui enim de stirpe Abrahę descenderunt, per circuncisionem iustificabantur: qui verò ante circuncisionem paruuli fuerunt, dicebantur in fide parentum iustificari. parentes autem sacrificiorum virtute, & mulieres ante circuncisionem, & post, per fidem, & bonā operationem: per suam, si erant adultę: vel per fidem parentum, si paruulę. vnde beatus Greg. ait: quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel ꝓ maioribus sacrificij virtus, vel ꝓ his, qui ex Abrahę stirpe prodierunt, mysterium circuncisionis. Et hęc satis.

DE INSTITVTIONE, ET CAVSA CIRCVNCISIONIS.

Lectio sexta.

VT extremam imponamus manum huic primę distinctioni, hodierna die de circuncisionis institutione verba faciemus, septem per ordinem considerantes. cui sit data circuncisio primo: Insuper, cur data: tertio, in qua parte fiebat: quarto,

quarto, quo tempore: quinto, quid sit: sexto, cur mutata in baptismum: septimo, dubium cum solutione. Quantum ad primum: dicimus Abraæ primo, & semini eius datam fuisse circuncisionem à Deo propter tria: propter obedientiam primo: propter fidei signũ secundo: & ad distinctionem tertio. Abraam ergo primus circuncisionis mandatum habuit ad obedientiæ probationem: nec ei soli fuit precepta circuncisio, sed & semini eius, idest omnibus hebreis: & hoc, vt per mandati obedientiam, Deo Abraam placeret, cui per preuaricationem Adam displicuerat. Insuper in signum magnæ fidei circuncisio illi data fuit, qui filium credidit se habiturum, in quo fieret benedictio omnium. tertio ad distinctionem, vt scilicet hoc signo à ceteris nationibus distingueretur ille populus: Et hec de sectis duobus: in quorum primo, à quo instituta sit circuncisio, dictum fuit; in altero verò, cur data; Accedit tertium, vbi videndum, qua in parte fieret: nam, vt videre est, fiebat in illa parte preputij duplici de causa: Prima est: quia concupiscentia, per quam originale peccatum à parentibus contrahitur, in cuius remediũ instituta fuit circuncisio, in illa parte magis dominatur, vigetq; carnis sęuities: altera causa est: vt in illa homo signum obedientiæ acciperet, in qua primus homo culpam inobedientiæ sensit. Nunc quo tẽpore, & quo instrumento fieret, quarto loco dicamus: Octauo enim die, & lapideo cultello, ad designandũ duo, fiebat: primo Resurrectionem carnis communem in octaua ętate fiendam per petram, idest, per Christum, in quo omnis corruptio ab electis tolletur. Secundo, octaua die facta est: per quam, anima cuiuslibet in ipsum credentis circunciditur à peccatis. His quinto quòd quid est

circuncisionis

circuncisionis addendum: Nam Damascenus sic ait: Circuncisio est signum determinans Israel à gentibus, cum quibus conuersebantur. aliter describitur circuncisio, dum dicitur: quòd est signaculũ curationis ab originali, vel sic: circuncisio est abscisio superfluitatis concupiscentiæ. Ex quibus colligi potest sufficiens circuncisionis descriptio, quæ talis: circuncisio est signaculum efficax curationis ab originali, permanens in carne, institutũ à Deo, determinans Israel à gentibus. Hinc excluduntur sacrificia legis naturæ, quia non erant permanentia in carne: excluduntur, & alia signa, quæ non sunt curationis signa, ab originali: vti illa, quæ Indi habent signa adustionis faciei, quibus ab alijs distinguuntur. Insuper excluduntur oblationes, expiationes, & sacrificia legis Mosaycæ, quæ licet distinguerent, non tamen ab originali curabant, nec permanentia in carne erant. At dicetis: circuncisio competebat ne ipsi Christo? ad hoc dici potest, quòd sic: propter multas causas: primo, vt se alijs conformaret: secundo, vt nos à iugo legis liberaret: tertio, vt in nobis spiritualem circuncisionem efficeret: quarto, vt ostenderet, neminem esse dignũ diuinis conspectibus, nisi circuncisum à vitijs. quinto, vt nobis suo exemplo obedientiæ virtutem ostenderet. sexto, vt suæ carnis veritatem manifestaret contra maledictũ manicheũ, qui dixit eum corpus habuisse fantasticum. septimo, vt confunderetur Apollinaris, qui dixit Christi corpus consubstantiale diuinitati. octauo, vt error cognosceretur Valentini dicentis, Christum corpus de cęlo attulisse. Nono, vt circuncisionem approbaret. decimo, vt doceret se de genere Abraæ esse. vltimo, vt à Iudeis excusationem auferret, si eum nõ reciperent, dum esset incircuncisus. His

sexto

ſexto loco addenda venit ratio, cur ſit in baptiſmum mutata circunciſio. fuit ergo in baptiſmum mutata tanquam in communius, & perfectius: nam ibi licet culpa tolleretur originalis, non ob id ianua Regni aperiebatur cęleſtis. At hic, & culpa deletur, & porta cęli aperitur, nec non virtutum augumentum ad bonum operandum cõfertur. Hic notetis velim vnum in textu dictum fuiſſe à Magiſtrò ſent. in quo minimè tenetur: nam arbitratus eſt Vir iſte: quòd tunc dimitterentur peccata, licet gratia adiutrix non daretur: hoc ergo illud eſt, in quo non probatur Magiſter. Denique ſupereſt dubium proponendum, deinde erit finis. Dubitatur ergo quid ſentiendum ſit de paruulis, qui moriebãtur ſine circunciſione ante octauũ diem: An ſaluabãtur? Magiſter in ſua reſponſione minimè tenetur, partem enim negatiuam tuetur. Hugo, quem ſequitur Alex. parte iiii. q. vii. dicit: qđ paruuli, qui moriebãtur ante octauum diem, ſaluati fuerunt in fide parentum cum oblationibus, & ſacrificijs: vel poterat tempus ante mortem inſtante ſuſpicione anticipari: nam octaua dies fuit de neceſſitate pręcepti, & non de neceſſitate ſacramenti.

AN BENE FINITVM SIT SACRAMENTVM.

Lectio ſeptima.

P*Ercurrere volẽtes hodierna die prędeclaratã diſtinctionem, quatuor faciemus: nam primo docebimus, non bene finitum fuiſſe ſacramentum in genere. inſuper, quòd minimè ſit de ſigni genere. tertio, quòd non illa recte fuerit particula*

appoſita,

apposita, visibilis forma. demum, nec illa de similitudine: vt scilicet ipsius similitudinem gerat, & causa existat. quantum attinet ad primum: authoritate Aristotelis septimo diuinorum sic arguitur: ratio finitiua non dicitur esse, nisi illius, quòd est per se vnum: at sacramentum non sic se habet, quia plura concurrunt, vt res, & signum: igitur male Magister se gessit in diffinitione sacramenti. Preterea: vnius rei vna diffinitio: at hic plures sunt datæ: quare, &c. insuper, quòd non cadat sub genere signi, secundo loco doceo: imagiues etenim Christi crucifixi, beatæ Virginis, & Sanctorum aliorum rei sacræ signa dicuntur, & tamen sacramenta non sunt: sub genere igitur signi non dicitur cadere diffinitio sacramenti. His accedit: quòd sacramentum à sacrando dicitur: ergo potius de genere efficientis, quam signi. tertio contra illam particulam visibilis forma, si forma, vel illa, quæ compositi pars est., vel exemplaris: at neutrum horum: igitur. nec debet dici, quòd merito sit altera particula apposita visibilis: quia Eucharistiæ sacramentum est verum sacramentum, nec ob id visibilis forma dicitur: quare, &c. quarto, & vltimo, cum sacramentum sit res corporalis: gratia verò spiritualis, inter quæ non similitudo aliqua existit: quo modo dixit Magister sent. vt ipsius similitudinem gerat, &c. multo plura circa presentem materiam forent dicenda, at hic pedem figam. Pro dilucidatione tamen premissorum, hec supponenda: primo quòd diffiniendum sit ens positiuum: insuper, quòd sit per se vnum: preterea, quòd ens reale: quibus positis, quid ad formatas rationes dicendum, audite. Pro intellectu enim primæ, distinguo de sacramento: quòd duobus concipi habet modis; vel pro materiali, vel pro formali: si

primo modo, conceditur ratio: si alio modo, negatur: nam quantum ad suam formalem significationem per se vnum dicitur esse sacramentum: altera ratio erat; vnius rei debet esse vnica definitio, &c. vno modo considerata verum est: aliter non: vel sic: vnius rei debet esse vnica ratio finitiua completa: non ob id inconuenit, quin plures descriptiuæ rationes assignari possint, vt in proposito fuit factum. Ad alias verò rationes per ordinem formatas de facili est respondere: nam prima de imagine Christi, & sanctorum, quæ signa dicuntur, potest concedi quo ad significare, sed non quo ad mederi: quia talia signa non sunt adhibita, vt medicamenta curationis spiritualis, vti sacramenta ex institutione diuina ad curationem spiritualem ordinata; sub quo sensu finitum fuit à Magistro Sent. sacramentum in textu. Altera ratio, qua dicebatur, quòd sacramentum à sacrando dicitur: ergo potius sub genere causæ efficientis, quam signi ponendum: Respondetur: sacramentum quidē à sacrando dici: quia ex lege diuina ad gratiam presupponitur: at non efficienter, siue effectiue. Ad illud autem argumentum de forma adductum paucis dicendum: formam tripliciter sumi posse: vno modo pro forma partis: secundo pro exemplari signo: tertio pro forma totius: nos hic sumimus formam secundo modo; sic ruit aduersarij ratio. Ad illam verò de visibili, dicitur: quòd ibi sumebatur visibile, pro signo sensibili, siue auditus, &c. denique formabatur argumentū contra illam particulam: vt ipsius similitudinem gerat, &c. vbi vnum erat corporale, vt sacramentum; alterum spirituale, vt gratia; quare nulla similitudo. Ad hoc dicatis: duplicem similitudinem dari: proportionis, & proportionalitatis: si primo

modo,

modo, habet concedi, quòd inter sacramentum, & gratiam, nulla extet similitudo: at secundo modo, sic. vt enim aqua sordes carnis abluit: ita, & gratia animæ maculas, & hęc pro pręsenti satis.

AN NECESSARIA SINT SACRAMENTA. Lectio octaua.

INtellexistis ex Magistro sent. sacramenta à Deo instituta, & propter quid. Nunc pro maiori intelligentia eorum, duo adhuc alia quęrenda: & primo. Num necessaria. insuper; An debuerint institui propter causas adductas. Circa primũ ratiocinantur quidam in hunc modum. Sacramenta dicuntur sacrorum futurorum signa: at veniente veritate, tunc cessat figura: ecce Christus veritas iam venit: igitur talia signa cessare debuerunt: non itaque nouæ legis. sacramenta necessaria. Pręterea: si fuerunt instituta in sanitatis remedium, hoc videtur factum in cassum, quia per alia media, quàm per sacramenta, homo sanari potest: ergo minor patet per Aristotelem Ethicorum secundo, virtutem sanitati comparantem: per virtutem igitur homo sanari poterit; propterea sacramenta non necessaria: quòd etenim fieri potest per pauciora, non debet fieri per plura: quare sacramenta non videntur necessaria. Demũ per generalem Regulam sic arguitur: cõtraria contrarijs curantur: at homo peccando, se rebus naturalibus subiugauerat: ideo non videtur: quòd debuerit sanari per subiugationem rerũ materialium: sacramenta itaque non necessaria. Ex alio latere, quia oẽs Theologi in oppositum se habent, tenentes necessaria esse sacramenta: iccirco,

pro determinatione huius dubij primi, pręmittenda erit distinctio necessitatis: duplex enim est, pro pręsenti: vna absolute sumpta, vt ista, Deus est: altera ex suppositione finis. primo modo non intendimus absoluta necessitate sacramenta necessaria; quoniam sine his homo à Deo potuit sanari: secunda itaque necessitate scilicet finis, sacramenta necessaria. His ita positis, ad argumenta soluenda accedendum modo est: Et ad primum dicendum: Sacramenta non debuisse cessare, quia figura sunt status patriæ, ad quam ordinant nos hęc, vt spirituales medicinæ. Ad secundum de virtutibus dicitur: hominem sanari quidem posse corporaliter per virtutem: at spiritualiter per sacramenta. Ad tertium respondetur: quòd hominis corruptio facta fuit viliter se subdendo sensibilibus rebus: hinc per suum dicitur sanari contrarium, vtputa per res ipsas sensibiles, se subdendo propter Dei reuerentiam, & humiliando se: quibus modis fit conuenienter reparatio virtutis, nec videtur illud obstare, quòd solet ab aduersarijs adduci. V. g. idem varios non posse producere effectus: quòd habet intelligi eodem, modo consideratũ: at si diuersimode, vt fit in proposito, totum continget oppositum. Et hęc de primo quęsito. Subsequitur alterum trahens originem ex verbis Magistri sent. qui dicebat: sacramenta primo ad eruditionem instituta: insuper ad exercitationem; probo ego totum oppositum. illud quòd est erroris causa, nõ dicitur esse causa eruditionis: at tradere, siue ordinare spiritualia sub corporalibus signis, causa videtur erroris, igitur sacramenta non possunt dici fuisse instituta propter eorditionem; neque propter exercitationem. nam habet Apost. 1. ad Thim. 6. quòd corporalis exercitatio ad modicum

vtilis

vtilis est: at in sacramentis exercitatio corporalis est vt patet: non igitur propter exercitationem instituta fuerunt sacramenta. In oppositum se habet Magister in textu: iccirco argumenta diluenda: deinde erit finis huius secundæ quęstionis. Dum ergo dicebatur in argumento primo spiritualia sub corporalibus ordinari, causa erroris dicitur esse: concedo hoc: si ibi figatur pes, & hominis cognitio requiescat in illis: at ex huiusmodi si eleuetur mens humani intellectus ad spiritualia: tunc talis modus neutiquam causa erroris esse dicetur. Ad illud verò de exercitatione, desumptum ex Apostoli verbis, paucis dicendum: quòd exercitatio mere corporalis ad modicum sit vtilis: at si ei pietas addatur, & adiungatur, vti fit in sacramentis ad Religionis pietatem pertinentibus: tunc dicendum: quòd talis exercitatio sit valde vtilis: quo modo Magister in textu loquebatur; & hęc pro pręsenti nostro sermone dicta sint satis.

AN CIRCVNCISIO CONFEREBAT GRATIAM.

Lectio nona.

PRiusquam ad nouæ legis sacramenta accedamus, inutile erit minimè speculari: Num Circuncisio tunc temporis data gratiam conferret. mihi sanè videtur esse dicendum quòd non: nam paradisi ianuam non aperiebat: igitur nec gratiam conferebat: insuper significabat peccati ablationem: non ergo gratiam conferebat. pręterea: legis figuralis sacramentum dicebatur: non itaque gratiam conferebat: & ex consequenti originale peccatum

minimè

minimè tollebat. Ex alio latere, si circuncisio non delebat culpam originalem: cur ergo à Deo Abraæ, & semini eius data? Insuper cur beatus Gregorius in textu Magistri sent. dicebat: quòd apud nos valet aqua baptismi, hoc apud veteres sola fides pro paruulis, vel pro maioribus sacrificij virtus, vel pro his, qui ex Abraæ stirpe prodierunt mysterium circuncisionis? Ex his videtur colligi posse: circuncisionem tunc temporis gratiam contulisse. Pro determinatione igitur huius difficultatis velim, sciatis: circuncisionem, vt omnes Theologi fatentur, Abraæ, & semini eius in remedium culpæ originalis datam fuisse: si sic: ergo fatendum erit: quòd gratiam conferret circuncisio ipsa: Quapropter dimissis varijs circa materiam hanc opinionibus, ad rationes in contrarium formatas respondendum erit; deinde sermo noster claudetur. prima ratio sic se habebat: per circuncisionem cæli porta non aperiebatur: igitur nec gratia conferebatur: Ad hanc rationem velim dicatis: consequentiam esse nullam: nam hoc ex defectu circuncisionis datæ non prouenicbat, sed ex precio nondum soluto: quia Christus adhuc non fuerat passus: ruit ergo prima ratio. Altera erat: quòd circuncisio peccati ablationem significabat, non ergo gratiam conferebat: Respondetur: quòd, & significabat, & ex consequenti conferebat. Ad tertium dicentium: quòd circuncisio erat sacramentum legis figuralis: ergo solum figurabat, & non conferebat: Respondendũ: quòd, & figurabat, & conferebat gratiam, sed non tantum, quantam nunc tempore legis nouæ baptismus. Et hęc pro presenti pauca sufficiant:

DE

DE NOVAE LEGIS EXCELLENTIA.

Lectio X.

IN gratiam subsequentis distinctionis, mihi propositum est, de nouæ legis excellentia pertractare: quæ vt optimè norunt periti, quatuor scitu dignas habet conditiones: est enim lex charitatis: libertatis: facilitatis: & necessitatis. Quòd sit perfectæ charitatis, Apost. ad Collossen. iii. docet, dum dicit: quòd lex est vinculum perfectionis: super omnia ergo studendum est virtuti, quæ maior est omnibus, idest charitati; hęc enim vinculum perfectionis est: sine qua omnia euanescunt: & qua omnia ligantur, ne abeant. At dicetis: nobis videtur, quòd noua lex perfectæ charitatis non sit, sed vetus, vbi charitatis pręcepta dantur, vt leuit. habetur xix. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, & Deutero. vi. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Ad hoc dico: quòd Lex quidē vetus charitatis pręcepta dabat: sed non secundum perfectam charitatis, vel amoris rationem: nam duplex datur amor, scilicet debitus, & gratuitus, modo in veteri lege, vt debitus, amor pręcipiebatur: at in noua lege, scilicet Euangelij, pręcipitur amor, vt gratuitus. quid amor debitus, & quid gratuitus, audite. Nam amor ille beneficus, siue debitus, dicitur, quo Deum amamus, quia benefacit nobis: & talis in veteri lege pręcipiebatur; & ex beneficijs temporalibus generabatur. Alter amor gratuitus, & perfectus, quo Deus diligitur, quia summe bonus: & iste in noua lege pręcipitur: quare perfectæ charitatis. Secundo lex noua est perfectæ libertatis; ita dicitur Iaco. i. Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis:

quid facit, non faciat propter humanã gloriam, sed propter gloriam diuinam. quantum ad se ipsum hominis affectum regulat, vt non solum ab exterioribus operibus de se malis, verum etiam ab interioribus, & malorum occasionibus se abstineat. insuper quo ad affectũ hominis, & effectum ad proximum ordinare dicitur: ne illum temerè iudicet; iuxta illud Mathei vii. Nolite iudicare, &c. Rursus Leuit. xix. Non memor eris omnis iniuriæ proximi tui. luce itaque clarius apparet, nouæ legis necessitas. Et hęc satis.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS.
Distinctio 2.
Lectio XI.

VT animi mei vehementem applicationem ad hunc librũ quartum exponendum cognoscatis: hodierna die distinctionem secundam explanare aggrediar. quæ cum præcedenti in hunc modum habet continuari. Ex quo enim Magister in communi de sacramentis tam veteris, quam nouæ legis verba fecit: hinc accedit ad nouæ legis sacramenta; de quibus agere intendit. Distinctio hęc in tria secari potest puncta. in quorũ primo, Sacramentorum numerus ponitur. in altero, de coniugio in specie fit sermo. in tertio, & vltimo, de vtilitate baptismi Ioannis. Dimittentes nos vltimum punctum; circa duo prima versabimur duo facientes: primo enim docebimus sacramẽta nouæ legis esse septem. Insuper num ante peccatum fuerit institutum matrimonium. Quantum ad primum: Numero septenario nouæ legis sacramenta clau-

duntur. quorum primum, Baptiſmus: alterum, Confirmatio: tertium, panis benedictio, ideſt, Euchariſtia: quartum, Pęnitentia: quintum, Vnctio extrema: ſextũ Ordo: tandem Matrimonium. quorum ſufficientia, ex his, quæ in naturali vita inueniũntur, haberi poteſt: nam quemadmodum in vita naturali ſeptem, ita in ſpirituali ſeptem: ibi; primo eſt generatio: hic, regeneratio, quæ fit per Baptiſmum: nam regeneramur per Baptiſmum in fide Chriſti pręterea, in vita naturali inuenitur nutritio, cui correſpondet Euchariſtia; per quam ſpiritualiter nutrimur. tertio, in vita naturali datur corroboratio, cui correſpondet confirmatio. quarto, in vita naturali ſanitatis iam perditæ inuenitur reparatio, cui Pęnitentia correſpondet: veluti enim ſanitas corporis per medicinam reparatur: ita gratia per pęnitentiam recuperatur. pręterea: in vita naturali inuenitur pręparatio ad aliquid melius faciendũm, & perfectius exequendum, cui extrema Vnctio correſpondet. hęc autem quinque cuicunque ſingulari conueniunt perſonæ: alia verò ſubſequentia duo communitati, vt puta, Ordo, & Matrimonium: nam homo per ordinem ſacrum communitati miniſtrat, & inſeruit: verum quia aliud requiritur, vt conſeruatio, quæ haberi non poteſt ſine multiplicatioue: iccirco, huic Matrimonium dicitur correſpondere. & ita ſeptem ſunt ſacramenta nouæ legis, figurata in ſeptem ſignaculis, quibus pagina veteris teſtamenti ſigillata fuit. Item in ſeptem tubis, quibus Angeli cecinerunt. Rurſus in ſtellis ſeptem, quas ſimilis filio hominis in dextera ſua habebat. deinceps in ſeptem panibus, quibus turbam ſatiauit Dominus. quidam alij arbitrantur ſacramentorum numerum ſumendum fore ſecundum ſpiritualium

morborum

morborum consideratione. morbi sunt culpa originalis, quæ tollitur per Baptismum; actualis culpa, mortalis, per Pœnitentiam, venialis verò per extremam Vnctionem; ignorantia, difficultasq; discernendi inter bonum, & malum, remouetur per ordinem; quo datur clauis scientiæ ad discernendum. malitia, siue inclinatio ad malum in voluntate contra quòd datur Eucharistia, quæ mutat suscipientem in susceptum, incorporat, & vnit, & per hoc voluntatis inclinationem malam in bonam transformat. contra morbum, qui est infirmitas resistendi, & proficiendi in irascibili, cõfirmatio datur: quæ roborat ad confitendum nomen Christi in persecutione. contra concupiscentiam illecitorum in concupiscibili, Matrimonium datur, quo carnalis concupiscentiæ actus à crimine excusatur. solet insuper sacramentorum numerus sumi aliter, vt sunt adiutoria animæ perficientia ipsam in ordine ad vitam, secundum actus virtutum. Et ita accipitur numerus sacramentorum secundum numerum virtutum: trium Theologicalium, & quatuor Cardinalium. sic Baptismus respicit fidem; quare fidei dicitur sacramentum, quòd est ianua sacramentorum. extrema Vnctio respicit Spem, qua præparatur ad gloriam. ad actum verò charitatis adiuuat Eucharistia: ad actum Prudentiæ Ordo: ad actum fortitudinis, Confirmatio: ad actum Iustitiæ, Pœnitentia: tandem, ad actum Temperantiæ, Matrimonium. Et hęc de numero sacramentorum. quæ instituta fuerunt sub alio, & alio respectu. nã vt ait in textu Magister sent. quędam in remedium contra peccatum; quędam verò ad gratiam conferendam: qua in parte non tenetur Magister: videtur enim velle innuere: quòd non sint omnia ad gratiam conferendam, insti-

tuta à Christo. qui venire distulit, donec homo de insufficientia legis naturæ, & legis scriptæ conuinceretur: quibus iuuari poterat minimè. sed dicetis: cum in ipsis gratia consistat, & salus nostra; cur non statim post lapsum instituta? iam rationem vnam intellexistis; alterã modo accipite, quæ talis. non fuerunt instituta statim: quia à Christi passione, & morte vim suam sortita sunt. Et hęc de puncto primo. In altero subsequenti ponitur hęc propositio. Coniugium ante peccatum, siue in statu innocentiæ, ad generationis officiũ fuit institutum: at post peccatum in sacramentum, & in remedium contra carnalem concupiscentiam, de quo suo loco verba faciemus. hęc intantum.

NVNC VERO DE BAPTISMO. TEX. Lectio XII.

HAec est tertia pars pręsentis distinctionis enodanda à nobis: vbi Magister sent. quinque pollicetur. primo, quid foret Ioannis Baptismus. Insup, quo modo ab illo Christi differret. tertio, quam vtilitatẽ conferret. quarto, sub qua forma baptizaret. quinto, dubium cum solutione. Quantum ad primum: Ioannis Baptismus erat ablutio exterior: nam lauabat tantum exterius, & non interius; quia gratiam minimè conferebat. solum ergo pręparabat, siue disponebat homines ad Christi Baptismum: iccirco ipse dicebat; baptizo vos in aqua tantum, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, qui baptizat vos non in aqua tantũ, sed in spiritu, & veritate: igitur Ioannis Baptismus erat via,

&

& dispositio ad Penitentiam, nec non ad Christi Baptismũ. Hinc secundo patere potest differentia loco, inter Ioannis, & Christi Baptismum. nam ille Ioannis fiebat in aqua solum, & homines ad penitentiam preparabat: at Christi Baptismus in aqua, & spiritu Sancto; & in ipso peccatorum conferebatur remissio. At dicetis: nonne aliquam Ioannis Baptismus vtilitatem habebat? certè, vt intuenti verba Magistri patet, triplicem vtilitatẽ retinebat: quarum prima: quia ad Christi Baptismum preparabat: altera desumitur à nominatione: nam Ioannis Baptismus dictus est: eò quia nihil ibi gerebatur, quòd Ioannes non faceret. tertio, quantum ad genus vtilitatem prestabat: quia quodam modo Sacramentum dici poterat, inquantum Christi Baptismum significabat. inquantum verò fuerat institutum ad assuefaciendum ad Christi Baptismum, tunc sacramentale, non sacramentum nuncupandum. Insuper quatenus ad Christi nunciationem institutum, quia sic baptizando, Christi denotabat aduentum, nouæ legis fuit initium. Sub qua forma autem Ioannes baptizaret, nunc quarto loco dicendum: nam in nomine Christi venturi baptizabat: hinc, loco quinto dubitari solet: An baptizati à Ioanne, iterum forent baptizandi baptismo Christi. Magister distinguendo ait: quòd ponentes spem in baptismo Ioannis, & perfectam fidem de diuinis personis habentes, non iterum erant baptizandi, sed per manuum impositionem Apostolorum confirmandi. illi verò qui nec spem in Ioannis baptismo ponebant, nec diuinarum personarum fidem perfectam habebant, tales iterum baptizandi erant. qua in parte Magistri dictum non probatur, nec tenetur. nam baptizati Baptismo Ioannis, adhuc

Christi erant baptizandi: tum propter generale preceptum, quo omnes obligabantur ad Christi Baptismum: tum quia medicina preparatiua suscepta, superest curatiuam recipere medicinam. At quia Ioannis Baptismus preparatorius, & Christi curatiuus, hinc fit: quòd Ioannis Baptismo baptizati, adhuc Christi Baptismo essent baptizandi. Preterea: inducta dispositione nonne principalis forma inducenda restat? certè sic: at per Ioannis Baptismum fiebat dispositio ad Christi Baptismum: igitur ad gratiam recipiendam baptizati Baptismo Ioannis, iterum Baptismo Christi baptizandi. Et hec pro presenti.

AN SEPTEM SINT SACRAMENTA. Lectio XIII.

V*T magis nobis dilucida fiant dicta Magistri Sent. in presenti nostro sermone tria meditabimur. Sacramentorum nouæ legis numerum primo: à quo instituta sint secundo: preterea: num à Christi passione efficaciam sortita. circa primum de numero Sacramentorum, videtur, quòd Magister in textu non recte se gesserit, septem esse dicendo. nam vnum tantum mihi probatur: ergo non septem. antecedens clarum est: nam Eucharistiæ datur sacramentum, quòd totam continet gratiam, & gratiæ authorem: quare vnum, & nõ septem. deinde, Lex Euangelica suauis dicitur esse, sed Leuius vnum sacramentum est obseruare, quam plura: vnum ergo, & non septem. In oppositum se habet communis Sanctorum determinatio, quæ est: quòd numero*

claudantur septenario nouæ legis sacramenta. iccirco pro dilucidatione huius difficultatis primæ, ad rationes formatas respondendum: & primo ad primam concedendo, quòd Christus in sacramento Altaris contineatur totus, qui gratiæ author: non tamen ibi contineri dicitur gratiæ plenitudo, Sacramenti virtute, quo ad omnem effectū, sed solū quo ad cibationis effectum: quare sequitur minimè, cętera sacramenta superflua esse. ad alteram rationem dupliciter respondendum, & primo sic: quòd quamuis ad Patriam facilior in vno via foret sacramento, non tamen ita congrua, vt modo per septem sacramenta. vel dicatis: quòd licet sacramentorum multiplicatio onerosa appareat, considerando sacramenta in eo quòd signa tantum: non ob id onerosa in eo, quòd conferentia gratiam, quo modo Lex Christi suauior redditur, & non magis onerosa, vt videbatur concludere argumentum. septem ergo sunt sacramenta, iurè merito in textu à Magistro numerata, vt in hoc primo, paucis videre est verbis, puncto. A quo verò secundo, instituta audite: quia à Christo immediatè, vt verior opinio tenet: nam sacramentum intrantium, scilicet Baptismus, quando dixit: nisi quis renatus fuerit. & sacramentum redeuntium, scilicet Penitentia, quando dixit: nisi pęnitentiam egeritis: & sacramentum dignitatis, vt Eucharistia, ibi: nisi manducaueritis. de Baptismo similiter patet. Mat. vltimo. Euntes docete omnes gentes. de Confirmatione, dū paruulis manus imposuit. Mat. 19. & Io. vigesimo. Accipite spiritum Sanctum. vel Actuum secundo. Eucharistia prędicata est diffuse Io. 6. & instituta est in Cęna. Mat. 26. Pęnitentia promissa est. Mat. 16. tibi dabo claues regni Cęlorum, &c. Vnctio

extrema

extrema Mat. 6. cum Apostoli unxerunt infirmos, & sanabantur: quòd fecisse constat ex institutione Christi, & eius informatione, in cuius virtute sanabant. Matrimoniũ Mat. 19. & Mar. 10. vbi Christus approbat, & ratificat matrimonium, quòd à Deo institutum, cum ceteris ad salutem, & ad Ecclesiæ vtilitatẽ. Et hec de puncto secundo. In tertio meditandum: An à Christi passione vim suam habuerint: mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quòd non: quia à solo Deo: non igitur à Christi passione: insuper Arist. quinto Metaphysices ait: quòd causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt: hoc idem physic. secundo: sed Christi passio nunc non est in actu: igitur, &c. in oppositum se habent Theologi omnes, & veritas ipsa: quapropter quid ad formata dicendum sit argumenta audite: habet enim concedi: sacramẽta habere efficaciam à Deo principaliter: & à Christi passione meritoriè, idest, tanquam à causa meritoria: sic, primum ruit argumentum: ad secundum distinguo de duplici actu, exteriori, & interiori: primo modo currit ratio: at secundo modo nulla est: quia sic est in acceptatione diuina: & ita dicendum: quòd vim suam, habuerint sacramenta nouæ legis à Christi passione. Et hec pro presenti lectione.

AN IN PRIMO STATV FVISSET GENERATIO.

Lectio XIIII.

MAgister Sent. in textu vnum de coniugio tangebat, dicendo in officium in primo statu institutum: & quia vbi Matri-

Matrimonium, ibi videtur posse sequi generatio: iccirco primo querendum. An in statu innocentiæ fuisset per coitum generatio. insuper à quo Io. Baptismus institutus. tertio, & vltimo: An Io. Baptismo baptizati, iterum Christi, Baptismo baptizandi. circa primum negatiue sic arguo. primus homo in Paradiso erat, vt quidam Angelus, ait Damascenus: non igitur ibi fuisset generatio. insuper in illo statu nulla fuisset corruptio: igitur nec generatio: quare videtur, quòd male sit loquutus Magister Sent. dicendo: coniugiū institutum tunc temporis fuisse in officium. ex alio latere nonne mulier facta fuit in adiutorium viri? si sic: ergo videtur posse dici: quòd ibi in statu innocentiæ fuisset generatio. Pro dilucidatione huius difficultatis primæ, velim sciatis: ex doctrina beati Aug. xiiii. de Ciuitatè Dei: quòd in illo innocentiæ statu, fuisset quidem generatio, siue proles: at sine libidinis morbo: quia tunc omnes vires inferiores rationi subdebantur. aliter verò pro hoc statu euenire nulli dubium. quo supposito, ad rationes diluendas accedo: & ad primum Damasceni dictum, quo ad mentem concedo; at quantum ad vitam animalem, siue ad corpus, argumentum non cogit. Alterū argumentum concedi habet quantum ad corruptionem integritatis: nam in illo statu salua integritate feminei genitalis virile semen potuit immitti, inde proles nasci, vt dicit beatus Aug. xiiii. de Ciuitate Dei. Explanata questione prima: altera accedit: vbi videndum, à quo Io. Baptismus institutus. mihi sanè videtur esse dicendum, quòd non à Deo: & ne erubescam sine causa, loquendo, rationem principalem ad hoc vobis suadendum, veritatiq; consonā sic formabo; omne sacramentum à Deo institutum, vel fuit veteris,

 vel

vel nouæ legis: at Baptiſmus Io. veteris legis minimè fuit, quoniam ibi nihil de tali Baptiſmo inuenitur ergo. nec videtur poſſe dici: q̃d nouæ legis fuerit ſacramentum: quia talia per Chriſtum ſunt inſtituta, & numero ſeptenario clauduntur: quare, &c. preterea: Io. Baptiſmus, ſi à Deo fuiſſet inſtitutus, Io. Baptiſmus minimè diceretur: nam fieri debet denominatio à principali inſtituente, & nõ ab alio: potius ergo Dei, vel Chriſti dicendus, quam Io. In oppoſitum ſe habet illud, quòd ſuperius dictum fuit de ſacramento. nam cum ſit ſacræ rei ſignum, & Io. Baptiſmus ſic ſe habeat, quia Chriſti Baptiſmum præfigurabat: Sacramentum itaque nuncupandum. His accedit: quòd Io. i. dicitur ſic: Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c. à Deo igitur Io. Baptiſmus inſtitutus. Nunc argumenta contra veritatem formata, diluamus; deinde ad ſubſequentem queſtionem feſtinabimus. Ad primum ergo dicitur: quòd tale ſacramentum, licet in veteri teſtamento non inueniatur ſcriptum: ſaltem debet ſufficere, quòd in nouo teſtamento eodem ſpiritu conſcripto pro tempore fiat de ipſo mentio. erat ſecundum argumentum concludens non fuiſſe Io. Baptiſmum à Deo inſtitutum, quia non Dei, ſed Io. dicebatur: ad quòd de facili poteſt dici: q̃d, Dei, & Io. fuerit. Dei principaliter; Ioannis verò miniſterialiter: qui inſpiratus, alios baptizare incepit; hinc ſingularis miniſter huius executionis fuit, non Petrus, non Paulus, nec Apoſtolorum quis alius; iure merito propterea Io. debuit Baptiſmus vocari. His tandem addendum. An iterum baptizandi forent illi, qui prius Io. Baptiſmo erant baptizati. Quibusdam viſum eſt, q̃d non: nam Io. Baptiſmus deuotè ſuſcipientibus valebat: igitur, non

iterum

iterũ Baptiſmo Chriſti baptizandi erant illi, qui ſemel Io. Baptiſmo baptizati: quia valere eſt cõferre. Preterea: nonne Baptiſmus regeneratio dicitur? igitur, Io. Baptiſmo baptizati, non amplius rebaptizandi. Pro intellectu huius vltimæ difficultatis, vnum velim ſupponatis, ſimpliciter verum: & eſt: quòd Io. Baptiſmus in aqua tantum fiebat, nec gratiam conferebat: quo ſtante: rationes de facili erectæ ruent: prima etenim concedi habet diſpoſitiuè, non collatiuè: ideſt Io. Baptiſmus deuotè ſuſcipientibus diſponendo valebat: at non conferrendo. Altera ratio quia laborat in ęquiuoco, propterea eſt nulla: nam de Chriſti Baptiſmo concedenda: at de Io. Baptiſmo neganda.

QVID SIT BAPTISMVS.
Diſtinctio 2.
Lectio XV.

PRemiſſis ad ſacramenta quibusdam neceſſarijs in ſuperiori diſtinctione: Nunc in hac tertia determinandum erit de ſacramentis, & primo, de Baptiſmo, qui omnium ſacramentorum ianua exiſtit. ordine itaque, vt procedamus, quinque in pręſenti explicabimus. quid baptizare: baptiſmi ſignificata: quid Baptiſmus: formam baptiſmi: dubium tandem cum ſolutione. Quo ad primum: baptizare idem eſt, quòd lauare. vnde, ab eo, quòd eſt lauare, oritur lauacrum, & lotio: iccirco Baptiſmus lauacrum regenerationis, & renouationis ab Apoſtolo ad Titum tertio: vocatur: ſignificata verò Baptiſmi ſecundum Damaſcenum nouem

ſunt. vnde, Baptiſmi nouem dicuntur. primus eſt diluuij tempore Noæ: ſecundus eſt maris rubri, de quo Apoſt. i. Chor. io. omnes baptizati ſunt in nube, &c. Tertius eſt luſtrationis, qui fiebat ex aqua, & cineribus vitulæ ruſæ combuſtæ, & Chriſti paſſionem ſignificabat. quartus Ioannis, de quo diximus: quintus eſt Baptiſmus Chriſti paſſiuè, quando fuit baptizatus à Ioanne. ſextus Baptiſmus eſt pęnitentiæ, qui purgatiuus à culpa, & non à pęna. ſeptimus dicitur fluminis, qui fuit inſtitutus à Chriſto, & à culpa purgat, & à pęna, de quo latius infra. octauus Baptiſmus eſt, linguis igneis, quem receperunt Apoſtoli in die Pentecoſtes; & iſte purgat à culpa, & pęna, & etiam à pęnæ ſequella, Nonus Baptiſmus ſanguinis dicitur: & eſt perfectiſſimus: quia hominẽ ad cęlos euolare facit. Et ſi plures ſunt Baptiſmi modi, vt dictum eſt, communiter tamen Doctores loquuntur de tribus: ſcilicet, de Baptiſmo flaminis, ſanguinis, & fluminis. Baptiſmus flaminis, vel pęnitentiæ dicitur contritio cordis, aut pręparatio ſufficiens ad gratiæ infuſionem. Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium pro Chriſto, ſeu iuſtitia ſuſceptum voluntate propria, & dicitur martyrium Baptiſmus ſanguinis, licet nõ ſemper fundatur ſanguis in martyrio: quia tamen vita ſemper extinguitur in martyrio, hinc ſanguinis effuſio ſumi ſolet, pro quocunque tormento ſuſcepto pro Chriſto. Et hęc de ſectis duobus. in tertio, quid ſit Baptiſmus fluminis de quo hic noſtra eſt intentio, audite. Baptiſmus eſt exterior ablutio corporis, ſub debita forma verborum: ideſt cum expreſſa inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis. ab alijs ſolet ſic deſcribi: Baptiſmus eſt lotio hominis viatoris non diſſentientis, facta in aqua elementari, fluida, ab alio, cum debita

forma, & cum intentione debita proferente. ex institutione diuina efficaciter significans ablutionem animæ à peccatis. dicitur lotio generaliter ad denotandum omnem aquæ contactum fluidæ, quæ corpus, vel eius partem habet humetare, & dicitur ablutio in aqua, non aqua, quia baptismus non est aqua, quæ est res permanens, sed lotio in aqua, quæ est operatio transiens. dicitur deinde hominis viatoris; ad excludendum secundum Gersonem, Angelos, vel Dæmones, & bruta. dicitur non dissentientis; ad differentiam adultorũ, qui debent venire cum deuotione, & disciplina de veteri vita, Nolens enim baptizari, nec sacramentum, nec rem sacramenti suscipit: dicitur facta in aqua elementari fluida, vbi notatur baptismi materia, de qua inferius. his quarto, baptismi forma additur loco, quæ talis. inuocatio sanctissimæ Trinitatis, vt puta, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. quam formam in Euangelio Mathei tradidit Christus, cum dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nec id mirum. nam accessus verbi ad elementum per Aug. fit sacramẽtum. At hic dicetis vos: in Actibus Apostolorum legitur: quosdã baptizatos fuisse in nomine Christi tantum, & bene, secundum Ambr. quia in nomine Christi, quòd est vnctus, tota trinitas intelligitur: scilicet Pater vngens: filius vnctus: & spiritus sanctus vnctio. non ergo trinitatis requiritur inuocatio. ad hoc dicatis velim: tunc temporis illis permissum in primitiua Ecclesia in Christi nomine baptizare, vt Christi nomen, quòd erat odibile, redderetur amabile. at rursus queretis ex huiusmodi occasione: si vna tantum persona nominetur, & fides trinitatis in corde teneatur: An

verus

verus erit baptismus? D. Ambr. ad partem declinando affirmatiuam dicit, quòd sic: quia in quolibet horum nominum tota trinitas intelligitur: dummodo adsit fides, & Ecclesiæ intentio. at si desit fides, & intentio faciendi, quòd facit Ecclesia, sacramentum est irritum. tutius tamen est tres nominare personas, dicendo: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nam hoc determinatum est: nec dici debet in nominibus, quia forma debita non seruaretur, vbi vna debet esse inuocatio, & trium personarũ confessio. & hęc satis.

BAPTISMVS EST ABLVTIO.
Lectio XVI.

NE sicco videar velle pede prętacta in textu pręcedenti à Magistro Sent. pertransire: quatuor in pręsenti exponam. primo, quo modo Baptismus sit ablutio. insuper, An necessaria sit, & qua necessitate: tertio, in quo talis ablutio consistat. quarto, quotuplex martyrium. Quantum ad primum: Baptismus est exterior hominum ablutio, cum certa uerborum forma: & dicitur ablutio siue intinctio, aut immersio, quia homo in Baptismo, spiritu gratiæ in melius mutatur; & longè alius, quam erat, efficitur; ablutio enim illa materialis, quæ fit exterius in corpore, signum est ablutionis spiritualis, quam, Deus interius facit in mente. Num verò necessaria, audite: nam si non foret talis ablutio viatori necessaria Christus non ita dixisset: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non poterit introire regnum Dei. hoc igitur volenti adipisci, sibi erit necessaria ablutio Baptismi. pręterea: interiora

Domus

Domus tẽporalis, volens q̃s intueri, nonne sibi ianua illius Domus prẽmittenda? multo magis igitur necessaria baptismi erit ablutio, ianuam regni cęlestis volentibus ingredi. Verũ quia multiplicitas necessitatis in nobis causa posset esse erroris, propterea velim sciatis: Quadruplicem dari necessitatem: quarum prima desumitur à causa efficiente: secunda à materiali: tertia à formali: quarta, & vltima à finali; exemplum primæ, vt quando quis in vinculis positus, ibi de necessitate manet: & hęc ab alijs coactionis necessitas vocari solet. exemplum secundæ, dum dicitur: quòd homo de necessitate sit mortalis ex parte materiæ. exemplum tertiæ: vt homo est rationalis, quæ à forma propositio est necessaria. exemplum quartæ, ex suppositione finis, vt farmacum ad sanitatem acquirendam: quo vltimo modo, homini baptismi est necessaria ablutio. His punctis duobus, tertium nunc addendum, vt nobis fiat notum, in quo consistat ablutio ista. in vsu enim, & verborum applicatione videtur consistere. nam D. Aug. ita consueuit dicere: Accedit verbum ad elementum, & statim fit sacramentum. vbi per elementum, aquæ vsum intelligit, idest ablutionem corporis: quæ ablutio duplex est: actiua, & passiua; actiua ab alio facta (quia nemo potest se ipsum baptizare.) vnde dicitur magis de necessitate baptismi, requiri ablutio passiua, quia multiplicatis ablutionibus passiuis, tantum baptismata multiplicantur. Hic tamen vnum scitu dignum notetis, velim; & est: quòd ad veram, perfectamq; ablutionem tria requiruntur, vt de substantiá, siue de baptismi essentia: scilicet materia: forma: & ministri intentio: quæ tria beatus Aug. super Io. tractatu. 80. in Tomo nono explicauit dicens. Accedit verbum ad elementum, &

fit

sit sacramentum: verbum scilicet creditum, & prolatum. nam si detrahatur verbum, quid ibi erit nisi aqua? tota ergo virtus à verbo est, non in eo, quòd dicitur, sed in eo, quòd creditur: & hęc de punctis tribus. In quarto, loquendum est de martyrio. martyrium enim dictio gręca est, & testimonium significat: vnde testis dicitur latine. est autem martyrium actus virtutis quadruplicis, vt puta fortitudinis, vt elicientis principaliter; Patientiæ verò, vt elicientis communiter; sed Charitatis, vt imperantis; & fidei, vt finis. & est triplex: corporis tantum, vt in innocentibus: affectionis tantum, sicut sunt patientes aduersitates amore Christi; aut per compassiones proximorum, de quibus Greg. dicit: sine ferro, martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus. tertium martyrium est voluntarium, ad quod quatuor concurrunt. primo, causa bona: vnde 1. Pet. 3. si quid patimini propter iustitiam, beati. & Aug. non pęna facit martyrem, sed causa; nam si solas passiones attendimus, coronantur, & latrones. propterea Saul non est martyr, qui ad euasionem illusionum, Phylistim se occidi procurauit. Io. verò Baptista, quia mortem sustituuit pro veritate, verè est martyr. quid si pręgnans mulier pro fide chatolica occideretur? An in vtero puer occisus martyr? Petrus de Palude dicit, quòd sic, corpore tantum, vt innocentes. insuper ad martyrium intentio recta requiritur. ideo Iudas Mathabęus nō dicitur martyr, qui propter humanam verecundiam nolens declinare de bello, ait: Absit vt inferamus crimen gloriæ nostræ. 1. Mach. 6. tertio, ad martyrium voluntas non coacta requiritur, ideo latro à Christi dextris pendens, propriè non dicitur martyr, quia coactè pęnam

subijt,

subijt, & causam latrocinij scilicet malam habuit. quarto ad martyrium requiritur persona distincta, quæ occidit. vnde qui se præcipitarunt, sine instinctu spiritus sancti, sine quo nullus debet se occidere, sed potius diuinæ gratiæ se committere, quæ vbique potest saluare, & liberare, martyres non sunt appellandi, e quorum numero fuit Eleazarus, vt habetur. 2. Mach. 14. similiter Sampson: qui licet communiter connumerentur inter sanctos Heb. ii. non tamen proprie dicuntur martyres, quia se ipsos occiderunt. At dicetis: ad martyrium perfectum quot necessaria? Respondetur, quod tria principalia: scilicet, mortis pœna: sicut in beatis, Laurentio, & stephano: secundo patiendi voluntas: tertio causa: quibus tribus martyrium perfectum dicitur. & hæc satis.

AN RECTE BAPTISMVS FINIATVR. Lectio XVII.

Operepretium esse duxi, hodierna die, examinare verba Magistri, vt cognoscatis: num rectè se gesserit in tradenda nobis diffinitione baptismi: mihi sanè; quod nō; apparet. nam vt sacramentum non dicitur verbum: ita nec ablutio: quare male Magister. quòd autem res ita se se habeat, de facili suaderi potest: non enim pars de toto prædicatur: at baptismi pars est ablutio: igitur non rectè dicitur, quod baptismus sit ablutio: quòd autem ablutio sit pars baptismi, ad Aug. recurrite, ita dicentem: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: ablutio itaq; pars baptismi dicetur. preterea: ablutio illa corporalis transit, vt

intuenti patet: sed baptismus remanet: igitur, non debuit à Magistro finiri, per ablutionem. pro dilucidatione huius difficultatis, velim sciatis: baptismum hic finitum fuisse, eo modo, quo potuit, pro formali scilicet, non pro materiali: quo stante, adhuc distinguendum erit de multiplici parte. nam quędam est natrralis: altera verò artificialis. cui duplici parti, correspondet duplex prędicatio, scilicet in recto, & in obliquo. insuper est notandum: quòd materiale sacramenti baptismi proximum, & immediatum, super quo immediate fundatur respectus signi, quod est formale in baptismo, non est aqua ipsa: talis enim ablutio magis propriè significat ablutionem animæ. si ergo totum materiale sacramenti baptismi sit ipsa ablutio, ita quòd verba non sint pars materialis, licet non sit perfectum sacramentum, nisi concurrentibus verbis, sic vera illa erit prędicatio: baptismus est ablutio si verò ipsa ablutio non sit totum materiale baptismi, sed pars tantum, & verba sint alia pars materialis, vt magis probabile videtur, & secundum D. Aug. tunc de facili talis non poterit prędicatio sustineri, quia pars integralis de suo toto non prędicatur, saltem in recto. His ita positis, ad rationes modo quid dicendum, audite. nam prima, si intelligatur, secundum quod ablutio dicit partem, tunc vera erit: non enim de toto in recto dici potest. at si ablutio sumatur pro toto materiali sacramenti baptismi, tunc prędicatio vera, qua dicitur: baptismus est tinctio, vel ablutio. quidam alij clarius respondentes, dicunt: in finitione baptismi ablutionem per modum signi fore accipendam: quòd signũ habet referri ad animæ ablutionem per culpæ deletionem. Erat altera ratio, quod ablutio transit, at baptismus remanet: nõ ergo &c.

ad

ad hanc dicatis: in ſacramento baptiſmi duo conſiderari: vnum exterius, alterum verò interius. ſi primo modo, conceditur ratio: nam actus ille exterior, ſiue ablutio illa, vt ſignū, in effectus ablutionis interioris tranſit, non tamen ſecundum id, quo fit interius tranſire dicitur. vnde Damaſcenus volens hanc nobis aperire veritatem, dicebat: aliud eſſe loqui de ſacramento tantum, & aliud de re, & ſacramento ſimul. licet ergo tranſeat primo modo, non tamen hoc ſecundo modo; ſub quo ſenſu ſumenda venit baptiſmi tradita finitio à Magiſtro. in ſequenti ad baptiſmi formam accedemus.

DE FORMA BAPTISMI.
Lectio XVIII.

CIrca Baptiſmi formam verſaturi, in preſenti, de eius integritate ſex eſſe docebimus. Primum dicitur eſſe efficientis perfectio: vt puta Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: tanquam principale efficiens ſacramentum Baptiſmi. vnde dicitur: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Secundum eſt conferentis oſtenſio: ideo ſubditur, ego: vt inſtrumentale conferens. tertium eſt ſuſcipientis conditio, vel diſpoſitio: propterea additur, te: vt rationale ſuſcipiens. quartum, eſt elementalis, vel materialis ablutio, dum dicitur, baptizo, ſcilicet, aqua. quintum, eſt vocalis, ſiue verbalis expreſſio: ibi: ego te baptizo. ſextum, eſt mentalis intentio: neceſſaria enim eſt applicatio baptizantis ad abptizatum: vnde ſubinfertur: ego te baptizo. primum patet ex modo baptizandi, nam dicimus: ego te baptizo, in nomine Patris, &

Filij, & Spiritus sancti, Amen. vbi tota sanctissima Trinitas exprimitur, ad ostendendum, hanc esse de necessitate baptismi: primo, quia sic fuit à Christo instituta: secundo, quia hoc à Damasceno confirmatur: tertio, ex parte reparationis humanæ: In nomine ergo Patris, & Filij, & Spiritus sancti, baptismus debet fieri; alterum de integritate formæ baptismi, idest modi baptizandi, est conferentis ostensio, scilicet efficiens instrumentale: iccirco præmittitur pronomen demostratiuum, ego: cuius ratio assignatur: quia sicut principale agens, quòd inuisibiliter agit, in inuocatione trinitatis significatur: ita requiritur, qđ circa actum materialem agens secundarium, & instrumentale ponatur, scilicet minister sacramenti, quòd pronomine demonstratiuo designatur. tertio suscipientis baptismum requiritur expressio, cuius ratio est, quia per expressionem secundæ personæ, actus baptizantis ad hunc baptizatum determinatur: & ideo dicitur te. quarto, materialis ablutio necessaria ad baptismum dicitur, & ratio est, quia si quis verba proferat, dicendo, ego te baptizo, &c. & non intingat aqua, nihil facit: ratio est, quia baptismus ablutionem importat. quinto vocalis expressio, siue verbalis requiritur: nam si quis puerum immergeret, & formam verborum non exprimeret, sanctum baptisma non faceret. denique mentalis intentio necessaria ad baptismum: nam minister non intendens conferre baptismum, tunc nihil faceret: quare dicendum erit: quòd ablutio baptismi sit primo à Deo instituente, & efficiente: insuper à voluntate ministri eliciente: deinde ab intellectu dirigente: tandem ab inferiori potentia exequente. & ita erit baptismus, de cuius forma hic aliquantulum loquuti sumus.

DE

DE FORMA BAPTISMI. Lectio XIX.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ diximus hactenus de baptismi forma, multo plura dicenda supersunt. nam alia forma greci vtuntur in baptizando: & alia latini. greci dicunt sic: baptizetur seruus Christi talis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. latini autē tali forma vtuntur. baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. & quamuis ex vtraque forma baptismus sequatur, latinorū tamen congruentior, siue conuenientior est, quam grecorum, quia magis concordat cum verbis Christi instituentis baptismum. dixit enim Apostolis. Ite, docete omnes gentes, &c. insuper conuenientior quantum ad expressionem baptizantis: nam greci in forma baptismi personam ministri minimè ponunt: baptizant enim sic: baptizetur seruus Christi, &c. at nos, in forma nostra dicimus: ego te baptizo, &c. est preterea conuenientior latinorum forma illa grecorum in expressione actus: nam, ipsi in sua forma actum baptismi significant sub alia persona, scilicet tertia, & sub alio modo, vt puta sub coniunctiuo, vel optatiuo: & hoc, vt dicunt, faciunt ad significandum, quod actus interior expectatur ab extra. tandem latinorum conuenientior in expressione personæ baptizatæ: quia persona baptizata ponitur in nominatiuo, & in tertia persona. Nos autem in forma, qua baptizamus, contra eos, facimus ista tria: primo enim baptizantis exprimimus personā pronomine demonstratiuo primæ personæ, scilicet, ego. secundo, in actu baptismi vtimur verbo indi-

catiuo,

catiuo, vt puta, baptizo. tertio personam baptizatam exprimimus pronomine demonstratiuo, cum dicimus, te: conuenientior itaque latinorum dici debet forma græcorum, propter rationes adductas. post quas inquirendum. vtrum aliquid circa formam istam mutari possit: pro cuius intellectu, est sciendum, quòd ille, qui aliquid immutat circa istam formam, aut intendit mutare ritum Ecclesiæ, & sic non est baptismus: aut intendit facere quòd sancta mater Ecclesia, sed ex ignorantia, aut inaduertentia aliquid circa formam mutat: & tunc circa hoc erit sciendum: huiusmodi mutationem quinque fieri posse modis. vno modo totaliter mutando verba ipsius formæ, & tunc non fit baptismus: dicendo V. g. baptizo te, in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque. hic enim tres diuinæ non exprimuntur personæ propriè. Alio modo transponendo verba ipsius formæ. V. g. baptizo te ego: vel quocunque alio modo transponendo; & tunc quia manet idem sensus verborum, iccirco, ex tali mutatione nō impediretur baptismus. Alio modo fieri potest mutatio circa baptismi formam, addendo aliquid ad istam formam. & tunc, aut talis additio corrumpit sensum verborum, aut non: si sic, non est baptismus. V. g. si quis diceret, vt dicebat maledictus Arrius: baptizo te. in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus sancti: talis additio sensum verborum formæ corrumpit, cum personarum æqualitatem tollat, & sic non fit baptismus. aut talis additio non corrumpit sensum verborum formæ, & tunc distinguendum: ille enim tunc temporis, qui addit aliquid, vel intendit mutare formam Ecclesiæ, vel non: si sic: nihil facit. at si id faciat ex deuotione quadam. V. g. dicendo baptizo te in nominæ

Patris,

Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. & beatæ Virginis: tunc talis additio non mutat formam baptismi, nec impedit baptismum. insuper, potest forma baptismi mutari, aliquid de ea diminuendo. & tunc, si dictio integra quęcunq; sit illa, diminuatur, nihil fit, quia omnia verba ista: ego te baptizo, &c. sunt de esse formæ. si autem non minuatur dictio integra, sed pars dictionis, tunc animaduertendum: quia aut talis diminutio erit in principio dictionis, sicut in ista dictione Patris, vel quęcunque alia subtrahatur prima litera, vel prima syllaba: talis diminutio impedit baptismum, cum tollat sensum verborũ. si verò diminutio fiat de fine dictionis. V. g. remouendo ab hac dictione. Patris s. vel quid aliud tale: talis diminutio non dicitur baptismum impedire, cum maneat idem sensus verborum. vt patet de illo linguæ latinæ ignaro: qui baptizabat sub ista forma verborum: baptizo te in nomine Patria, & C. denique, circa formam baptismi, dicitur fieri mutatio interrumpendo verba formæ: & tunc si tanta sit interruptio, vt baptizantis intentionem impediat: sicut si de mane diceret, ego baptizo te, deinde ad negocia sua complenda iret: & in redditu diceret: in N. Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. nihil faceret. si verò non sit tanta, quòd baptizantis intentionem impediat: sicut si diceret: baptizo te in nomine Patris: & hoc dicto astantibus dicat, tacete, vel orate, vel quid aliud tale, deinde perficiat, ex hoc baptismus non impeditur.

DE

DE FORMA BAPTISMI.

Lectio XX.

ANtequam accedamus ad baptismi institutionẽ; nonnulla alia attinentia ad baptismi formam percurremus: & primo, num hęc forma, ego te baptizo, &c. sit vera baptismi forma. insuper. An plures vnum simul valeant baptizare. quantum ad primum, sic ratiocinor: effectus baptismi à virtute sanctissimæ Trinitatis dicitur prouenire: atqui, tanta est virtus vnius diuinæ personæ, sicut trium: in nomine igitur vnius personæ confici poterit baptismus. insuper Christus docuit discipulos suos baptizare sine illo pronomine, ego: at Ecclesia vtitur tali: non igitur forma vera baptismi. deinde Priscianus ait: verbum personæ primæ nobis nominatiuum significare: quare, sufficere deberet dicere, baptizo te, &c. at quia illud pronomen additur, ego: propterea non videtur esse vera baptismi forma, qua vtitur Ecclesia. insuper actus baptizandi deberet magis conuenire principali agenti: sed Ecclesia talem ministro actum attribuit; quare talis forma non videtur idonea. vlterius sic instatur: baptismus cum ceteris sacramentis virtutem habuit suam à passione Christi: igitur in forma baptismi deberet mentio de passione Christi fieri: at nulla fit: quare forma nõ congrua, quam seruat Ecclesia Sancta. insuper forma habet esse in materia illius, cuius est forma: at hęc verba, ego te baptizo, &c. non sunt in aqua baptismi, neque in ablutione: igitur, nõ debet dici vera forma baptismi. denique, legitur in Actibus Apostolorum. 8. quòd in nomine Christi baptizabantur viri, & mulieres: igitur,

& tunc

& tunc poterit dari baptismus in nomine Christi. nam ait Apost. Vna Fides, vnus Deus, & vnum baptisma. In contrarium sic habet Ecclesia sancta, quæ baptizat in nomine sanctissimæ Trinitatis, scilicet, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Qua veritate supposita, ad obiecta respondendum; & primo, ad primum, concedendo tantam fore vnius diuinæ personæ virtutem, sicut trium: non ob id fidei protestatio ita sufficiens dicitur, sicuti quãdo tota trinitas voce exprimitur. quo ergo ad virtutem currit formatum obiectum: at non quantum ad expressionem, siue fidei protestationem sufficientẽ. ad illud de illo pronomine ego, Respondetur: tale pronomen duobus posse concipi modis: vno modo ex parte sacramenti: alio modo ex parte præcepti Ecclesiæ: si primo modo, fatemur tale pronomen non esse de necessitate sacramenti: at ex parte statuti Ecclesiæ Sanctæ, sic. quare debet apponi in forma baptismi: & qui illud scienter omitteret, peccaret: licet baptizaret. tertium argumentum ruit ex solutione secundi. at dicetis vos: vti in baptismo vtimur hoc pronomine, ego, in numero singulari, nonne, & in plurali poterit dici: nos baptizamus vos: ad hoc dico: quòd non: & ratio assignatur: quia, dicendo nos baptizamus vos: tunc sensus est, ego, & ille, nõ autem ego, & ego: quare nihil fieret. dum autem dicitur, ego baptizo vos, in casu necessitatis, actus exprimitur tunc temporis, qui ab vno potest agente exprimi: & sensus est: baptizo vos, idest te, & te, sic forma quantum ad significationem variatur minimè, quoniam plurale non est, nisi singulare geminatum; Ad argumentum quartum formatum de actione, quę debet attribui principali agenti, & non instrumentali, dico: hoc esse verum principaliter: at ministerialiter potest

G *ter potest*

ter potest etiam instrumento ascribi, uti fit in proposito. ad quintũ, de passione Christi potest dici: quòd, Christi passio ad duo habeat referri: aut ad ministrum, aut ad sanctissimam Trinitatem: licet ergo Christi passio respectu ministri, principalis causa debeat dici: attamen respectu Trinitatis, causa instrumẽtalis dicitur, propterea commemoratur potius sanctissima Trinitas, quam Christi passio. ad sextum argumentum de forma, velim dicatis: hic mentionem non fieri de forma partis, quo modo currit argumentum: at de forma pro relatione signi capta. verba ergo non sunt forma, ut pars compositi, sed forma relationis signi. ad ultimum potest dici: Apostolos ex reuelatione spiritus sancti baptizasse in primitiua Ecclesia in nomine Christi, ut nomen Christi Iudeis, & Gentilibus, quod odiosum erat, amabile, & honorabile redderetur: pro illo tunc ergo licebat, at modò non, sine speciali pręcepto spiritus sancti: nam ab Ecclesia iam determinata est forma baptismi. pręterea: si baptismus nunc fieret inuocatione Christi, posset credi virtus operationis tanquam ab actore esse à Christo, & non à trinitate, & ideo valde consonum fuit, necessitate fidei, quod sacramenta, & maximè sacramentum necessitatis, ut est baptismus, exerceatur sub forma exprimente Trinitatem: ut sic in fide Trinitatis roborarentur fideles. & hęc de prima quęstione satis. cui altera nectitur, dum quęritur: An plures simul unum baptizare possint. hic variæ sunt opiniones, quas recensere certe lungum esset: dicemus itaque nos paucis verbis: plures simul unum baptizare non posse, quia minister, ut communiter tenetur à Doctoribus, debet esse unus: nam dum baptizat, id in Christi persona facit: at Christi persona una

est,

est, ideo plures vnum baptizare non possunt. & si dicatis, quod vnus posset baptizare plures dicendo, ego baptizo vos, &c. ergo à simili plures vnum baptizare possent dicentes. Nos baptizamus te, in nomine Patris, &c. dicendum, non esse simile: quia cum dicitur, baptizo vos: idem est, ac si diceretur, baptizo te, & te: quando dicimus, nos baptizamus te, idem est, ac si diceretur, ego, & tu, baptizamus; tunc mutatur aliquid in forma: nec id mirum, quia est differentia inter nos, & vos: nam nos idem est, quòd ego, & tu: vos autem, idem, quòd te, & te. & hęc de pollicitis.

DE INSTITVTIONE BAPTISMI. TEX. Lectio XXI.

POstea quam satis abunde hactenus sumus loquuti de forma baptismi: consequens modo est, verba facere de tempore institutionis; vt cognoscamus, quando fuerit institutus baptismus. insuper, agendum de materia huius sacramenti. tertio de immersione facienda. qnarto, dubium proponetur, & statim diluetur. de tempore institutionis (vt rem aggrediamur) extant variæ opiniones: quidam enim volunt: quòd fuerit institutus, cum Dominus dixit Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. Alij dicunt, quod post Resurrectionem, cum Dominus dixit: Ite, & baptizate omnes gentes. quas opiniones Magister dimittendo, fatetur Saluatorem suo Baptismo, hoc instituisse sacramentum, idest, quando à Io. in Iordane baptizari voluit: vbi tota Trinitas innotuit: quia Pater in voce: Filius in carne: Spi-

ritus Sanctus in specie columbæ apparuerunt: tunc enim contactu suæ purissimæ carnis, Christus vim regeneratiuam contulit aquis: vt qui postea in eo mergerentur, inuocato nomine Trinitatis, à peccato purgarentur. & hęc de primo puncto. in altero baptismi materia tangitur; quæ debet esse aqua pura: tum quia Christus in aqua est baptizatus: tum etiam, quia sic ipse pręcepit, dum dixit, Nisi quis renatus fuerit, &c. insuper, baptismi sacramentum, cum sit maximè necessitatis, & cõmunitatis, iccirco debuit habere materiam communem, vti est aqua elementalis, vt latius dicam in sequenti. Nunc fiat sermo de immersione, ad cognoscendum, num semel baptizandus, vel bis, vel ter, habeat mergi. quo in casu vt sanum sit iudicium, docet Magister Sent. ad consuetudinem locorũ recurrendum. vbi enim fuerit consuetudo immergendi semel, si à ministrò seruetur, id sine peccato fiet: (nisi tamen consuetudo Ecclesiæ sanctæ obstet) docendo, & asserendo, baptizandum esse immergendum pluries. Hic quęso notetis: quod dum semel puer immergitur, illa vnica immersio non est sine magno mysterio: nam denotat Fidei, & Ecclesiæ Sanctæ vnitatem, nec non indiuiduæ Trinitatis essentialiter vnitatem. si bis, duplex in Christo natura ostenditur, diuina scilicet, & humana. si ter, ecce sanctissima Trinitas. insuper immersio Dominicæ sepulturæ typum exprimit: quæ secundum totum fieri minimè debet, sed tantum secundum partem ad periculum infantium euitandum: quæ pars, vt principalissima in corpore humano erit caput. his quarto loco apponitur dubium de circuncisione. nam quęritur, quando vim suam amisserit; ipsa dubio proposito facilis erit responsio: dicamus ergo: Circuncisionem, &

legalia

legalia omnia terminata fuisse, nec non vim suam in Christi morte, non ante amisisse, audiuistis. itaque quo tempore sit Baptismus institutus: & cuius causa: purgatio etenim à culpa originali fuit. quo deinde mediante, ianua cęli nobis aperta fuit, sed non ante hostiam saluatoris. laudemus ergo interim Deum benedictum, qui viam ad cęlum patefecit, & cursum facilem sacramentis esse docuit. in sequenti multo plura circa pręsentem materiam erunt dicenda.

DE MATERIA BAPTISMI.
Lectio XXII.

CIrca baptismum principaliter, necessitas materiæ consideranda venit, vel congruitas: necessarium enim est baptismum in aqua elementali fieri. insuper meditandum erit, de qua aqua possit fieri. tertio duodecim casus ponentur. quo ad primum: quare Dominus baptismum fieri in aqua instituerit, Sex rationes assignari possunt: scilicet, ratione perspicuitatis: humiditatis: frigiditatis: vtilitatis: communitatis: & facilitatis. primo ergo Dominus instituit aquam propriam esse baptismi materiam ratione perspicuitatis, vel transparentiæ: nam aqua propter hoc aliquid de lumine habet, & ideo baptismo competit, qui vim illuminatiuam habet: secundum, quod in eo gratia confertur, quæ mentis illuminatiua est. insuper, ratione humiditatis, ex qua vim habet mundandi aqua: in tali elemento baptismum fieri instituit Christus. nam baptismus sordes spirituales mundandi virtutem habet. tertio aqua propter suam frigiditatem infrigidat, & vim caloris reprimit:

reprimit: ita baptiſmus vim incentiuam fomitis reprimit, in aqua propterea fieri debet. inſuper aqua generationi, & viuentium rerũ confert maximè augumentationi: ſic, & baptiſmus regenerationi ſpirituali, ſi digne ſuſcipiatur: quare in aqua inſtituit Dominus baptiſmum debere fieri. quinto, quia in omnibus mundi partibus ipſa reperitur, propterea, ne quis à ſuſceptione huius ſacramenti ſe poſſet excuſare, in aqua ratione ſuæ communitatis baptiſmum fieri pręcepit Deus. ſexto ratione ſuæ facilitatis, nam de facili ſine magno poteſt haberi pretio. ob has ergo rationes baptiſmi conueniens materia dicitur aqua, quæ elementum diaphanum, humidum, & frigidum eſt. ex parte ſuæ naturæ: ex quorum primo ſignificatur gratiæ illuminatio: ex ſecundo culpæ ablutio: ex tertio concupiſcentiæ mitigatio. de qua verò aqua, & de qua non fieri poſſit baptiſmus, queſo in hoc ſecto ſecundo dicamus: debet ergo in aqua pura, elementari fieri baptiſmus. vnde omnis excluditur humor, qui ſpecie ab aqua elementari differt: non enim in aquis artificialibus diſtillatis, nec in quocunque humore mixto, vt vino, ſanguine, flegmate, ſputo, vel ſaliua, vel vrina: quæ omnia ſpecie differunt ab elementari aqua, poſſibilis eſt baptiſmus. hic tamen vnum notatu dignũ velim ſciatis: quod dum ſit ſermo de aqua, debet intelligi de aqua pura, non mixta: quia ſi aquæ permixtio fuerit tanta, vt aquæ ſpeciem tollat, tunc cõgruentiam materiæ huius ſacramenti impediet. at dicetis, vos: quo modo id cognoſci poterit? Reſpondetur: ex nimia denſitate de facili id poſſe cerni: quandocunque ergo aqua in tantum erit ingroſſata, quòd à vera raritate aquę recedat, & diaphaneitate per appoſitionem luti, vel alterius liquoris diuerſi, tunc non erit ibi baptiſmus.

& hęc

& hęc de duobus punctis. in tertio casus duodecim proponũtur circa paruulum baptizandum. Primus est: An non habens ordinem possit baptizare: ad hoc Respondetur: quòd sic in casu necessitatis. nam ordinatio non dicitur de necessitate sacramenti baptismi, licet sit de solennitate. primo itaq; modo sic: at secundo modo non; secundus Casus: An Diaconus ex ordine suo baptizare possit: Respondetur, quod Diaconus proprius minister baptismi, vel alicuius sacramenti non est: quare ex ordine suo non poterit. Tertius casus: An non baptizatus baptizare possit: Respondetur quod sic: dummodo Ecclesiæ formam seruet, intentionemq; baptizandi habeat. Quartus casus: An quis se ipsum baptizare possit: Respondetur quod non: nam sicut nulla res se ipsam generare potest: ita nullus se ipsum regenerare. Quintus casus: An malus minister baptizare possit: Respondetur quod sic: quia bonitas, siue malitia ministri non est de substantia baptismi, sed de conuenientia: non subtractis ergo illis, quæ sunt de sacramenti substantia malus minister poterit baptizare. Sextus casus: An baptismus datus per meliorem ministrum meliorem dicatur habere effectum, quam datus per peiorem? Respondetur quod non: & ratio assignatur, quia suum habet effectum ab agente principali, nõ instrumentali. Septimus Casus: An sacerdos in peccato mortali existens mortaliter peccet, cũ baptizat? Respondetur: quod vel baptizat cum solennitate se habens, vt minister Ecclesiæ: vel in casu necessitatis, & non quasi minister Ecclesiæ: si primo modo mortaliter peccat: at secundo modo, non. octauus casus: An recipiens baptismum, vel aliud sacramentum à malo sacerdote peccet? pro solutione huius difficultatis distinguo. nam

sacerdos

ſacerdos vel eſt preciſus ab Eccleſia, vel non: ſi ſic: adhuc diſtinguo: quia vel recipit in caſu neceſſitatis, vel extra: ſi primo modo adhuc diſtinguo: vel enim eius peccato communicat, vel non: ſi non, peccat minimè, baptiſmum in tali caſu à malo recipiens, ſicuti non peccat recipiendo à malo ſacerdote non preciſo: nam iuſtum facit petendo ſibi baptiſmũ adminiſtrari. Nonus caſus: quid agendum ſi ſacerdos nolit baptizare ſine pretio? Reſpondeo: quòd in hoc caſu baptizandus, vel eſt adultus, vel puer: ſi adultus, ſufficit ei baptiſmus in propoſito, vel in deſiderio ad ſalutem: quia tunc dicitur baptizari baptiſmo flaminis ideſt contritionis: nec propter hoc debet ſymoniam committere baptiſmum pretio emendo: ſi verò baptizandus ſit puer, tuuc ille, qui offert puerum, potius debet puerum baptizare, quam pretium ſacerdoti pro baptiſmo ſymoniacè dare, tamen licitum ei foret aquam emere, ſi aliàs aquam habere non poſſet. Decimus Caſus: An ſacerdos hereticus, vel alius infidelis baptizans Baptiſmi conferat Sacramentum. ad hoc dicitur: quòd hereticus ſacerdos, vel quicunque infidelis, dummodo debitam formam ſeruet, & baptizandi habeat intentionem, verùm ſacramentum conferi: quia baptiſmus ex baptizantis merito non habet efficaciã, ſed ex Chriſti merito. Vndecimus caſus: An Demon in figura ſacerdotis apparens poſſit baptizare? Reſpondetur quod immergere quidem poteſt, at non baptizare. primo quia non eſt de Eccleſia nec actu, nec potentia: ſecundo quia ſibi ſacramentorum diſpenſatio non eſt conceſſa. Duodecimus caſus eſt: An Angelus bonus in figura Dominis apparens, vel ſacerdotis poſſit baptizare? Reſpondetur quod non: quia talis poteſtas Eccleſiæ militanti fuit conceſſa

non

non triumphanti. insuper quia Angeli, vt comprehensores non dicuntur habere conuenientiam cum sacramento, neque cum Christo, qui est actor sacramenti. & hęc pro pręsenti.

AN BAPTISMVS IN AQVA FIERI DEBEAT. Lectio XXIII.

VT nobis facilis ad subsequentem distinctionem pateat aditus, hodierna die nos duo perpendemus. & primo: An in aqua baptismus fieri debeat: insuper differentiam baptismi fluminis ab alijs. circa primum: solent argumentari quidam negatiuè sic: baptismus sepulturę Christi videtur assimilari, nam Rom. vi. dicitur. consepulti enim sumus cum illo per baptismum; in mortem at Christi sepultura in aqua minimè fuit, sed in terra: baptismus ergo non in aqua sed in terra fieri debet. pręterea: similes effectus à similibus solent prouenire causis: at baptismus, & circuncisio similem habent effectum: igitur vt circuncisio non fiebat in aqua nec baptismus debet fieri in aqua. In oppositum se habet illud Io. iii. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu Sancto non potest intrare in Regnum Dei. Pro dilucidatione huius quęsiti perbreuis, velim primo supponatis: baptismum debere fieri in aqua ex institutione diuina. insuper non esse de necessitate salutis: quod fiat per immersionem: quia potest fieri per aspersionem, vel super effusionem, licet congruentius fiat per immersionem, & per trinam magis, quā per vnam. nunc ad argumenta illa duo formata quid dicē-

dum accipite: primum etenim concedi habet de congruitate, non de necessitate: & ratio assignatur, quia presentatio sepulturæ minimè est de sacramenti necessitate, sed tantum de congruitate, cum sit res extrinseca, & nō contenta. significatio verò sacramentorum per se respicit effectum contentum, cui magis in aqua, quam in terra respondet, ad secundum de similitudine reperta inter circuncisionem, & baptismum quantum ad effectum dici potest: quod & circuncisio, & baptismus habent aliquid simile, inquantum significant aliquid spirituale, quo modo conuenit aqua baptismi cum instrumento circuncisionis, quia per vtrunque fit ablatio alicuius: ibi preputij, hic verò sordium corporis. ibi ablatio originalis peccati, & hic sufficienter. in effectu ergo est similitudo: at in materia nequaquam. & ita ruit secundum argumentum. iam primo explanato puncto, superest secundum, vbi discrimen inter baptismum fluminis, & alia genera baptismi secundum Damascenum considerandum. nam fluminis baptismus in quatuor ab alijs differe videtur: scilicet ex parte dependentiæ: indigentiæ: continentiæ: & sufficientiæ. primo ex parte dependentiæ: quia illa baptismata scilicet flaminis idest contritionis, & sanguinis idest martyrij dependent à baptismo aquæ in proposito, vel desiderio: quia baptismus flaminis, & sanguinis idest penitentiæ, & martyrij non valent ad regenerationem, nisi ei, qui baptismum aquæ in proposito, vel desiderio habet: scilicet quando articulus necessitatis non vrget. quod si vrgeat, nec ob id Religionis sacramentum contemni debet: nam tunc illa duo baptismata in virtute baptismi aquæ in proposito agunt. secundo ex parte indigentiæ differunt: eo quia maioris necessitatis illud est, quod absolutè

solutè necessarium est, quam illud, quod cum conditione, & secundum quid: at baptismus aquæ in actu, vel in proposito sic se habet: illa verò duo flaminis, & sanguinis solum sub conditione sunt necessaria, vbi baptismus aquæ haberi non posset: quare, &c. tertio ex parte continentiæ differunt: quia aquæ baptismus duplicem virtutem continet: scilicet virtutem in significando: & virtutem in efficiendo. at illa duo baptismata sanguinis, & flaminis solum spiritualem in anima causant effectum, vnde non dicuntur sacramenta, sed baptismata. quarto ex parte sufficientiæ differunt: quia baptismus aquæ sine illis duobus per se sufficit: at illa non sine baptismo aquæ, vel in actu, vel in proposito. & hęc de duobus pollicitis à nobis.

QVOD ALII SVSCIPIVNT REM, ETC.
Distinctio 2.
Lectio XXIIII.

P*Ostquam determinatum fuit hactenus de baptismo quātum ad ea, quæ sibi conuenire dicebantur: consequenter nunc in presenti distinctione quarta de eodem agendum, quantum ad suscipientes. habito his paucis verbis nexu presentis cum superiori distinctione: ad diuisionem modo accedo: diuidi enim habet in secta tria hęc distinctio, in quorum primo declaratur in quotuplici discrimine sint accedentes ad baptismi sacramentum. in altero quorundam error excluditur. in tertio quo modo per baptismum paruulis gratia conferatur. Nos circa primam partem versaturi, quatuor perpendemus. differentiam primo suscipientium baptismū.*

errorem quorundam secundo. quid de fictè accedentibus ad baptismum tenendum sit tertio. instantiam quarto contra prędicto. quo ad primum scire debetis: accedentes ad baptismũ in triplici discrimine reperiri. quidam enim sacramentum, & rem sacramenti suscipiunt. alij verò sacramentum sed non rem sacramenti. alij rem sed non sacramentum, vt singula singulis correspondeant exempla, ita dicendum: quod illi, & rem, & sacramentum suscipiant, qui ab originali macula mundantur, vt adulti cùm fide baptizati, & etiam paruuli. sed antea quam vlterius tendamus: errorem quorundam ex prędictis emanantem secundo loco proponemus. quidam enim perperam sunt opinati: quod paruulis in baptismo non dimittatur peccatum, nisi sint electi ex prędestinati: innitentes illi verbo Aug. sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant: non intelligentes illud esse accipiendum ita, quod in electis sacramenta efficiunt ad salutem, in alijs ad remissionem facere. quare, & solis electis, & paruulis sacramenta prodesse non negandum: licet in solis electis ad salutem loquendo de adultis efficiant, quod figurant, & paruulis quo ad peccati remissionem: illis ergo ad salutem, & istis ad remissionem. hinc apparet splendidè horum error ex malo intellectu verborum Aug. qui euidenter in suo Enchiridion dicit. à paruulo recenter nato vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur à baptismo: ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo: non igitur negauit beatus Aug. baptismi sacramentum non prodesse paruulis: & hęc de puncto secundo, in tertio de suscipientibus sacramentum, sed non sacramenti rem agendum: nam fictè accedentes solum sacramentum, & non rem sacramenti recipiunt:

unt: quod authoritatibus Sanctorum Patrum confirmatur: & primo authoritate beati Hieronymi dicentis. sunt lauacra gentiliũ, & hereticorum: sed non lauant ad salutem. insuper Aug. ait: Iudeis omnibus communia sacramenta fuisse, sed non fuit omnibus communis gratia: ita baptismus communis est quidem omnibus baptizatis, sed non baptismi, Virtus, id est gratia sine fide: fictè ergo accendentes licet sacramentum suscipiant, non tamen rem sacramenti. contra quam determinationem quarto loco instantia in medium adducenda: Nam beatus Aug. in libro contra donatistas de baptismo, Capite quinto, in tomo septimo videtur dicere: quod fictè accedentes in ipso momẽto, quo baptizantur, peccatorum remissionẽ recipiant, licet post peccatum, propter fictionem remissio frustretur: in accessu igitur ad baptismum dicetur esse remissio, & in recessu frustrari: quare, &c. insuper Apost. ad galatas dicit: quot quot in Christo baptizati estis Christum induistis: ergo fictè accendentes videntur vtrunque recipere. his ita positis, velim primo dicatis: Aug. ibi esse loquutum conferendo, & inquirendo, non determinando, nec asserendo: & ita ruit prima ratio. ad illud verò Apostoli dicatis: quòd loquebatur de his, qui in suo baptismo conformantur, qui scilicet vetustati peccati moriuntur, sicut Christus vetustati pene, isti enim Christum induunt per inhabitationis ipsius gratiam. vel sub alijs verbis dicatis: omnes induere Christum quantum ad perceptionem sacramenti: sed non quantum ad interiorem sanctificationem per gratiam, & charitatem: qui modus competit veris fidelibus, & hec pro presenti satis.

DE

DE ILLIS, QVI REM SACRAMENTI SVSCIPIVNT. TEX. Lectio XXV.

QVoniam in superiori sermone nostro de multis facta fuit mentio: propterea ad vberiorem eorum doctrinam in presenti quinq; exponemus. primo quid sit Adultus. secundo quid puer. tertio quis fictus dicatur, & quot, modis. quarto inquiremus: Num ficte accedens rem baptismi suscipiat. postremo: An Puer baptismi effectum recipiat. quantum attinet ad primum: Adultus, vt scribit Brulefer, ille homo est secundũ Iurisconsultos, qui compleuit 25. annos, quia vsque ibi crescit, & tunc adultus dicitur. Alio modo Adultus est viator rationis vsum habens, per quem discernere potest inter bonum, & malum. dicitur habens vsum rationis, ad differentiam fatuorum, & ratione carentium. cognoscens ergo peccatum, quod commisit, & habens ętatem ad cognoscendum iustum, vel iniustum contra legem Dei Adultus debet dici. Puer verò quandoque seruum significat, quandoque puerilem dicit ętatem: interdum pro filio sumitur: aliquando etiam Puer malitia, & aliquando moribus. vnde Puer malitia centum annorum maledictus est, vt scribit Gerson super Cantico Mariæ. sed Puer moribus, in quo est innocẽtia, humilitas, obedientia, qualis appellatus est Dauid annosus, & Abraam centenarius. hic nos de puero loquimur prout venit à pueritia, & dicitur ętatem significare puerilem, non adhuc vigoratum habens intellectum ad scecernendum hoc ab illo distinctè. Puer ergo hoc modo ille est, qui

vsu

usu rationis actu caret, nec valet bonum à malo discernere. his tertio addatur loco ficti natura, quæ est: aliud prętēdere foris, aliudq; intus habere V. g. si quis vellet suscipere baptismum, eo modo, quo Ecclesia intendit dare, & tamen oppositum habet in anima: vel ostendendo se esse dispositum ad baptismum suscipiendũ, & tamen non est dispositus in animo, aut quia rectam fidem non habet, aut quia mortale peccatum habet in actu, vel in proposito, vel complacentiam, vel nullam displicentiam de peccato: is fictus nuncupandus. Num verò fictè accedens ad baptismum: effectum baptismi recipiat quarto loco videndum. mihi sanè videtur esse dicendum quod sic. nam sacramenta nouæ legis causa dicuntur, & sunt: tunc sic. posita causa, & illius effectus debet poni: ergo fictè baptismum recipiens, illius effectnm videbitur suscipere. ad hoc velim dicatis: quod posita causa, ponitur, & illius effectus, nisi quid impediat: at in proposito ex parte accedentis adest impedimentum: quare ratio ruit. at rursus dicetis: sacramentum nonne gratiam significat? Respondetur quod non ob id in ficto recipitur durante illius fictione: at recedente fictione, tunc causa simul, cum suo effectu dicitur esse. rursus instabitis vos ita dicentes per Apostolũ ad galatas. quot quot in Christo baptizati estis Christum induistis: at nullus induit Christum, nisi per gratiam: fictè ergo accedens dicitur gratiam Baptismi recipere; ad hoc dico: quod aliud est induere Christum secundum nomen, & aliud secundum habitum, & rem: primo modo in proposito de ficto loquendo concedi potest ratio: at secundo modo non: quia baptismi effectum non recipit fictè accedens: solus ergo ille propriè induit Christum, & quo ad nomen, & quo ad habitum,

habitum, qui vtrunque suscipit, scilicet, & sacramentum, & sacramenti rem. & hoc modo communiter sancti Doctores loquuntur de fictè accedentibus ad baptismum, vel sacramentum aliud. qui ponentes gratiæ obicem, scilicet infidelitatem, aut mortale peccatū, quod tunc actu voluntatis committunt, aut de quo commisso nullam displicentiam habent: hi gratiam non consequuntur. dicitur enim sapientiæ primo: spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. & Scotus: nolentem Deus non iustificat: & Aug. qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. quare inquit Scotus. qui habet peccatum, quod sibi nullo modo displicet, nullo modo gratiam recipit. at dicetis: sacramentum nonne suscipit? Respondeo quod sic: ostendendo se dispositum esse ad sacramentum: & tunc etiam recipit characterem: nam quicunque sacramentum suscipit non secus, & characterem: at gratiam non: nisi sit verè dispositus, & consentiens simpliciter. at si contrariè baptizatus, dissentiens simpliciter, & baptizari nolens: nec sacramentum suscipit, nec sacramenti rem. & hęc de quatuor punctis. in quinto speculandum est: An pueri baptismi effectum suscipiant. mihi equidem primo aspectu videtur esse dicendum, quod non: quia non credunt, & iccirco baptismi effectum suscipere non possunt. quod non credant audite: nam fides ex auditu est: at infantes audire nequeunt: igitur, &c. pro intellectu huius quęsiti, de fide duplici distinctione est opus: quędam enim infusa: altera acquisita. insuper sciendum: quod in paruulis fides aliena requiritur, non offerentium, sed Ecclesiæ. In adultis verò fides requiritur propria, non vt recipiant sacramentum, sed vt gratiam consequantur, quæ est res sacramenti. nunc ad argumentum

allatum

allatum quid dicendum patet: nunc licet infantes fidem propriam non habeant, nec illam acquisitam, sufficit. illis tamen aliena ad baptismi gratiam consequendam. & hęc satis.

DE ILLIS QVI SVSCIPIVNT REM, ETC. TEX.
Lectio XXVI.

QVam breuissimè potuimus huius distinctionis primam dilucidauimus partem: consequenter impręsenti ad secundam deueniemus: vbi Magister Sent. verba facturus de rem, & non sacramentum suscipientibus, Sex pollicetur. primo enim declarabit quosdam rem sine sacramento suscipere. secundo instabit contra pręd icta. tertio soluet. quarto quorundam circa baptismum errorem ponet. quinto notandum. sexto adulti ad pueros penes fidem comparabuntur. quantum ad primum: vt cognoscere valeatis, qui nam sint rem suscipientes, & non sacramentum, vna cum Magistro dicendum. omnes pro fide Christi sanguinem fundentes, nec non cum bona fide, & suorum peccatorum vera contritione morientes, nec copiam baptismi sacramentum recipiendi habentes: hoc in casu saluari, iustificariq; sine aqua baptismi. cuius rei ratio est: quia Dei potentia sacramentis minimè est alligata, & ideo sine ipsis salutem potest conferre nobis. hoc exemplo latronis in cruce pendentis confirmari potest: cui Christus dixit: hodie mecũ eris in paradiso: licet beatus Aug. non asserat: Vtrum baptizatus fuerit, vel non. & hęc pro primo puncto. in altero disputatiuè pro-

cedendo Magister cōtra prędicta authoritatibus quibusdā obijcit, ut doceat: tales non posse saluari absque aqua baptismi. Nam Dominus Nicodemo dixit: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto non potest intrare in Regnum Cęlorum. insuper nonne omnium sacramentorum ianua est baptismus? quo igitur modo saluari poterunt illi, qui e, vita pręsenti sine aqua baptismi recedent? extant multæ aliæ authoritates pro confirmatione huius negotij, quibus in tertio puncto duplici modo est occurrēdum: primo sic: quod illi per veram pęnitentiam, veramq; contritionē, & fidem, possint regenerati, non habentes opportunitatem, & copiam recipiendi sacramentum. at habentes tempus opportunitatemue sacramentum in re suscipiendi, & ex contemptu non suscipientes: hi proculdubio non erunt salui. sub quo sensu prętallegatæ authoritates intelligendæ. his quarto loco error quorundam circa baptismum contingens apponendus: nam quidam sunt opinati: adultum per fidem, & charitatem sine baptismo non posse saluari, nisi pro Christo sanguinem fundat: cui opinioni sic satisfaciendum: quòd authoritates huic fauentes debeant intelligi, si adsit tempus, & contemptus baptismi. nam si adsit fides, & vera contritio, nec non baptismum suscipiendi intentio, & tamen prǫuenti morte nequeant baptizari: tunc omnipotentis Dei benignitas pro sacramento eis, quod defuerat supleat, nulli dubium: habet enim D. Aug. super leuiticum Cap. 84. in tomo 4. inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, & profuisse sine visibilibus sacramētis. & ita sectio quarta patet. in quinta datur tale notandum. quamuis, ut dictum fuit; quidam sibi visibili possint sacramento saluari, non propter hoc visibile sacramentum

tum

tum contemnendum: quoniam sacramenti contemptor inuisibiliter sanctificari non potest. vltimo loco sit comparatio inter adultos, & pueros, cognoscendi gratia: num eodem modo vni, sicut alteri prosit fides. declinando itaque ad negatiuam partem Magister Sent. asserit non tantum pueris alienam fidem valere, quantum adultis fides propria. an hoc sit verum audite: in paruulis enim fides Ecclesiæ sine sacramento non sufficit: quia si moriuntur sine baptismo damnantur. at dicetis: cum nequeant pueri tale peccatum originale vitare, non eis pęna talis esset ascribenda: ad hoc potest dici: quòd, & si in se ipsis originale peccatum non possint euitare, in alio tamen potuerunt euitare: quare, &c. In adultis verò totum oppositum dicendum: per propriam etenim fidem, per charitatem, & contritionem, dummmodo non adsit opportunitas baptizandi, neque contemptus, possunt saluari. & hęc pro pręsenti.

SOLET QVAERI DE SANCTIFICATIS. TEX. Lectio XXVII.

DE tribus partibus in quas distinctio pręsens descendebat, duas hactenus explicatas habetis. superest tertia, & vltima in pręsenti consideranda: quæ quatuor continet dubia. quorum primum originem trahit ex sanctificatis per fidem, per charitatem, & contritionem: queritur ergo quid vtilitatis subsequens sacramenti receptio conferat ipsis iam, vt diximus sanctificatis: videtur enim nihil conferre, nihilq; pręstare: igitur superflua. ad hoc velim dicatis: superfluam minimè esse dicendam: immo val-

de vtilem ipsis esse talem baptismi receptionẽ: nam licet per fidem, & contritionem iustificentur, & à peccati macula purgentur, nec non à debito pęnæ ęternæ absoluantur: nihilominus teneri dicuntur ad satisfactionem, ad quã in Ecclesia penitentes obligantur: per susceptionem autem baptismi obligatio hęc, seu satisfactio remittitur, & à peccatis, quæ iterum post conuersionem attraxerunt, mundantur & gratia in eis, & omnis Virtus augetur. insuper fomes magis debilitatur: pręter hęc, intra Ecclesiam numero, & iudicio Ecclesiæ collocantur. qui ergo mundus est, accedat vt mũdior fiat: qui fidẽ habet, accedat vt amplius siue plenius habeat: inquit enim beatus Hieronymus: fides quæ fideles facit in aquis baptismi datur, vel nutritur: non habenti datur: & iam habenti, vt plenius habeat: sanctificatis ergo multum vtilis baptismi ipsa receptio. enodato iam dubio primo, alterum subsequitur sub tali verborum forma: nã quęritur, cum in baptismo remittantur peccata, & pęnæ reatus soluatur, cur penalitates ex peccato consecutæ non tollantur. huic difficultati duplex responsio potest assignari: vna est, ne talis ablatio penarum finale baptismi pręmium videretur, & non Regnum ęternum, vt ergo quęratur vita, quæ à pęnis omnibus libera, & aliena erit, ob id penalitates remanere dicuntur. altera ratio assignatur, & est: vt scilicet baptizatis pugnandi materia, & vincendi detur. non enim aliquis vinceret, nisi pugnaret: nec pugnaret, si in baptismo omnes tollerentur penalitates: ratione ergo finis, & exercitij non tolluntur in baptismo penalitates. & hęc de duobus dubijs. quibus tertium nectitur sub his verbis. cuiusnam rei baptismus ille sit sacramentum, & signum, cum prius iustificati postea baptizantur?

tur?

tur? Responderi potest ad hoc: quòd signum sit remissionis prius factæ, veluti in non perfectis iustificationis faciendæ. si tamen non adsit impedimentum. tandem, vt hęc distinctio claudatur si dubitatur: An pueri in baptismo gratiam recipiant. de adultis dignè recipientibus non videtur dubium, at de pueris sic: quia gratia dari dicitur ad voluntatis prẹparationem: sed paruuli actu voluntatis vti non possunt: igitur, &c. ex alio latere, si gratiam non reciperent non saluarentur: dicendum itaque venit: quòd gratiam per baptismum consequantur. & ad instantiam ita respondendum: paruulos in baptismo gratiam non suscipere: hoc duobus modis considerari posse: vno modo quantum ad vsum in actu: alio modo quantum ad habitum, siue in habitu: primo modo non recipiunt in vsu: at secundo modo sic. in cuius rei signum illud extat, quòd cum deuenerint ad ætatem perfectam, habitu existente in via naturæ dicentur, vti posse: nisi aliud obstet, & impediat, quod peccando euenire posset. & hęc de pollicitis.

DE CHARACTERE.
Lectio XXVIII.

HOC *nomen non videtur multum vsitatum in scriptura, nec apud alios Doctores, nisi Apocalyp. 13. vbi fit mẽtio de charactere bestiæ, vt de signo, vel in manibus, vel in fronte ad sectam bestiæ pertinente, non vt de aliquo signo animę impresso, quo vltimo nos intendimus loqui modo. Character ergo, vt accipitur à Theologis breuissimè sic describitur. character est si-*

gnum

gnũ ſpirituale à Deo ſolo animæ impreſſum in ſuſceptione irreiterabilis ſacramenti, manenens indelebiliter de lege communi. qui cognoſcitur ſuſcipiens eſſe in tali ſtatu. & dicitur à Deo, quia reſpectu characteris, nulla creatura habet cauſalitatem actiuam. & ſicut gratia à ſolo Deo creatur: ita, & character à ſolo Deo creatæ animæ imprimitur. dicitur manens indelebiliter, ad differentiam virtutis, & gratiæ, quæ licet conferantur per ſacramenta, non tamen dicuntur manere indelebiliter. ratio autem indelebilitatis characteris, ſola voluntas diuina eſt, & ordinatio, qua ordinauit, quod character poſt impreſſionem non deleatur: ſicut ordinauit, quod Angelus, vel anima poſt ſui productionem eſſe non deſinat: & ideo additur in diffinitione de lege communi. at dicetis: num in Damnatis deletur character? Brulefer reſpondendo ait, quod nõ: & hoc ad ipſorum opprobrium, & maiorem confuſionem: ſicuti in beatis ad maiorem eorum gloriam, & pulchritudinem. in quibus verò ſacramentis imprimatur character de facili intuenti ſacramẽta patebit: nam in baptiſmo: in confirmatione: & in ordinis ſuſceptione: in alijs verò minimè. Num verò in eſſentia animæ, vel in intellectu, vel voluntate, aut in tota imagine collocandus, quia hic variæ ſunt opiniones, iccirco in ſequenti determinabimus lectione; ſat nunc ſit cognouiſſe quid ſit character, & à quo, quia à Deo in ſignum gratiæ, non quidem ex natura, ſed ex inſtitutione diuina. & hęc ſatis.

AN

AN CHARACTER SIT IN ESSENTIA ANIMAE.

Lectio XXIX.

IN gratiam eorum, quæ superius tacta fuerunt, duas in præsenti nostro sermone excitabimus quæstiones: quarum prima: An character in animæ essentia ponendus. insuper: An omne peccatum quantum ad culpam per baptismum remittatur. quantum ad primam, quibusdam videtur esse dicendum, quod character in voluntate sit ponendus: nam character dicitur signũ, vel fundamentum obligationis animæ ad Deum: at homo principaliter Deo obligari dicitur per voluntatem: character igitur in potentia volitiua, vt in proximo erit subiecto ponendus. insuper character dicitur esse proxima dispositio ad fidem: fides autem habet esse in intellectu: non igitur in essentia animæ neque in voluntate. ex alio latere, quoniam character dicitur dispositio ad gratiam, gratia autem in essentia animæ sicut vita ponitur: igitur, & character in essentia animæ. Pro determinatione huius difficultatis primæ, scire debetis: quod hic non intendimus de charactere loqui secundum, quod ad sectam bestiæ pertinet: at tantum pro eo, quod facit nos in cognitionem venire alicuius: quo modo ablutio baptismatis, etiam forma baptismi character potest dici, scilicet pro signo exteriori. alio modo pro actu siue pro signo animæ impresso, quòd est præuium gratiæ in susceptione sacramenti irreiterabilis capitur character, vt hic. de quo extant variæ opiniones: nam quidam volunt subiectiue in animæ esse ponendum: quidam alij in essentia, potentia, intellectu, & voluntate,

voluntate, cum potentiæ animæ sint idem cum anima ipsa. D. Thomas ponit characterem in intellectu: Scotus autem in voluntate. quidam alij in tota imagine trinitatem representante. pro quarum opinionum determinatione: primo supponendum: quod character impressus ad disponendum ad gratiam, & ad discernendum ouem dominicam à lupis, in prima specie sit qualitatis: si verò dicatur quoddam infusum supernaturaliter disponens subiectũ naturaliter, ad cętera suscipiendum sacramenta: tunc erit in secunda specie. si vt qualitas inherens, erit in tertia specie: & si vt productũ à Deo, tunc in predicamento erit passionis. si vt obligatorium distinctiuũ, erit in predicamento Relationis. quæ veris sunt logicis manifesta. Nunc ad obiecta formata quid dicendum audite: primum etenim formaliter loquendo de subiecto proximo characteris habet cõcedi. alterum verò secundum quid, quantum ad dispositionem. ad illud verò ponentium characterem in essentia animæ de facili est respondere: concedi hoc enim potest mediate, non immediate. insuper loquendo de subiecto remoto non de propinquo. ad illud verò dicentium, quod in tota imagine, dico: representatiuè verũ concludere. & hęc pro prima quęstione. post quam sequitur altera, vbi queritur: An omne peccatum tollatur per baptismum. mihi prima fronte videtur, quod non: nam solum per carnalem generationem originale contrahitur peccatum: igitur per baptismum, qui est regeneratio spiritualis tolletur nisi originale peccatum. pręterea: si de se actuale peccatum tolleret, tunc in Adultis baptizatis, non esset necessaria pęnitentia, quæ ordinatur contra actuale: at necessaria est, vt habetur actuum. ii. vbi dicitur, pęnitentiam agite, & baptizetur

vnusquisque

vnusquisque vestrum: ergo. In contrarium se habet D. Aug. in Enchiridion. A paruulo recenter nato, vsque ad decrepitum senẽ, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo: sed paruuli tantummodo originali: maiores autem moriuntur omnibus peccatis, quæ malè viuendo addiderunt. Pro determinatione huius secundæ difficultatis, scire debetis: baptismum indignè suscipientibus ipsum, omnem quantum est de se culpam tàm originalem, quàm actualem tollere. voco autẽ dignè suscipientem illum, cui displicet omne peccatum ab eo, commissum, tàm mortale, quàm veniale. Nunc ad rationes adductas superest respondere: prima ergo concedatur de pueris, at neganda est de adultis. vel sic: quod primo originale tollatur per baptismum, & ex consequenti omne aliud contractum. ad secundam rationem distinguendum est de triplici pœnitentia: nam quędam dicitur sacramentum, & consistit in actu exteriori confitentis, & absoluentis: & hęc baptizandis quantumcũque adultis, non est necessaria: quia baptismus est omnium sacramentorũ ianua. secunda pœnitentia est contritio sufficiens gratia informata: & hęc non requiritur ante baptismum, alioquin Adultus baptizandus semper esset ante baptismũ iustificatus. tertia pœnitentia dicitur quędam displicentia peccati commissi, quæ licet informis, & imperfecta, nec sufficiens ad delendum peccatum, vt est attritio: est tamen sufficiens dispositio ad suscipiendum baptismum, eo quia tollit fictionem: & de tali debet intelligi illud, quod dicitur Actuum. ii. & hęc satis.

AN PER BAPTISMVM OMNIS PAENA DELEATVR.

Lectio XXX.

DVO alia prędeclaratis hodierna die erunt addenda quęsita: quorum primum: *An omnis deleatur pęna per baptismum.* insuper: *An vsu carentibus rationis, baptismus conferendus.* quantum ad primum, mihi videtur esse dicendum, quod non: quia non tollit fomitem: sitim: neque virium sensitiuarum repugnantiam ad rationem, quæ omnia sunt originalis pęnæ peccati: ergo. In oppositum se habet Ambr. super illud Rom. xi. sine pęnitentia sunt dona Dei, & vocatio, &c. propterea pro intellectu difficultatis propositę primo supponendum: qđ per baptismum omnis pęna tollatur per se peccato originali debita. Nunc rationi adductę ita respondendum: baptismum scilicet omnem tollere pęnam originalis peccati, quæ sit eius, per se pęna: sicut priuatio gratiæ in pręsenti, & carentia gloriæ in futuro. pęna autem quæ originali peccato per accidens debetur non tollitur, vt est fames, &c. quia ista dicuntur esse à natura per se: licet sint à peccato originali, vt à causa remouente prohibens. cur autem remaneant huiusmodi pęnæ superius dictum fuit à nobis: quia ad maius meritum. explicata paucis verbis difficultate prima in hunc modum: subsequitur altera examinanda: *An scilicet vsu rationis carentibus sit conferendus baptismus.* pro parte negatiua sic arguunt quidam dicentes: viuentibus vita humana debet dari baptismus: at carentes vsu rationis humana vita minimè viuunt, quia ratione non vtuntur: igitur ipsis ba-

ptismus non conferendus. insuper soli credentes debent baptizari iuxta illud: qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. sed carentes vsu rationis credere non possunt: igitur baptizari non debent. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ est sciendum: aliquos vsu rationis carere triplici de causa. primo propter imperfectionem ętatis, vt pueri, vel infantes: secundo propter infirmitatem, vt frenetici, vel amentes: tertio propter passionem somni, vt dormientes. de primis nulli dubium: nam illis dari debet in remedium salutis. de freneticis autem, atq; amentibus vsu rationis carentibus est distinguendum: quia aut à natiuitate fuerunt tales, nec aliqua lucida habuerunt interualla: & de talibus idem, est iudicium, quod de pueris: aut amentiam irruerunt ex infirmitate, vel habuerunt aliquod lucidum interuallum: & isti nunquam tempore amentiæ sunt baptizandi, nisi casus necessitatis vrgeat: aut ipsi fuerint in pręcedenti lucido interuallo in proposito. de dormientibus autem est dicendum: quod nullo modo sint baptizandi extra casum necessitatis. His pręmissis, ad argumenta nunc respondendum: & primo ad primum, distinctione pręmissa de viuentibus humana vita: viuere enim humana vita stat dupliciter: aut propter opera vitę, aut propter principium vitæ: primo modo sunt homines ratione vtentes: alio modo infantes: licet ergo vita humana per vitæ opera non dicantur infantes viuere, quo modo currit argumentum: nullum tamen dicitur esse secundo modo loquendo de humana vita, qua viuunt isti, & qua idonei sunt ad susceptionem baptismi; secundum argumentum de adultis currit: quare nullum. & hęc de pollicitis.

QVIS BAPTIZARI POSSIT: ET QVIS NON. Lectio XXXI.

INter omnia alia quæ de baptiſmo diximus nunc maximè varietas ſuſcipientis conſideranda. nam ille qui eſt baptizandus, vel eſt paruulus, vel adultus: ſi paruulus: caſus decem ſub queſtione ponendi occurrunt. primus eſt: An in vtero matris exiſtens ſit baptizandus. Reſpondetur ad hoc: quod non: quia nondum membris Eccleſiæ militantis connumeratur: inſuper quia qui nondum natus, renaſci non poteſt, ſicuti, qui non vixerit, mori non poteſt. ſecundus caſus: An dum eſt in vtero matris baptizetur, baptizata matre, ad minus dum eſt in periculo mortis? Reſpondetur quod non: & ratio aſſignatur, quia licet puer ſecundum, corpus ſit matri coniunctus, quod à matre contraxit: eſt nihilominus diſtinctus à matre ſecundum animam rationalem, quam ab extrinſeco habet, ſcilicet à Deo. quare baptizata matre, non oportet, quod eius filius baptizetur. Tertius caſus: An paruulus ſeminatus baptizandus? Reſpondetur: quod aut mortis periculum timetur, aut non: ſi non, vniuerſalis egreſſio expectanda erit, antequam baptizetur: & ratio aſſignatur, vt ſcilicet natiuitas, ſecundum carnem, proportionetur natiuitati ſecundum ſpiritum. Si autem de periculo mortis timeatur, tunc ille puer baptizandus, vt inde animæ rationalis habeatur ſalus. Quartus cauſus: An indifferenter in quacunque parte baptizandus, aut in aliqua parte determinate? Reſpondetur ſic: quod egreſſa principali parte, vt puta capite, in quo omnes perfectiones, vel animæ operationes magis manifeſtantur, debet baptizari. Secus

ri. Secus autem est de alijs partibus, vt de manu, & pede, quamuis non noceat, etiam si tunc aspergerentur illæ partes aqua baptismali, quia diuina misericordia, non est artanda. si postea plenariè nascatur, non erit secundum quosdam rebaptizandus: at secundum D. Thomam nihil periculi accidet, si ad maiorem cautelam, sub hac forma rebaptizetur: si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c. Quintus casus: An mater parturiens, vel quando est in periculo mortis scindi debeat, vt extrahatur puer, & baptizetur? Respondetur quod non: nam non sunt, facienda mala, vt inde eueniant bona. si verò sectio fieri posset sine mortis periculo, aliter dicendum foret. Sextus casus: An paruuli in vtero sanctificari possint? Respondetur quod sic: quia Deus virtutem suã rebus naturalibus non alligauit, vt non possit pręter eas, cum voluerit operari, vt in actibus miraculosis facit. Septimus casus: An sanctificati in vtero sint postea baptizandi? Respondetur, quod sic, vt patet de Ioanne Baptista: qui in vtero sanctificatus, dixit se debere baptizari à Christo. Octauus casus est: propter quam causam sanctificatus in vtero baptizetur? Respondetur, vt si habet, plenius habeat, & vt passioni Christi conformetur: insuper in signum pręcepti: nulla etenim sanctificatio ab obseruantia diuini mandati absoluit: igitur nec à baptismi susceptione. addite vos id fieri in signũ obedientiæ, & humilitatis, & characteris: quæ tria sanctificatus in vterò habere dicitur, dum baptizatur. Nonus casus: An paruulus non habens vsum rationis, cum baptizatur, sacramentum, & rem sacramenti recipiat? Respondetur quod sic: propter fidei Ecclesiæ consensum. Decimus casus: An sit melius in pueritia baptis-

mum recipere: An vsque ad ętatem adultam differre? Respondetur, quod in pueritia. primo ratione criminis: secundo propter corporis imbecillitatē: tertio propter Dęmonis oppressionem: quarto propter boni operis assuefactionem.

QVOD BAPTISMVS, ETC. TEX.
Distinctio 5.
Lectio XXXII.

IAM quartam expediuimus huius libri quarti Distinctionem, vbi erat sermo de sacramento baptismi, quantū ad suscipientes: accedit consequenter in ordine quinta: in qua de eodem agendum, quo ad conferentes. pręmisso in hunc modum ordine, vna cū Magistri intentione diuidi modo poterit pręsens distinctio in Secta tria principalia. in quorum primo declarabitur, à quibus possit conferri baptismus. in altero propositio animaduersione digna ponetur. in tertio, & vltimo dubium cum solutione. quantum ad primū, à Magistro ne recedamus, ita dicemus: à bonis, & à malis verum baptisma posse dari ministris, & ęque Sanctum esse ab vtroque. non enim peior baptismus dicitur dari à bono, quam à malo, nec maius, nec minus, sed ęquale munus: quia non est hominis, sed Dei munus. quod authoritate beati Aug. confirmari habet ita dicentis: baptismus talis est, qualis ille, in cuius potestate confertur: at in Dei potestate datur: igitur tàm à bonis, quàm à malis poterit hoc sacramentum administrari, quia in nomine Christi ministerium in baptismo habent: licet sibi Christus potestatē retinuerit principalem,

& hoc,

& hoc, ne tot baptismi viderentur, quot homines. insuper ne homo in hominem spem poneret. & hęc de primo puncto. in altero ponitur hęc propositio. Quamuis hęreticus, seu scismaticus solum recipiat sacramentum, non tamen illius virtutem, & incrementum accipit: supponendo, quod extra Ecclesiam, hoc sacramentum acceperit. at dicetis: quid hoc in casu agendum? Respondetur, debere ad Ecclesiam reuerti, non iterum, vt baptismum accipiat, quia integrum sacramentū iam accepit, si in nomine trinitatis prius baptizatus fuit: sed vt in societate chatolica vitam recipiat. nam baptismus extra Ecclesiam chatolicam prodisse non potest, sicut nec eleemosyna. enodatis hucusque Sectis duobus: tertium superest dubium continens: quod ex prędeclaratis originem trahit. quęritur enim ex quo Deus dedit baptizandi potestatē hominibus ministerialem, & sibi principalem retinuit, quę nam sit ista potestas, quam potuit dare hominibus, & non dedit. existimarunt quidam talem fuisse potentiam dimittendi peccata: at si huiusmodi potuisset hominibus dari, non secus illa creandi, & ita se ipsum dedisset Deus, nec non creatura creator esset effecta, quod nō est dicendum. pro dilucidatione huius difficultatis, genera plura potestatum sunt prępmittenda. quorum vnum, nec dedit, nec dare potuit Christus: alterum, & potuit, & dedit: cętera potuit, sed dare noluit. circa baptismum ergo sex annotari possunt potestates: Prima est autharitas, quam Deus à se ipso, non aliunde habet potestatem interius à culpa mundandi. secunda est cooperationis, vt homo diuinitus accepta potentia in tali actu esset cooperator. tertia est excellentię, vt secundum abundantiorem gratiam existentem in baptizante maiorē conferret gratiam baptizando.

baptizando. quarta est inuocationis, vt in nomine Petri posset homo baptizari, sicut in nomine Trinitatis. quinta est institutionis, vt sicut Christus potestatem habuit baptismum instituendi in aqua, ita alius haberet in aqua, vel alibi. Sexta ministerij, vt per hominem exterius, & verbum, & elementum possit ministrari. Primam nec dedit, nec dare potuit: vltimam dare potuit, & dedit: de intermedijs dicunt Doctores: quod dare potuit, sed non dedit, ne spes in homine poneretur. quartam verò, & quintam minimè dedit, ne tot essent baptismi. de potestate autem cooperationis extat controuersia non leuis. nam Magister dicit in textu, quod illam dare potuit: attamen hic communiter negatur, nec eius opinio probatur. at quia D. Aug. hoc dicere videtur, propterea notandum venit: q̄d cooperari alij stat dupliciter: vel per modum verè efficientis: vel per modum disponentis. primo modo Deus dare non potuit: quia creatura capax non fuit: nec hoc modo beatus Aug. intellexit. secundo verò modo dare potuit: vt homo gratiam, secundum actum interiorem baptizato obtineret, non ipsam efficiendo, sed impetrando: sicut dedit homini virtutem faciendi miracula, non quia ipse ea efficere, sed quia virtute sibi à Deo data, quotiens vellet, impetraret. & hęc de tota distinctione quinta pauca sufficiant.

AN A MALIS MINISTRIS POSSIT CONFERRI VERVS BAPTISMVS. Lectio XXXIII.

Circa distinctionem prędeclaratam in dubium duo principalia solent reuocari: quorũ primum: An à malis ministris verus

dari

dari queat baptiſmus. inſuper: An malus miniſter baptizando peccatum incurrat. quantum ad primum, ſic proceditur. vt materia indebita ſacramentum euacuat: ita indebitus miniſter qui malus: ergo à malis, non videtur poſſe conferri baptiſmus verus. inſuper aridum membrum corporis, non videtur participare actionẽ: ergo nec malus miniſter, cum ſit aridum membrum iſtam poterit exercere actionem: non ergo à malis, &c. In contrarium ſe habet in litera Magiſter, iccirco pro Reſponſione ſciendum: miniſtrũ dici poſſe malum bifariam: vno modo moraliter: alio modo formaliter. ſi primo modo dico: quod baptiſmum poteſt conferre. ſi ſecundo modo nequaquam: & ratio aſſignatur, quia ſic formaliter captus miniſter malus, Eccleſiæ intentionẽ minimè habens baptizandi, tunc verum baptiſma, non confert. His ita poſitis, ad rationes formatas Reſpondeo, & ad primam, ſic dico: quod miniſter malus licet de ſe, ſit indebitus: eſt tamen debitus huius ſacramenti miniſter, ſi habeat ea, quæ ad ſacramentum concurrunt. ad ſecundam cõceditur: miniſtrum malum, aridum eſſe membrum in his, quæ pertinent ad meritum: quia talis adminiſtratio, non ſibi ad meritum, ſed potius ad peccatum dicitur. non tamen aridum membrum in his, quæ pertinent ad miniſterium, ſi concurrant in eo, quæ ſunt de miniſtri neceſſitate. explicata prima difficultate, altera ſubſequitur, & quod malus miniſter baptizando non peccet, ſic primo probatur. offerens baptizandum malo miniſtro, non dicitur peccare: igitur, neque baptizando malus miniſter peccabit: preterea: in caſu neceſſitatis omnis homo, ſiue fidelis, ſiue infidelis baptizare poteſt: at actus talis communis, non videtur requirere ſtrictiſſimam bonitatem, ac ſanctitatem:

ctitatem: ergo, &c. In contrarium, sic potest argui. peccator alia sacramenta ministrans peccare dicitur: ergo, & malus minister conferendo baptismum. circa quęstionem, hanc duo consideranda occurrunt: primum est: quod mali, cum solennitate baptizantes ministri peccant: primo propter irreuerentiam, quam sacramento faciunt, vt non sancti, sanctum administrantes: secundo quia contra conscientiam, quam immundam habent. baptizantes verò in casu necessitatis, & absque solennitate, vt vetula quędam, tunc excusarentur, quoniam nil contra ministerium indebitum agere viderentur. alterum videndum est: Num à malis baptisma, recipientes peccare dicantur: pro cuius intellectu est distinguendum: vel enim minister malus est pręcisus ab Ecclesia, sicut hęreticus, & excommunicatus, vel non. si sic: tunc distinguo: aut paruulus est baptizandus, aut adultus: si primo modo non peccat, quia rationis vsum non habet secundum actum. si sit adultus, vel cum latet probabiliter esse instrumentum pręcisum: tunc non peccat: vel certitudinaliter nouit, & sic iterum distinguendum: nam vel consentit in malo, vel non: si sic, non est sine peccato: si non, & vrgeat necessitas excusari videtur, dummodo Ecclesię contemptus, non adsit. His ita positis, nunc ad argumenta formata dicendum, & primo ad primum: quod malus minister baptizando respectu actus baptismi, nō peccat: attamen respectu pręcedentis peccati, in quo perseuerat, dicitur peccare. nec non offerens adultum baptizandum pręciso illius peccato consentiendo, & Ecclesię pręceptum paruifaciendo. ad secundum argumentū Respondetur: quod quamuis ad actum communem baptismi non requiratur bonitas ministri, quin per malum

possit

possit conferri sacramentum: requiritur tamen in ministro bonitas, ut euitet peccatum. ad illud in oppositum potest dici: quod baptismus est maioris necessitatis, quam alia sacramenta: & ideo in casu necessitatis poterit à peccato excusari plusquam alia sacramenta ministrans, & hęc de pollicitis.

AN CHRISTVS, VT HOMO POTESTATEM HABVERIT OPERANDI INTERIVS, ETC.

Lectio XXXIIII.

VT nobis pateat facilis Aditus ad subsequentem distinctionem, quęsita duo impręsentiarum examinanda proponemus: quorum primum: An Christus secundum, quod homo habuerit potestatem operandi interiorem sacramentorum effectum. insuper: An potestatem dimittendi peccata potuerit dare hominibus. circa primum, affirmatiuè procedendo, sic ratiocinor: filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ut hētur Mathei. ix. at peccatorum remissio interior effectus dicitur sacramenti: Christus igitur secundum, quod homo potestatem operandi interiorem effectum sacramenti habuit. preterea: si talem nō habuisset potestatem Christus, Magd. & Petro non contulisset effectum sacramenti, sine sacramento: at hoc factum: ergo. In oppositū se habet illud, quod Aug. dicit: in sacramentis diuina Virtus salutem nostram secretius operatur: at diuina Virtus, non est Christi secundum, quod homo, sed secundum, quod Deus: igitur

Christus effectum interiorem sacramenti, non operatur secundum, quod homo, at secundum, quod Deus. Pro dilucidatione huius quæstionis primæ est sciendum: triplicem sacramentorum dari potestatem: scilicet authoritatis: excellentiæ: & ministerij: authoritatis potestas illa est, qua aliquis virtute propria culpam remittit, & gratiam confert. illa verò ministerij potestas, per quam alicui sacramenta ministrare competit. Excellentiæ autem potestas media est inter istas duas, quoniam aliquid de authoritatis potestate participare dicitur, licet non plene. aliquid verò de ministerij potestate, & secundum hoc patet, quod Christus secundum, quod homo potestatem authoritatis respectu effectus sacramentorũ minimè habuit: quia nulli competit, nisi Deo. excellentiæ verò potestas Christo inquantum, homo bene competit: cuius humanitas diuinitatis instrumentum, inquantum in eodem supposito sunt diuinitas, & humanitas. Hęc autem excellentia in quatuor consistit: primo quia ex passione eius baptismus efficaciam habet: secundo quia instrumenta instituit: tertio quia quandoque sacramenti effectum, sine sacramento tribuit. quarto quia ad inuocationem nominis eius baptismus aliquo tempore collatus fuit, vt in primitiua Ecclesia ex causa superius dicta. quod autem dictum est: quod Christus secundum excellentiæ potestatem dedit quandoq; effectum sacramenti sine sacramento, intelligendum est per modum meriti: quia authoritatis potestas ei inquantum homo nõ competebat. His in hunc modum pręmissis. rationes prius formatæ de facili ruent. nam prima cõcedi habet sub hoc sensu: quod Christus in terra potestatem dimittendi, peccata habuit per authoritatem inquantum Deus: quod maximè potuit

per

per curationem paralytici, potestatem verò inquantum homo per ministerium excellentiæ, vt tactum fuit. per idem altera ratio ruit: nam Christus quando effectum hoc potuit inquantum Deus: & meruit inquantum homo. explanata iam prima questione: altera subsequitur, vbi rationibus quibusdam videndum, quo modo potuerit Christus potestatē peccata dimittendi dare hominibus. nam dedit potestatem expellendi Demones, vt dicitur Lucæ. iiii. ergo discipulis dare potestatem dimittendi peccata potuit. rursus apud Ioannem. xx. dixit Christus discipulis suis: accipite spiritum sanctum, &c. quare dimittendi peccata potestatem discipulis dedit. In contrarium illud Euang. se habet: quis potest dimittere peccata nisi solus Deus: ergo, &c. Pro intellectu huius secundæ difficultatis est sciendum: quod Christus hominibus communicare minimè potuit potestatem authoritatis, quia illa non fuit eius, nisi inquantum Deus. de potestate verò excellentiæ, quæ sibi communicata fuit tenetur cōmuniter, quod eam communicare hominibus potuit: sed non decuit. solam ergo Christus potestatem simplicis ministerij ad dispensandum sacramenta, quæ ipse instituit, hominibus communicauit. His ita positis, nunc ad rationem dicitur primam: quod Christus non dedit discipulis eijciendi potestatem per modum authoritatis, & quasi virtute propria: sed solum per modum ministerij: scilicet orando, & inuocando nomen Christi. secundum argumentum debet intelligi solum de ministerio collato discipulis in sacramentorū administratione. ad illud in contrarium dicitur: quod venit intelligendum de authoritatis potestate, quæ nulla puro homini communicari potest. & hęc satis.

QVIBVS

QVIBVS LICENT BAPTIZARE.

Distinctio 6.

Lectio XXXV.

SExtam distinctionem aggressuri de more nostro continuationem primo perpendemus: insuper ad diuisionem festinabimus. ex quo ergo Magister Sent. de baptismo egit per comparationem eius ad ministros baptizantes, & ad baptizatos: consequenter nunc eius sententia est, de eius vsu, & solennitate verba facere. habito nexu his paucis verbis, diuidi modo habet presens Distinctio in tres principales partes: in quarum prima, quibus baptizare liceat declaratur. in altera quo modo per ignorantiam congruæ locutionis sacramentum anihilari possit. tertio quid sentiendũ sit de illo, cui desit congruum testimonium suæ regenerationis. nos duas vltimas dimittentes partes, breuitatis amatores, circa primam versabimur, Sex per ordinem considerantes. quibus primo competat baptizare: insuper contra dicta arguemus: notandum tertio ponemus: dubium quarto: solutionem quinto: instantiam demum contra solutionem Sexto. quo ad primum: loquuturi de baptismi ministro, bimembrem premittemus distinctionem: datur enim duplex minister baptismi: vnus extra necessitatis casum, & talis dicitur esse solus sacerdos super verum Christi corpus potestatem habens. ad quem enim sola sacramentorum dispensatio pertinet, ad eundem quoque baptizare spectat: nullus ergo alius à sacerdote extra necessitatis casum ex officio poterit baptizare: in casu verò necessiatis aliter tenendum. tunc enim quilibet baptizare poterit, siue

sit Vir,

sit Vir, siue mulier, siue fidelis, siue infidelis: siue paganus, siue hęreticus debite baptizans in aqua, habens intentionē faciendi, quod iubet sancta mater Ecclesia. hic tamen animaduertendum, ne infidelis fideli, aut hęreticus non hęretico in baptizando pręponatur: semper enim fidelis infideli pręponendus: & feminæ Vir, & laico clericus in baptizandi officio. at hic video vos acumine intellectus ornati, loco secundo contra pręd.cta, & authoritate, & ratione posse argumentari: nam Cyprianus in materia pręsenti dicebat: baptismum ab hęreticis non posse conferri: immo ab eis baptizatos, esse, rebaptizandos. huic difficultati in hunc modum occurratis velim, dicentes: Cypriani dictum intelligendum fore de baptizatis ab hęreticis pręter formam Ecclesiæ: vel id ex ignorantia prolatum fuisse: quæ deinde in martyrio fuit purgata, vt beatus Aug. dicit. rursus ratione instabitis sic: hęreticus extra Ecclesiam existens, & ridiculose baptizans, nō videtur conferre baptismum: quare, &c. ad hoc dici potest: quod hęreticus licet extra Ecclesiam corporaliter sit, non tamen dicitur extra secundum intentionem, intendendo scilicet, quod Sancta Mater Ecclesia iubet. insuper licet sit extra Ecclesiam baptizando, non tamen Christus est extra, in nomine cuius ille baptizat. quid verò de huiusmodi ab hęretico baptizatis sentiendum? Respondetur: quod illis ad fidem venientibus manus sic imponenda his verbis. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. pręterea: video vos tanquam ab alta specula ex dictis dubitare: quid sentiendū sit de eo, qui ludendo, & aquam aspergendo super aliquos non baptizatos dicit: ego baptizo vos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen. An baptizati?

Respon-

Respondetur: quod talis, vel intendebat, quod Sancta Mater Ecclesia, vel non: si primo modo sunt verè baptizati, licet ille grauiter peccet ludendo, & deridendo, quia irreuerentiam facit sacramento. enodatis iam duobus Sectis, tertium accedit, vbi ponitur notandum ex trina immersione in baptismate facta, originem trahens. quamuis ergo infans in baptismo ter immergatur, non ob id triplex dici debet fluminis baptismus: nam trina illa immersio propter mysterium sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis vnum baptisma facientis, fieri dicitur. his quarto dubium apponitur loco: quæritur etenim: An quis in vtero materno baptizari queat: cui difficultati Respondetur: quod nõ: nam qui mondum natus est renasci minimè potest. at instabitis Sexto loco contra solutionem allatam dicentes: nonne legitur de Io. Baptista, & Hieremia in vtero materno sanctificatis: videtur itaque, quod quis in vtero possit baptizari materno. Respondetur breui: talem prȩter legem communem sanctificationem fuisse. & hȩc de pollicitis satis.

SI BAPTISMVS SIT VERBIS, ETC. TEX. Lectio XXXVI.

TRipartita fuit prȩsens distinctio, quarum vnam in proximo prȩterito sermone meo partē explicaui. supersunt aliæ duæ modo enodandæ, quæ in Sex puncta subdiuidendæ. in dubia tria primo: insuper in vnum notandum: deinde in tempus quo sit celebrandus baptismus: Quarto in distinctionem accedentium ad hoc sacramentum: in dubium quinto: & in notandum de chatechismo,

techiſmo, & exorciſmo Sexto. circa primum moraturi, ſub tali verborum forma, dubia tria proponemus: quorum primum ſe extendit ad corruptè verba baptiſmi proferentem. queritur ergo: An ibi baptiſmus ſit, ſi verba corruptè proferātur. huic primo dubio Magiſter Sent. in textu reſpondendo ait: duo hic conſideranda fore: vnum ex parte intentionis, alterū ex parte imperitiæ proferentis: ſi primo modo ſacerdos corruptè verba proferendo inducere errorem intendebat, vel hereſim, tunc rebaptizandus fuiſſet: at ſecundo modo corruptio verborum proueniens ex ignorantia proferentis tantum, vt euenit in illo caſu illius ſacerdotis dicentis, baptizo te in nomine Patria, & Filia, &c. baptiſmum non viciat, ſicuti determinatum fuit. huic primo dubio alterum nectitur dum queritur: Vtrum illi ſint baptizandi, de quibus certa non habetur noticia, nec teſtimonium ratum clericorum, ſiue propinquorum. huic difficultati reſpondendum eſt, quòd ſic: nec ob id dicitur baptiſmus reiterari, cum nulla de his certitudo extet. his tertium additur animaduerſione dignum dubium: An ſcilicet ille, qui mimicè, & ioculando immergitur, inuocato nominè S. Trinitatis debeat dici baptizatus? ad quòd Reſpondetur, quòd non: & ratio aſſignatur, quia tota fuit intentio ioculandi, & non baptizandi. explanato puncto primo, ſequitur alterum, vbi ponitur notandùm de pueris, ad baptiſmum ſpe commodi temporalis delatis: qui verum recipere dicuntur ſacramentum, quoniam ſimpliciter fidem non abijciunt, licet ſpem inde bona temporalia conſequendi habeant. nunc de tempore, quo tale poſſit celebrari ſacramentū extra caſum neceſſitatis agendum tertio loco venit: nam in Paſcha, & in Pentecoſte, ideſt in Sabbatho

vtriusque solennitatis debet celebrari baptismus. at vrgente necessitate, periculoq; imminente omni tempore dari potest baptismus. his quarto accedentium ad hoc sacramentum addenda distinctio: nam ad baptismum venientes, vel sunt adulti, vel paruuli: si adulti, fidē per se ipsos debent suam profiteri, & exprimere: paruuli verò, & alij qui per se non valent loqui, alijs pro se loquentibus possunt baptizari. quinto loco dubitari solet: ex quo sensu dicatur pro paruulo credo, vel fidem peto. cui dubitationi ita occurrendum: quòd sub sensu id fiat sacramenti baptismatis, quòd fidei sacramentum est: & quòd suscipere paratus sit, vel alij pro illo. vnde quicquid à Patrino pro puero petitur in sacramento baptismi, cū ad ętatem idoneā deuenerit puer, diligentissimè circa illū se Patrinus debet habere, & viam veram seruet, fidemq; retineat, cū pro eo in baptismo pompis Diaboli abrenunciare pollicitus sit. demum superest notandum de chatechismo, & exorcismo: qui chatechismus nil aliud dicitur esse, nisi instructio, per quā baptizandus instruitur de symbolo, & fidei rudimento. exorcismus verò dicitur adiuratio, per quam Diabolus adiuratur, vt expellatur. vnde in eo dicitur: exi immunde spiritus. hic tamen notetis velim: chatechismum, & exorcismum sacramentalia potius dicenda esse, quàm sacramenta. & licet baptismum pręcedere dicantur, non tamen de necessitate: quia sine eis baptismus fieri potest, hęc in tantum de sexta distinctione.

AN

AN QVIS ANTE NATIVITATEM EX VTERO, ETC.

Lectio XXXVII.

EX *Magiſtri Sent. dictis occaſionem nactus, duas examinandas hodierna die proponam queſtiones: quarũ prima: An quis ex vtero ante natiuitatẽ ſancti ficari poſſit. inſuper: An ad baptiſmũ miniſtri intentio requiratur. quantum ad primũ; pro parte negatiua ſic arguitur: vt nullus à peccato actuali dicitur poſſe ſanctificari, quàmdiu eſt coniunctus actui peccati: ita nec quis actu vtero materno coniunctus poterit ſanctificari: male ergo Magiſter, qui in textu oppoſitum dixit. pręterea: omnes poſtquam nati ſunt, baptiſmo egent: non ergo ante natiuitatem quis à Deo curatur ſpiritualiter: ad quid ergo loquutus eſt de ſanctificatis Magiſter? ex alio latere in contrarium ſe habet illud Lucæ. ii. de Ioanne Baptiſta, & de Hieremia: qui antequàm exirent ſanctificati ſunt. pro dilucidatione igitur huius difficultatis primę, ſcire debetis, quid ſit ſanctificatio. eſt enim, per gratiam ſpiritus illuſtratio, ſiue purgatio à culpa. inſuper ſolet ſumi ſanctificatio aliquando pro carnis abſtinentia, quo modo Religioſi, & moniale ſanctificati, ſiue ſancti nuncupantur. aliquando etiam pro cultu diuino. vnde ſic Deo ſeruientes ſancti vocantur. quandoque etiam ſanctificatio dicitur omnium Virtutum repletio Dei gratia. nos hic primo modo de ſanctificatione verba facimus. his pro ſolutione argumentorum vnum per neceſſarium de duplici ſanctificatione addẽdum. nam duplex ſanctificatio datur: vna ſecundum legem communem, quę fit mediante*

ſacramento baptiſmi: altera ex gratia Dei ſpeciali. Nunc ad argumentum primum diſtinguendum eſt (ne laboremus in ęquiuoco) de duplici coniunctione. vna enim eſt infuſionis animæ, per quam acquirit homo eſſe: altera nutritionis. ſi primo modo loquamur, tunc dicendum: quòd nullus ante animę infuſionem ſanctificari poſſit. at ſi de ſecunda aliter tenendum. puer etenim matri per nutritionem coniunctus poteſt ſanctificari in vtero. & quando inſtantia afferebatur de coniuncto peccato, ſimilitudo neganda, nam, ſi actu nõ mundatur pro tanto id fieri dicitur, quoniam in illo actu contrahit mortale: at infans in vtero non, ſic ſe habet: quare argumentum ruit. ad ſecundum argumentum Reſpondetur: quòd ante natiuitatem in vtero exiſtentes baptiſmo non egent, at poſt ſic, vt Eccleſiæ gremio aſcribantur: poſſunt tamen de lege ſpeciali in vtero materno ſanctificari, vt factum fuit de duobus pręnominatis. enodata iam prima queſtione: altera examinanda ſubſequitur de miniſtri intentione: quibuſdam enim videtur: quòd ad baptiſmum miniſtri intentio non requiratur. nam ſi fides nõ requiritur: igitur nec intentio. quòd autem fides nõ requiratur patet: quia hoc modo paganus, ſiue Iudeus baptizare non poſſent contra prius determinata, preterea: videtur quòd ſola Eccleſiæ intentio ſufficiat: ad quid ergo illa miniſtri? In oppoſitum ſe habet ipſa veritas, quæ eſt: quòd ad omnẽ actionem ex libero arbitrio procedentẽ agentis intentio neceſſaria: at ſacramentorum adminiſtratio dicitur actio procedens à libero arbitrio miniſtri: quare neceſſaria erit ad baptiſmum intentio. His ita pręmiſſis, ad argumentum primum, ſimilitudo de fide allata neganda, nec ſine cauſa: nam fides vniuerſalis cauſa eſt, intentio verò

particularis:

particularis : quapropter licet minister intendat, quòd Sancta mater Ecclesia : habet nihilominus ipsi Ecclesiæ suam intentionem applicare, & si non credat, illud valere. ad argumentũ secundum dicitur : ministri intentionem, quo ad sacramenti collationem requiri : at non quo ad effectum, sub quo sensu currebat argumentum formatum. in sequenti alias duas questiones proponemus, hęc pro pręsenti sufficienter pauca sint dicta.

AN CHATECHISMVS DEBEAT BAPTISMVM PRAECEDERE.

Lectio XXXVIII.

AD huc quęsita duo supersunt examinanda, pro vberiori doctrina eorum, quæ dicta sunt in calce pręcedentis distinctionis. quorum vnum spectat ad chatechismum: alterum verò ad exorcismum. solet igitur primo quęri: An baptismũ debeat pręcedere chatechismus. insuper : An exorcismus, & vtrũ efficaciæ alicuius sit. quantum ad primum, pro parte negatiua arguunt quidam in hunc modum. vita doctrinam pręcedere dicitur: at in baptismo spiritualis vita datur, & per chatechismum doctrina : non igitur baptismum pręcedere debet. pręterea : frustra exhibetur ei doctrina, qui doctrinæ capax minimè est : at paruulus sic se habet, non itaque baptismum chatechismus pręcedere debet. In oppositum se habet Ecclesiæ consuetudo : propterea pro determinatione huius difficultatis videndum est primo, quid sit chatechismus, ex quo deinde, quòd quęritur apparebit. quantum ad primũ est sciendum:

dum: quòd sicut in alijs doctrinis dantur communia quędam principia, quibus ignoratis, artem quoque ignorare necesse est: sic in Doctrina fidei, sunt quędam communia ad salutem necessaria, ut articuli Trinitatis: incarnationis: passionis: aduentus ad iudicium, alia verò subtiliora, ad quæ non omnes tenentur instrui: instructio ergo de communibus chatechismus vocatur, & est circa fidei rudimenta, idest circa fidei generalia. hinc chatechizare in disciplinis Christianæ fidei, nil aliud est, quam aliquem instruere in Christianæ Religionis rudimentis. & ita ex hoc patet secundum, scilicet quòd congruè chatechismus baptismum pręcedat, quantum ad adultos, quia in baptismo fit obligatio ad obseruationem fidei, & eorũ quæ ad fidẽ pertinent: quare instructione, & admonitione Adulti ad sacramenta fidei suscipienda inducendi, non cogendi. His ita positis, ad argumenta formata, quid dicendum de facili patebit: primum enim distinctione eget vitæ: nam vita duplex datur: una gratiæ, altera naturæ. hoc secundo modo potest cõcedi ratio prima: talis enim vita quamcunq; doctrinam pręcedit. at loquendo de vita spirituali, & gratiæ, tunc dicendum: Doctrinam congruè huiusmodi gratiæ vitam posse pręcedere: & ideo chatechismus baptismũ debet pręcedere. ad secundum argumentum Respondetur: quòd quamuis de se puer doctrinæ non sit capax, obligari tamen potest ad ea, quæ sunt salutis per aliorum fidem, sicuti Ecclesia pro salute pueri accommodat ei cor alterius ad credendũ. explicata prima quęstione, subsequitur altera, dum quęritur: Utrum exorcismus baptismum pręcedere debeat, mihi primo aspectu videtur esse dicendũ quòd non: nam causa prius expellenda, quàm effectus: at causa cur

Dęmon

Dęmon potestatem exerceat suam in hominibus dicitur peccatum: per prius ergo peccatum expellendum: & sic exorcismus baptismũ pręcedere minimè debet. insuper, si per exorcismum Dyabolus à paruulo expelleretur baptizando: aut hoc esset quantum ad corporalem effectum, aut spiritualem: non primum, quia non omnis baptizandus est energuminus: non secundum, quia nullus per exorcismum liberatur à pęna, nec à culpa: frustra igitur fit. In oppositum extat illud Celestini papæ, & habetur de consecr. dist. iiii. Cap. siue paruuli, siue iuuenes ad Regenerationis veniunt sacramentum, non fontem vitæ videant antequam exorcismis, & sufflationibus clericorum spiritus immundus ab his, abigatur. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ, duo prenotanda: quorum primum quid sit exorcismus: est enim abiuratio, per quam Dęmonis potestas arcetur, ne baptizandum impediat à susceptione sacramenti. alterum exorcismi respicit effectum: qui dicitur remouere, impedimentum, quòd posset impedire à sacramenti susceptione: hinc sciendum: non posse dici sacramentum, quia non ordinatur ad culpæ expulsionem, & gratiæ collationem, sed sacramẽtale tantũ. in quo quędam fiunt, quorum virtus est solum in significando: quędam verò quorum est in efficiendo illa, quæ significant, si sint in factis absque verbis, vt sal in ore positum, & linitio narium, & aurium cum sputo: & vnctio olei in pectore, & inter spatulas. primum significat discretionem diuinæ sapientiæ. secundum verò aptitudinem respectu fidei discendę, & approbandæ. His ita constitutis, ad rationes soluendas accedo, & ad primam dico: quòd quamuis Dęmonis potestas in hominem sit ex peccato primorum parentum: nihilominus quia

tantū firmat adultos in malitia, & paruulum impedire à susceptione baptismi, in quo salus nostra procuratur: iccirco conuenienter prius per exorcismum Dęmonis potestas debilitatur, vt postea conuenientius salus paruulo detur. currit ergo ratio ab intrinseco, & hic nos loquimur ab extrinseco. ad secundum argumentum est dicendum: quòd per exorcismum Dęmon expellitur quātum ad corporalem effectum, non intrinsecum: quia non oportet baptizandum esse energuminum: sed extrinsecum: quia compescitur ne baptizandum à susceptione secramenti impediat. & hęc pro pręsenti.

DE CONFIRMATIONE.
Distinctio 7.
Lectio XXXIX.

EX quo de sacramento intrantium, vt puta de baptismo ad aures Magistri Sent. determinauimus: consequens modo est aggredi sacramentum progredientium in via, scilicet confirmationis: circa quòd sacramentum sex per ordinem perpendemus. quidditatem confirmationis primo. materiam huius secundo. formam tertio. ministrum quarto. suscipientes quinto. efficaciam sexto. quo ad primum: sic finiri potest confirmatio. confirmatio est cōsignatio facta cū chrismate in fronte baptizati ab Episcopo, cum certa forma verborum ad audacter confitendum nomen Christi. ex qua diffinitione confirmationis materia potest patere: nam chrisma dicitur, in quo sunt duo, scilicet oleum oliuarum, & balsamus ex institutione Christi. cur autem chrisma huius sacramenti

mẽti sit propria materia à Doctoribus talis assignari solet ratio. nam in chrismate duo sunt, oleum, & balsamus, vt dictum, fuit: & istorum proprietates maximè huic sacramento conueniunt: quia oleum oliuarum est splendoris nutrimentum, ideo ponitur in lampade, vt possit durare. & iccirco oleum est signum maioris notitiæ luminis fidei, quàm præ alijs confirmatus debet habere: quia tenetur se expresse persecutoribus fidei obijcere, & fidem absque hoc, quòd requiratur confiteri. balsamus autem ratione suæ fragrantiæ significat odorem bonæ famæ, & opinionis, quæ debet esse in confirmato. illud ergo est propria materia huius sacramenti, cuius proprietates maximè conueniunt effectui huius sacramenti: at olei, & balsami proprietates sic se habent respectu confirmationis: igitur, &c. Nunc de huius sacramenti forma verba faciamus: sunt enim verba, quæ Episcopus dicit, quãdo crucem facit in fronte confirmandi, cum chrismate: quæ verba sunt ista. consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. post formam sequitur consideratio ministri huius sacramenti, qui dicitur solus Episcopus, cuius ratio talis: vt in politia corporali bene ordinata: ita suo modo debet esse in spirituali politia. sed sic est, quòd in corporali politia bene ordinata promouere aliquem ad statum, & gradum excellentiæ super alios, vt V. g. facere militem pertinet ad illum, qui curam habet communitatis, vt puta Principem. quia ergo confirmatus per confirmationis sacramentum ponitur in statu excellentiæ super alios, quia confirmatus miles efficitur Christi: ideo conferre hoc sacramentum pertinet ad solum Episcopum. hinc maius baptismo dicitur hoc sacra-

mentum veneratione, licet baptiſmus plus valeat in peccatorum remiſſione. at dicetis: nonne huius ſacramenti miniſter ab Epiſcopo poterit eſſe priuatus presbyter? Reſpondetur, quòd non, abſq; authoritate ſibi delegata: vti factum fuit tempore Gregorij Papæ, qui neceſſitatis cauſa quibuſdam Angliæ ſacerdotibus commiſit, quòd vngerent baptizatos in fronte, cum chriſmate: & ita patet, quo modo poſſint eſſe presbyteri huius ſacramenti miniſtri authoritate ſibi delegata. de ſuſcipientibus preterea hoc ſacramentum queſo agamus: nam omnes baptizati, tàm viri, quàm mulieres hoc ſacramẽtum confirmationis recipere debent. quid de pueris tenendum? Reſpondeo, quòd iſti, cum vſum rationis habere incipiunt, ſunt confirmandi, quoniam tunc apti ad confitendum fidem Chriſti. effectus verò huius ſacramenti tandem hic ponendi: datur enim in hoc Spiritus Sanctus, & robur ad audaſter confitendum nomen, & fidem Chriſti. vnde, niſi ſit obex ſiue impedimentum ex parte ſuſcipientis, noua gratia datur, vel antiqua augetur. inſuper ſi bene, & dignè ſuſcipiatur, peccata mortalia, & venialia oblita per ipſum dimittuntur. & hęc pro pręſenti.

DE CONFIRMATIONE. Lectio XXXX.

P*Oſt aſſignatã confirmationis deſcriptionem, altera hodierna die animaduerſione digna, nobis à Gabriele ſub. his verbis proponitur. confirmatio eſt vnctio hominis viatoris baptizati, aliqualiter conſentientis, vel ante ſuſceptionem rationis*

vſum

vsum non habentis: facta in fronte, in figura crucis cum chrismate sanctificato, à ministro idoneo, simul cum debita intentione, certa verba proferente, ex institutione diuina significans vnctionē animæ, per gratiam roborantem, ad confitendum fiducialiter Christi fidem. Hęc diffinitio causalis est, tangens materiam, ministrum, formam, suscipientem, modum, & finem. nam dum dicitur vnctio materia tangitur propinqua, & etiam confirmationis quidditas, confirmatio enim non est res permanens puta chrisma, sed operatio transiens, idest vnctio, seu actus vngendi in fronte. dicitur hominis baptizati, quia non baptizatus confirmari nō potest, nec ordinari, nec aliud sacramentum in operatione consistens suscipere: cum baptismus sit ianua, & fundamentum cęterorum sacramentorum, vt habetur de consecr. dist. iiii. dicitur aliqualiter consentientis, quia eodem consimiliter modo siquidem consensus requiritur in suscipiente sacramentum confirmationis, sicut in suscipiente baptismum. dicitur facta in fronte, vbi pars determinata corporis notatur, in qua si non fieret, confirmatio non esset. Nam vnctio, quæ fit in vertice, cū chrismate baptizato puero à sacerdote baptizante, confirmatio non est. in figura crucis, in signum, quòd confirmatus minimè erubescere debet Christi crucem confiteri, & absque timore. dicitur cum chrismate: nam si fieret, cum oleo sancto, aut oleo infirmorum non esset sacramentum, cuius principalis ratio diuina institutio. dicitur sanctificato: quia vt chrisma sit materia confirmationis requiritur, vt sit consecratum ab Episcopo. dicitur à ministro idoneo, vt est Episcopus, & solus talis aiunt quidam, alius tamen in casu necessitatis ab Episcopo poterit esse minister confirmationis,

cui Papa demandauerit. Insuper dicitur, cum debita intentione ministri, quæ est velle facere, quòd Ecclesia intendit: & sine debita intentione ministri non est sacramentum. dicitur certa verba proferente, vbi forma huius sacramenti tangitur: quæ est: signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis. in nomine Patris, &c. vbi tangitur huius sacramenti finis, ad quem fuit institutum, & est fidei Christianæ confessio. conuenit prϵterea hoc sacramentum omnibus baptizati cuiuscunque fuerint sexus, ętatis, aut conditionis, vt in eis baptismalis gratia augeatur: quo maioris premij in beatitudine sint participes. conuenit etiam omnibus roborari ad ferendum persecutionem pręsentem, vel futuram, quia omnes qui piè in Christo viuere volunt, persecutionem patiuntur. Nec mulieres excluduntur, quæ aptæ sunt ad spiritualem pugnam: nec pueri, licet ante vsum rationis, rationis non sint in pugna: expectant tamen futuram: & ideo ante pugnam armari congruit. licet hoc sacramentum simpliciter ad salutem necessarium nõ sit, vt ait Scotus his ita positis, supersunt consideratione dignæ conclusiones nonnullæ ponendæ: quarum prima hęc. non confirmatus alium ad confirmandum tenere non debet; de consecr. dist. iiii. nam cum talis sit impotens ad standum, similiter impotens est ad alium tenendum, vel suscipiendum. altera conclusio. quilibet confirmatus potest non confirmatum tenere eiusdem, vel alterius sexus. excepto quòd vir vxorem suam, & vxor virum suum tenere non potest, nec parens prolem: quia sic oriretur compaternitas inter coniuges. insuper nec plures vnum tenere debent, vt in C. non plures de consecr. dist. iiii. sed vnus vnum hęc pro, & pręsenti.

AN

AN CONFIRMATIO SIT SACRAMENTVM. Lectio XXXXI.

Circa prędeclaratam distinctionem aliquantisper immorandum erit, vt cognoscamus: num dicta Magistri veritati sint consona? quęremus igitur primo: An confirmatio sit sacramẽtum? insuper an conueniens huius sacramenti materia sit chrisma? quantum ad primam difficultatem, videtur esse tenendum: confirmationis sacramentũ à baptismo minimè distingui: nam cui sacramento attribuitur actus credendi, eidẽ debet attribui confessio fidei: at hoc ascribitur baptismo, quia est sacramentum fidei, non igitur confirmationi: alioquin à baptismo non esset distincta confirmatio, & ita non esset sacramentum. insuper: si confirmatio sacramentum esset, cum omnia talia à diuina institutione virtutem habeant, & ipsa à Deo instituta fuisset: sed hoc non legitur: non ergo sacramentum. In oppositum se habet illud de Melchiade Papa, vt habetur de consecra. dist. iiii. Cap. de his verò. Scitote vtrunque esse magnum sacramentum, scilicet baptismum, & confirmationem. Pro determinatione igitur huius primi quęsiti, duo supponenda: quorum primum est: hoc sacramentum sicuti cętera nouæ legis sacramenta à Christo institutũ. alterum est: simpliciter ad salutem esse necessarium, sed in casu: scilicet quando imminet persecutor, coram quo fides est confitenda. quòd autem simpliciter tale sacramentum ad salutem minimè sit necessarium patet exemplo puerorum: qui statim baptizati ante confirmationem si decedant saluantur: ergo. Nunc argumenta soluenda, & erit finis huius

primæ

primæ difficultatis. primum itaque de baptismo concedi habet absolutè loquendo, & tempore pacis: nam tunc fidem confiteri ad baptismum, vt fidei sacramentum pertinet. at tempore persecutionis, quando ex confessione imminet periculum mortis pertinet ad virtutem fortitudinis supposita fide, & ad hoc sufficit post baptismum ipsa confirmatio. ad secundum argumentum dicitur: quòd hoc sacramentum fuit institutum à Christo: nec obstat, quòd non legatur eius institutio: multa enim fecit Christus, quæ non sunt scripta, vt dicitur Io.xx. & hęc de prima quęstione. circa alteram est videndum: An chrisma sit huius sacramenti conueniens materia. primo aspectu videtur esse dicendum, quòd nòn: quia ritus sacramentorum ab Apostolis nobis est traditus: at ipsi non leguntur confirmasse cum chrismate: nõ ergo, &c. minor patet per illud Actuum. viii. per solam enim manuum impositionem confirmabant. prętere a: sacramenta distincta in eadem non videntur communicare materia: at chrisma dicitur in sacramento ordinis materia, quãtum ad Episcopalem consecrationem: non igitur materia in sacramento confirmationis. In oppositum se habent verba confirmationis, ex quibus materia conueniens colligitur: quare, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ duo supponenda: quorum primum ad chrisma pertinet, quòd conueniens materia huius sacramenti ponitur, vt ab Episcopo consecratum. alterum ad vsum: nam vsus est in consignatione frontis in modum crucis. His duobus pręmissis, nunc ad rationes dicendum, & primo ad primam: quòd Apostoli sine chrismate non confirmabant licet expresse hoc nõ habeatur in scriptura. vel dicatis: hoc potuisse fieri ex speciali gratia Dei, pręter legem

communem:

communem: quòd Spiritus sanctus siue effectus confirmationis quibusdam daretur sine sacramento confirmationis. at secundum legem communem sacramenti: quòd sub signis visibilibus mediante chrismate confirmationem Apostoli darent non negandum. ad secundũ argumentum debet responderi: quòd rerum distinctio sit ex parte formæ non materiæ sumenda: Actus enim principaliter separat, & distinguit: & ideo nihil prohibet, eandẽ esse materiam in diuersis sacramentis, cũ verborum forma distincta: & sic est de chrismate in confirmatione, & ordine: quia ipsi adduntur formæ diuersæ.

AN QVIS NON ORDINATVS CONFIRMATIONIS SACRAMENTVM CONFERRE POSSIT.

Lectio XXXXII.

D*Ecreui pro maiori intelligentia eorum, quæ in textu Magistri posita sunt, in presenti meo sermone duo alia quesita proponere: quorum primum: An quis non ordinatus confirmationis sacramentum valeat conferre? insuper: An ab Episcopo de mandato Papæ ab alio tale sacramentum possit conferri? quantum ad primum: ad partem affirmatiuã declinando sic audeo ratiocinari: perfectũ illud est, quòd sibi simile facere potest: igitur perfectè confirmatus alios poterit confirmare, licet non sit ordinatus. deinde, qui potest maius, poterit quoque, & minus: at Eucharistiæ sacramentum maius est, & perfectius: ergo simplex sacerdos, qui potest Eucharistiæ sacramentum conficere, non secus, & confir-*

confirmationis sacramentum conferre. In oppositum arguitur, quia tempore Apostolorum nõ leguntur aliqui confirmasse, nisi soli Apostoli, vt in Actibus Apost. legitur: igitur tempore moderno nulli poterunt confirmare, nisi illi, qui in Apostolorum successerunt locum: at tales sunt Episcopi: ergo soli ipsi confirmare poterunt. Pro determinatione huius quęsiti, est supponendum vnũ omnibus clarum: videlicet, quòd solis Episcopis ex officio confirmare competat: primo quia scripturæ concordat: secundo ex determinatione Ecclesiæ, quæ habetur de cõsecr. dist. 5. Cap. manus: & in litera tangitur à Magistro: tertio ex probabili ratione. Nunc ad rationes formatas duas respondendum, & ad primam, primò sic: quòd in agentibus naturalibus, & vniuocis signum perfectionis est, sibi simile facere. in agentibus verò per artem signũ perfectionis artis est, quando aliquis illud facit, quòd per artem facere disponit; in agentibus autem ęquiuocis non esset perfectionis facere sibi simile: quia agens ęquiuocum sui effectus speciem excedit: minister autem sacramentorum nõ est agens naturaliter: sed per artem respectu eorum, quæ exterius subiacent suo ministerio: nam interiorem effectum solus Deus principaliter facit: & ideo perfectus minister ille est, qui perfectè ea facit, quæ ad suum ministerium pertinent, & nõ ex eo, quòd sibi simile facit, vel aliter dicatis: illud esse perfectum, quòd sibi simile facere possit in his, quæ à natura specifica pendent: quòd in proposito minimè venit. ad secundum argumentũ dicitur: quòd maior propositio vera est, quando minus includitur in maiori: tunc qui potest maius, dicitur quoque posse minus: at quando maius, & minus sunt totaliter disperata, vti est in proposito, nõ oportet, quòd

ille, qui maius potest possit; & minus, & hęc de prima quęstione, circa alteram modo versemur, cognoscendi gratia: num de mandato Papę ab Episcopo quis alius confirmationis sacramentum possit conferre. mihi sane, quòd sic apparet. nam de mandato Papę, presbyteri cardinales conferunt ordines minores: ergo, & confirmare poterunt: patet consequentia: quia illud est maius isto. pręterea in litera Magister dicit: quòd Greg. commisit simplicibus sacerdotibus, vt in Episcoporum absentia possent confirmare: hoc autem non fecisset, nisi facere potuisset; igitur, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis secundę supponendum est primo: ad solos ex ordine pertinere Episcopos confirmare. quo stante ad rationes tunc respondendum, & primo ad primam sic: per non esse simile de minoribus ordinibus, qui non sunt sacramenta, sed sacramentalia: at confirmatio sacramentum est; quare, &c. ad illud Greg. sicut alias dicendum, quòd sic: nam Papa plenitudinis potestatem habet. & hęc de pollicitis.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

Distinctio 8.

Lectio XXXXIII.

DE duobus hactenus sacramentis verba fecimus, scilicet de baptismo, quo regeneramur: insuper de cõfirmatione, qua roboramur; cõsequenter modo agendum erit de Eucharistię sacramẽto, quo & nutrimur, & in bono consummamur. his paucis habita continuatione verbis pręsentis distinctionis, vna

cum intentione cũ superioribus: nunc in quot partes diuidi habeat hęc distinctio, quęso silentio non inuoluamus: mihi etenim in quatuor, quòd secari possit apparet. in quarum prima, quòd quid est Eucharistiæ ponitur: in altera institutio declaratur. in tertia forma detegitur: in quarta notandum: circa primum: solet ita finiri hoc sacramentum. Eucharistia est sacramentum corporis, & sanguinis Christi contentum, sub speciebus panis, & vini, virtute verborum à sacerdote prolatorum. & dicitur Eucharistia ab eu, quod est bonum, & charis, quòd est gratia, quia in illa continetur ille, qui est fons gratiæ, scilicet Christus, de cuius plenitudine gratiã pro gratiã accepimus. cuius exellentia quanta sit, de facili compatiuè ad illud antiquum manna apparebit: octo enim modis manna excedit. primo quia in hoc sacramento ille continetur, & sumitur, qui non solum est augmentum gratiæ, & virtutis, sed totius gratiæ fons, & origo est: quòd nunquam fuit in manna. secundo quia Eucharistia spiritualiter reficit: at illud manna antiquum corporaliter solum. tertio quia illi, qui panem illum manducauerunt mortui sunt: iste verò panis, qui de cęlo descendit, se manducantibus vitam in ęternum tribuit. quarto manna illud de cęlo: hoc super cęlum. quinto illud manna erat cęli: hoc Deus cęlorum: nam qui de cęlo venit super omnes est. sexto illud manna scaturriebat in alterum diem reseruatum: hoc ab omni corruptione alienum: quicunque enim religiosè gustauerit, corruptionem non videbit. septimo illud manna datum fuit antiquis post transitum maris rubri, vbi submersis Egyptijs Hebrei sunt liberati: hoc cęleste manna, scilicet Christi corpus non nisi renatis per baptismũ debet pręstari: octauo

ille corporalis panis populum antiquum de terra promissionis per desertum eduxit: hęc cęlestis esca fideles huius seculi desertũ transeuntes in cęlum subuehit. vnde rectè viaticum appellatur, quia in via nos reficiens ad Patriam deducit. & hęc de quidditate, nec non sublimitate huius sacramenti in hoc secto primo nostri sermonis dicta sint satis. in altero tangitur institutio: institutum enim fuisse à Christo docet Magister in textu: quando ipse Christus corpus suum, & sanguinem suis in cęna porrexit discipulis, post esum agni Paschalis, tempore quo corporalem pręsentiam subtracturus erat discipulis. & hęc de secto secundo. in tertio huius sacramenti exprimitur forma, quæ talis ex parte corporis. Hoc est corpus meum: ex parte verò sanguinis dicitur esse talis. Hic est sanguis meus. quibus verbis prolatis, conuersio fit statim panis, & vini in substantiam corporis, & Christi sanguinis. cętera verò, quæ in missa dicuntur, ad Dei laudem proferuntur, & per ea fit oratio pro populo, & principibus. vnde non sunt nisi laudes, obsecrationes, & fidelium petitiones. at ex dictis dubitabitis dicentes: cur Christus post esum Agni Paschalis corpus suum tradidit discipulis, & nos iste non seruatur à nobis? Respondetur hoc factum fuisse maximè ad denotandum finem legalium veteris legis: insuper vt memoriæ discipulorũ hoc infigeretur sacrificium institutum ob suæ passionis (loquor de Christo) perpetuam memoriam. insuper ob suæ eximiæ charitatis indicium. prętera propter Ecclesiæ consolationem. vlterius propter nostram subuentionem: vt huius virtute sacramenti à vitijs purgemur: gratia impinguemur, in via confortemur, tandem ad gloriam, vt perducamur. quicquid enim corporalis facit cibus in

carne manducantis; hoc efficit cibus iste spiritualis in anima communicantis. hæ sunt ergo rationes, cur hoc post esum Agni Paschalis sit à Christo institutum: qualiter verò de cętero sumendum esset, discipulis ille reliquit, à quo institutum fuit, vt scilicet propter huius sacramenti reuerentiam, cibus iste prius quàm alij cibi in os intret. ieiuno ergo stomacho hostia sacra sumenda. his tribus sectis quartũ additur: vbi notandum de tribus in hoc sacramento consideratione dignis tale habetur. in hoc sacramento res inuenitur: sacramẽtum: & res, & sacramentum simul: quæ tria distinguenda. nam sacramentũ dicitur species visibilis sub forma panis, & vini. Res verò huius sacramenti est gemina natura cõtenta, & signata: vt corpus Christi verum, quòd de Virgine traxit: & sanguis quem pro nobis fudit. alia verò signata, & non contenta, vt corpus Christi mysticum, quòd est vnitas Ecclesiæ. ex quibus habet concludi: quòd in hoc sacramento tria inueniuntur distinguenda: vnum quòd est sacramentum tantum: vt species visibilis, & vinum, & panis. aliud, quòd est sacramentum, & res: vt caro Christi vera, & sanguis verus. tertium, quòd est res, sed non sacramentum: vt corpus Christi mysticum. Primum est sacramẽtum geminæ rei, scilicet corporis Christi veri, & mystici, quia vtranque rem significat, & vtriusque rei expressam similitudinem gerit. secundum verò, scilicet corpus Christi verum, est res gemini sacramẽti, scilicet speciei panis, & vini, & corporis Christi veri. tertium, vltimum res vnius sacramenti, & sacramentum vnius rei. & hęc pro presenti.

DE

DE EVCHARISTIA.

Lectio XXXXIIII.

VErsabor hodierna die circa sacramentum Eucharistiæ, vt magis clarè, quæ in precedenti sermone tacta fuere, vobis nota fiant. Eucharistia ergo, vt rem aggrediar, greca dictio est, & idem est, quòd bona gratia. & (vt ait Aug. in sermone de sacramento altaris) Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur, ascripta, per quā omnes in cęlo ascribimur, rata, per quam in visceribus, Christi censemur, rationalis, per quā à bestiali sensu exuimur, acceptabilis, vt qui nobis displicemus per eam acceptabiles eius vnico filio simus. & finiri solet à quibusdam alijs in hunc modum dicentibus. Eucharistia est species panis, vel vini, corpus Christi, & sanguinem virtute sacerdotalis consecrationis, verè & realiter continens. dicitur species, per quòd intelliguntur accidentia sensibilia, color, sapor, odor, humor, calor, pondus, & similia. & additur panis, vel vini, quia sub eis, vel alijs, quibus illa successerunt, fuit substantia panis, & vini. insuper dicitur corpus Christi, & sanguinem realiter continens, & in hoc includitur materia, forma, intentio requisita ad esse, vel fieri huius sacramenti. nam quicquid horum deficit, non continetur realiter corpus Christi, & sanguis. continet autem hoc sacramentum veraciter, & realiter sanctitatis authorem: hinc secundum Ricardum inter alia sacramenta est altissimum. & corpus Christi est sacramētum verum, & res: scilicet respectu speciei panis, & sacramētum respectu corporis Christi mystici. dicitur etiam panis, vel vini

disiunctim,

disiunctim, non copulatim; quia tàm species panis sine speciebus vini, quàm vinum sine speciebus panis, sunt Eucharistia, quoniam vtreque totum continent Christum, etiam coniunctim, non plus continent, quàm alteræ solæ. hinc secundum Scotum: alia in significando, in significato, in continendo, & continendi modo excedit hoc sacramẽtum. in significando, quia alijs sacramenti certius significat. alia enim certè significant quantum est ex se, tamen quandoq; non habent effectum propter indispositionẽ suscipientis. istud autem nunquam suo significato caret, scilicet presentia corporis Christi, nec impediri potest per malitiam consecrantis, neque per indispositionem suscipientis: nam habet suum effectum, non solum in suscipiente, sed extra in speciebus illis in pixide reseruatis. In significato, quia alia gratiam significant accidentalem, & creatam, istud significat gratiam substantialem increatam, & gratiæ cæterorum sacramentorum creatricem, quia Christum gratiarum fontem. in continendo, quia alia sacramenta non continent, quòd significant, quia gratia non est formaliter in cęteris sacramentis, sed bene in suscipientibus sacramenta; istud autem in se realiter gratiam continet substantialem, quam significat. in modo continendi, quia cętera sacramenta non continent gratiam, nisi in vsu: at hoc etiam ante vsum. in hoc autem sacramẽto actus tres sunt, vt Brulefer scribit. Primus consecratio. secundus est ipsum sacramentum. tertius est ipsius perceptio. consecratio est quidam actus preuius sacramentalis ad ipsum sacramentum, & sunt verba necessaria ad consecrationem. vnde dicitur aliud à sacramento, quia transit, at sacramentum remanet. insuper quia non continent realiter Christum, & ideo aliud à sa-

cramento

cramento: quo ad secundum ipsæ species dicuntur sacramentum, scilicet albedo, & rotunditas, quia prius erant informantia panem, & post consecrationem illa eadem remanent in sacramento Eucharistiæ. Perceptio deinde dicitur quidam actus sacramenti, qui via est ad hoc, q͂d corpus Christi sumatur à fidelibus: & ipsi, Christo vniantur, incorporenturuè, vt membra capiti: dignè enim suscipientes Christo, & toti vniuntur Trinitati. at dicetis: vnum ne sacramentum hoc debet dici? Respondetur, quòd sic: nam est vnum ratione signi, & causæ. vnum ratione animæ, quæ vna perficitur refectione. vnum quia ab alijs diuisum, & distinctum. vnũ quia ad vnum ordinatum, & idem præfigurandum. vnum quia ibi principaliter ratio boni. vnũ, quòd dicitur sacrificium, vel hostia, quia fuit simpliciter institutũ in memoriam summi sacrificij in cruce pro omnibus oblati, & per ipsum iterum filius Patri offertur, & sacrificij fructus suscipienti applicatur. & quia omnia sacrificia præcellit corpus, & Christi sanguis: ideo solet dici per antonomasiam, & excellentiam sinaxis, idest communio, quia per ipsum communicant omnes fideles sumentes in eadem gratia specie, & numero, quia ab omnibus idem Christus numerò sumitur. dicitur, & viaticum, quò ad finem in Patria ad quem perducit. dicitur cibus, quatenus principaliter datur transeuntibus ex hoc mundo ad Patriam, vt confortans, & ad Dei beatitudinis montem deducens, est ergo viatorum cibus. est etiam cõmunio quia vnit nos ipsi Christo, & vnit nos inter nos ipsos, tanquam membra Capiti Christo inuicem. præter illa nomina, habet hęc propria, quibus dicitur panis vitæ. dicitur panis Angelorum. quatenus continet Christum, qui

est beatitudo Angelorum, nec Angeli manducant corpus Christi spiritualiter, quia sacramentum non manducant: manducare enim sacramentum non conuenit Angelis, neque secundum naturam propriam, neque in corpore assumpto, cum manducare sit actus animæ vegetatiuæ, quem Angelus exercere potest minimè. si verò manducare sumatur, vt dicit vnionem tantū cum Christo per gratiam, hoc modo Angeli manducant Christum, siue hoc sacramentū manducare dicuntur. multo plura forent dicenda, at pro præsenti hæc pauca sufficiant.

DE QVADRVPLICI PRAEFIGVRATIONE HVIVS SACRAMENTI.

Lectio XXXXV.

EX quo satis abundè, de quod quid est sacramenti Eucharistiæ verba fecimus in proximo præterito nostro sermone: consequens modo est de quadruplici huius sacramenti figuratione determinare. habebit ergo præsens sermo secta quatuor correspondentia figuris quatuor, hoc nobilissimum sacramentum repræsentantibus. & vt rem aggrediamur, prima figura Eucharistiæ sacramentum significans dicitur fuisse agnus Paschalis ratione contenti: agnus etenim Paschalis rem in hoc sacramento contentam significat, idest Christi innocentiam; qui absque omni macula fuit. ad cuius euidentiam duo sunt notanda: modus, scilicet immolationis, & commestionis. quo ad primum agni Paschalis immolatio Christi immolationem significat, iuxta illud Pauli ad Chor. V.

Pascha nostrum immolatus est Christus. quantum ad secundum precipiebatur, vt agnus Paschalis in Domo comederetur: in signũ quod hoc sacramentum in Domo, idest in Ecclesia catholicorum sit comedendum. insuper caro agni Paschalis comedebatur cum lactucis agrestibus, quæ sunt multum amaræ: ad significandũ, quòd Christi corpus debeat sumi cum penitentia, & peccatorum amaritudine, quæ multum hoc sacramentum sumentibus est necessaria: altera figura sacramẽti Eucharistiæ precessit in manna, quod Deus patribus pluit in deserto. at dicetis: quæ conuenientia erat inter Christum, & manna? audite queso. manna de celo dabatnr, vt in Psal. habetur. panem de celo dedit eis: & Christus de se ait: exiui à patre, & veni in mundum. insuper manna minutum erat, atq; subtile: sic Christus secundum naturam diuinitatis ita subtilis, vt nullo modo valeat comprehendi, nec quo ad generationem, nec quantum ad cognitionem, neque quantum ad progressionem. exemplum primi, generationem eius quis enarrabit? exemplum secundi: non videbit me homo, & viuet. exemplum tertij quando de vtero virginali est egressus, & quando ad discipulos ianuis clausis intrauit. tertio manna candidum erat, & album, sic Christi caro adeo candida fuit, vt in ea macula nulla fuerit, iuxtà illud Pet. qui peccatum non fecit. quarto manna mellis dulcedinem habebat: sic de Christo legitur Canti. v. comedi fauum, cum melle meo: nã fauus est mel in cera, & mel diuinitatis fuit in cera humanitatis in Christo: Lucæ xxiiii. Obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. nonne in Christo mellis dulcedo apparebat, cũ dicebat: dimittuntur ei peccata multa. insuper apud Matheum; tollite iugum meum super

vos, & inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suaue est, &c. quinto manna sapiebat in ore cuiuslibet, quod appetebat, desiderabat, & delectabat. In Psal. gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Sexto manna indurabatur ad ignem, & liquefiebat ad solem: sic Christus per ignem diuinitatis existentem in ipso, quia habitabat in eo diuinitatis plenitudo corporaliter, vt Apost. dicit, roborabatur, & firmabatur in humanitate. vnde ipse dicebat: qui me misit mecum est, & non reliquit me solum. rursus: Dominus mecum est tanquam bellator fortis, secundo liquefiebat ad solem persecutionis. vnde Canti. decolorauit me sol. & in passione infirmabatur dicens: tristis est anima mea vsq; ad mortẽ. nonne liquefiebat, cum factus in agonia prolixius orabat? septimo. manna sexta die duplum collegerunt, scilicet cibos duplices: sic Christus sexta ętate accipitur duplicatus, quia Deus, & homo. iuxta illud verbum caro factum est. octauo. manna in alterum diem reseruatum vermibus scaturiebat: ita, si quis Christum contra Dei mandatum sumit, & abscondit, vt aliter de eius diuinitate, seu humanitate sentiat, quã veritas habet, vermibus scatet, idest pęnam ęternam generabit. Nono. nec qui plus colligebat, amplius habebat: nec qui minus parauerat, minus reperiebat: ita in proposito de corpore Christi dicendum. Nam sumit vnus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur, & hęc de secunda figura huius sacramenti, quantum ad proprietates in manna, & sacramento isto repertas. tertia figura sacramenti Eucharistiæ fuit oblatio, quam Melchisedech Rex fecit Abrææ de pręlio reuertenti, cui panem, & vinum obtulit, quæ duo huius sacramenti figura fuerunt

sanguis,

sanguis, & aqua fluentes de latere Christi patientis in cruce. nam Christus per sanguinem redemptionis, & aquam ablutionis nos redimere à Diabolo venit, & à peccato. at dicetis: quo modo sanguis qui de latere Christi, exijt, signum huius sacramenti dici debuit, cum vtrobique sit idem, & nihil sit signum sui ipsius. Respondetur ad hoc duobus modis: primo: quòd idē sub vtraque specie manens sui ipsius non potest esse signum: bene secundum, quòd est in vna specie, suimet ipsius signum poterit esse secundū, quòd in alia specie: vt in proposito euenit. quia sanguis, & aqua, quæ de latere Christi fluxerunt in specie propria Christi sanguinem significant velatum in aliena specie, vt est in sacramento altaris. secundo dicitur: quòd Christi sanguis, prout est in sacramento altaris, repræsentatiuus est, vel demonstratiuus sanguinis, prout de Christi latere fluxit: licet tunc sanguis ille fuerit visibilis corporaliter: erat tamen figura eiusdem secundū, quòd inuisibilis spiritualiter sub velamine sacramenti cōtinetur. & hęc satis de huius sacramēti quatuor figuris dicta sint.

DE HVIVS SACRAMENTI INSTITVTIONE. Lectio XXXXVI.

Circa Eucharistiæ sacramentum adhuc nobis duo consideratione digna occurrunt. primum quorum temporis, quo institui debuit hoc sacramentum congruitatem respicit. alterum verò causam institutionis quadruplicem. ad euidentiam primi est sciendum: tempore legis naturæ institui non debuisse, neç tempore legis scriptæ, sed tempore legis gratiæ. primum patet: quia

post ligni vetiti esum, in carnem non est statim missum verbum: non igitur debuit in statu legis naturę institui hoc sacramentum, nec tempore legis scriptę: quia Lex illa erat timoris, non amoris: quare, &c. debuit itaque tempore legis gratiæ sacramentum institui Eucharistiæ, scilicet post aduentum Christi in carnem, & non ante. at dicetis: si solū tempore legis gratiæ institui debuit hoc sacramentum: quo tempore, vel qua hora illius temporis? Respondeo, quòd non debuit à principio Christi prędicationis institui: nec tempore. Resurrectionis: nec tempore ascensionis: sed in cęna imminente tēpore passionis. quòd non debuerit in principio Christi prędicationis institui patet, quia quando prędicare incepit, tanti mysterij non erant Apostoli capaces. quare eis in fine hoc proponendum fuit. nec tempore Resurrectionis institui debuit, cuius ratio assignatur: quia tunc cum discipulis, vt Dominus, & quasi extraneus Christus fuit: at ante passionem, quasi socius, & eis amicus: iccirco congruebat, quòd eis signa relinqueret amoris, tempore suæ passionis: non post ergo Resurr. etc. debuit. nec tempore ascensionis: quia recessus Domini in ascensione, transitus Domini ad gloriam fuit. solū ergo in cęna institui debuit: primo propter corporalis pręsentiæ terminationem: nam non videbatur conueniens, vt simul in corporali pręsentia, et sacramentali haberetur. insuper propter veteris sacrificij terminationem, ne simul vmbra, & veritas esse viderentur. tertio propter passionis repręsentationem. quarto propter maiorem memoriæ commendationem. & hęc de primo puncto. in altero tangitur causa quadruplex institutionis huius sacramēti. prima dicitur esse mortis Christi commemoratio. quotiescunque enim manducabitis

bitis

bitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis. Secunda causa vitalis cibi ministratio, contra cibum illum primorum parentum. de cibo autē isto dicitur Io. vi. quicunque manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. tertia causa ad gustum diuinitatis inuitatio: instituit enim diuina sapientia sui corporis, & sanguinis sacramentum, vt nos inuitaret, & alliceret ad suæ diuinitatis gustū, vnde Psal. dicit: gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. quarta causa institutionis huius sacramenti fuit, criminis quotidiani remissio. vnde Innocentius sic ait. dedit nobis Dominus hoc sacramentum salutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ipse iam mori non potest: per hoc sacramentum, quod in eius memoriam mortis accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur. & hęc de pollicitis.

DE MATERIA EVCHARITSIAE. Lectio XXXXVII.

LOquuturus de materia Eucharistiæ, quæ duplex est, scilicet panis, & vinum, rationem assignabo, quare. hęc duo sint huius sacramenti materia. quoniam ergo istud sacramētum ad spiritualem nutritionem ordinatur. Nunc autem corporalis nutritio consistere dicitur in cibo, & potu corporalibus: & panis cibi rationem maximè habet, & vinum rationē potus: iccirco nutritio spiritualis in cibo, & potu spiritualibus consistit. & ideo in sacramento isto datur Christi corpus sub specie panis in cibum: & sanguis Christi sub specie vini in potum. vnde ita, dicit ipsemet Christus.

stus. caro mea verè est cibus, & sanguis meũs verè est potus. sciendum autem est: quòd panis, qui est materia huius sacramenti, debet esse de tritico, aqua elementali confectus. Panis, non pasta, in qua hoc sacramentum confici minimè potest. panis de tritico, quia in alio pane sicut de siligine, vel hordeo, vel de alio quocunque grano non debet celebrari missa; de aqua elementali confectus Panis, ad excludendum omnem alium liquorem, siue aquã artificialem. insuper panis, vt hic loquimur, azimus esse debet, non fermentatus, licet ex vi sacramenti in pane fermentato posset confici. at dicetis: si Romana Ecclesia ex institutione Christi conficit in azimo: cur ergo quodam tempore confecit in fermentato? Leo Papa sic dicit: imminente hæresi Hebronitarũ dicentium simul, cum Euangelio legalia obseruanda: sancti Patres ne consentire viderentur, voluerunt ad tempus instinctu spiritus sancti, ex fermento hoc confici sacramentum. cessante verò illa hæresi, postea Romana Ecclesia ad morem pristinum rediit, & semper in azimo confecit. & hæc de materia respectu corporis. nunc fiat sermo de vino per comparationem ad sanguinẽ: debet enim esse vinum de vite: quia in alio vino, scilicet malorũ granatorũ, vel in quocunq; alio vino celebrari non potest, nec in agresta, nec in aceto, quod sit omnino acetum: quia in vino aliquantulum acetoso posset consecrari, licet non deberet, qui aliud vinum habere posset. Ratio autem, cur hæc duo ponantur huius sacramenti materia, fuit institutio Christi, nec non comparatio. nam se grano tritici comparauit: non secus se vino, dum apud Io. dixit: ego sum vitis vera, &c. materia igitur consecrationis corporis Christi de tritico panis. materia verò sanguinis, idest consecrationis san-

nis sanguinis Christi, vinũ de vite, ob proprietates, quas habet vinum. nam nutritiuum est: sic Christi sanguis spiritualem vitam, & alimentum bene dispositis confert. insuper vinum est curatiuum, si sumatur secundum, quod expedit: sic caro, & Christi sanguis Lucæ xi. virtus de illo exibat, & sanabat omnes. vinum prꝺterea calefactiuum, & infrigidatiuum, est: sic caro, & sanguis Christi spiritualiter corda frigida calefacit: quia secundum Damascenum Christus, vel sanguis eius, vel calor carbõ diuinus. unde Psal. nec est, qui se abscondat à calore eius; infrigidat quoq; calida. nam Eucharistiæ effectus est, mirabiliter concupiscentiæ feruorẽ diminuere. ulterius vinum dicitur lętificatiuum, & hoc ratione, quia dulce est. unde in Psal. dicitur: & vinum lętificet cor hominis. insuper confortatiuum est. nã vinum ratione, qua odoriferum, & calidum, cor hominis, & omnia membra confortat, & roborat: audaciam tribuit: laborem, & dolorem sentire nõ permittit, sic iste spiritualis cibus, & potus, scilicet caro, & Christi sanguis animam roborat, & confortat, eo quia eam subsistere, resistere: incedere: & pertingere facit. primo facit eam subsistere, quia mentem illuminat, & fortificat, ne in peccatum cadat. secundo eam facit tentationis Dęmonis resistere, ne scilicet Dęmon pręualeat, sed potius timeat, & sucumbat de eo, qui dignè communicauit, eo quia Deus in anima communicantis existit. tertio corpus, & Christi sanguis animam facit incedere, inquantum ad melius operandum inducit, fortitudinemq; tribuit. quarto facit eam pertingere. nam anima, quæ secũ cibum habet istum, & potum, scilicet carnẽ, & Christi sanguinem, tunc Christi contemplatur diuinitatem, & humanitatem: nec non

pęnas,

pęnas, quas ipse Christus in sua passione, & cruce substinuit, & amorem summum, quo se nobis in cibo dare voluit. denique vini proprietas dicitur esse talis: vt desiderium, et appetitum prouocet nostrum: est ergo vinum prouocatiuum desiderij, et appetitus. ita hoc sacramentum, vt Eccl. xxiiii. habetur. Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. hęc intantum.

DE EVCHARISTIAE FORMA. Lectio XXXXVIII.

SAcramentorum omnium formæ in certis, ac determinatis solent consistere verbis: et ideo sacramenti Eucharistiæ in aliquibus. limitatis verbis forma consistit. ad sciendum itaque in quibus verbis consistat, scire debetis: in missa quędam esse verba de solennitate tantum, & quędam de necessitate. verba de solennitate, solum faciunt ad ornatum, & ad quendam missæ decorem, vt sunt prosæ, & aliqui versus, qui infrà Gloriam in excelsis Deo, & infrà Sanctus, & infrà Agnus Dei dicũtur. verba verò de necessitate illa: quæ directè sunt de officio missę. Hic tamen notãdum: duplicem dari necessitatem, pręcepti scilicet, & sacramenti. de necessitate pręcepti omnia verba illa dicũtur, quæ à beato Petro Apostolo, & ab alijs summis Pontificibus successoribus suis instituta sunt dici in missa. de necessitate autem sacramenti illa verba sunt, quæ Christus in cęna protulit, quando sacramentum istud instituit. cum ergo secundum Philosophum forma sit illa, quæ dat esse rei, & sine qua res esse non potest, hinc manifestum est: quod illa sola verba

quæ

quæ sunt de sacramenti necessitate, sunt huius sacramenti forma. V.g. ex parte consecrationis ista: Hoc est enim corpus meum, sed hic sciendum, quod illa coniunctio enim non dicitur de necessitate consecrationis, at solum de necessitate consecrantis, quia ea etiam voluntariè omissa, est consecratio vera, licet consecrans grauiter peccet, formam Ecclesiæ ex certa scientia quia mutat. subtilissimus Doctor Scotus, & sectatores eius inquiunt: aliqua verba debere pręcedere pro integritate formæ, quæ sunt: Qui pridie, &c. inclusiuè vsque ad illum locum: simili modo exclusiuè, quæ necessaria ad formam consecrationis sunt: & ratio, qua grauissimus iste Doctor ad hoc tenendũ mouetur, est: quia consecrans verba consecrationis in Christi persona profert. oportet igitur, quod aliqua verba consecrationis pręcedant, per quæ monstretur, quod sacerdos in Christi persona loquatur. ista autem verba sunt illa: Qui pridie quàm pateretur, &c. debent ergo pręcedere huiusmodi verba: Hoc est enim corpus meum. quidam alij dè sacramenti necessitate quatuor tantum esse verba dicunt. V.g. Hoc est corpus meum: alia verò de necessitate pręcepti: & ratio assignatur ab istis. nam videtur sufficere sacerdotis intentio intendentis in Christi persona loqui, quòd fit, dum dicitur: Hoc est enim corpus meum: quare videtur consecrationis forma in his quatuor consistere verbis: Hoc est corpus meum. quid autem hoc pronomen demonstret, cum dicitur: Hoc est corpus meum, non leuis dubitatio est. ego verò supponendo id, quod dicit Scotus, quędam verba debere pręcedere pręsentia, vt hęc dicta fuisse à Christo intelligantur, horum verborum sensum: Hoc est enim corpus meum sic exponam. Hoc quod sub illis Specie-

 bus

bus continetur est corpus meum, sed non ante prolationem vltimæ syllabæ. vera igitur, & perfecta tunc dicitur esse oratio in animo auditoris perfectum generans sensum post prolationem vltimæ syllabæ: quare quousque tota oratio fuerit prolata de eius veritate non iudicandum. & hęc de forma consecrationis specierum panis. nunc agendum de forma specierum vini, circa quam duplex est opinio. vna dicit formam hanc consistere in his verbis: Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & ęterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionē peccatorum. ita quod verba ista sunt de essentia formæ, & qui aliquod istorum dimitteret, nihil faceret, & ratio assignatur: quia de integritate, &c. Henricus de gandauo, & sui sequaces dicunt: quod in istis verbis tantum, Hic est sanguinis mei, cōsistit forma consecrationis specierum vini: & tunc istis verbis dictis, ibi statim est Christi sanguis. alia verò verba: quæ sequuntur, scilicet ęterni, & noui testamēti, &c. secundum istos non dicuntur de essentia formæ, nec de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate pręcepti. quæ autem harum opinionum verior, do vobis iudicandum. nam prima communior, nec non tutior. altera verò instantias pati solet quasdam, inter quas hęc vna sit. Si forma illa foret consecrationis specierum vini, vt Henricus dicit: tunc sacerdos populo in missa Christi sanguinem adorandum illis paucis prolatis verbis ostenderet: at non eleuat calicē statim dictis his verbis quousque compleuerit omnia verba vsque ad remissionem peccatorum: quare, &c. insuper: Ambr. qui vnus est de quatuor Doctoribus principalibus Ecclesię in missali suo formas sacramētorum omnium literis aureis scripsit: & in eodem om-

nia

nia verba prędicta: igitur de intentione Ambr. fuit: quod omnia verba prędicta sint forma cõsecrationis specierum vini. at dicetis: cum sit vnum Eucharistiæ sacramentum, cur duas habet formas? Respondetur: quod quamuis duæ sint formæ partiales, vna tamen est integralis, & vna forma, quia vnum est sacramentum, & vna consecratio, licet duæ sint formæ earum consecrationum. & hęc pro pręsenti.

DE MINISTRO HVIVS SACRAMENTI. Lectio XXXXVIIII.

VT iter prosequamur nostrum, cum hactenus verba fecerimus de sacramento Eucharistiæ, nec non de materia eiusdem, & de forma, consequenter nunc loquendum de ministro. est enim minister huius sacramenti sacerdos ritè, & legitimè ordinatus, qui potest, & missam celebrare debet, sine mortali peccato existens, & cui non sit prohibitum celebrare missam. dico qui potest, & debet: quia multi possent, qui celebrare non debent, vt sacerdotes hęretici, vel excommunicati, vel scismatici, vel degradati. dico etiam ritè, & legitimè ordinatus, ita vt nil omiserit, quod esset de ordinis essentia. dico insuper sine peccato mortali: nullus enim in mortali peccato existens, missam celebrare debet. Notandum tamen: quod aliquis in peccato mortali duobus modis esse potest. vno modo, vt sit in mortali notorio: alio modo in mortali occulto. primo modo V. g. si sit notorius hęreticus, scismaticus, vel excommunicatus, vel symoniacus, vel fornicator. Si secundo modo

sit in mortali occulto, tunc distinguendum: hoc etenim tribus potest euenire modis. vno modo qua iam commisit, vel scit se commisisse tempore preterito aliquod peccatum mortale, de quo non dolet, nec ipsum peccasse penitet, neque conteritur: & talis sic celebrans mortalissimè peccat. qui enim indignè manducat inquit Apost. nõ diiudicat corpus Domini. Alio modo quis esse potest in peccato mortali occulto, scilicet, quod commisit aliquod mortale peccatum, quod minimè fuit confessum, tamen de illo non recordatur peccato: & tunc talis, aut diligenter conscientiam examinauit suam, antequàm poneret se ad celebrandum, et nullo modo recordari potuit, & in proposito persistit, si recordaretur illud peccatum, libenter confiteretur, et de ipso penitentiam faceret: vel in genere de omnibus peccatis oblitis dolet, et sic talis non peccat celebrando: immo virtute sacrificij missæ veniam meretur, et à peccato tali absoluitur. quo modo eximij Doctoris Aug. verbum intelligitur: quod sacramentum istud viuificat mortuos, idest illos, qui modo isto existentes in mortali peccato celebrant. tertio quis in mortali peccato esse potest, scilicet quod recordatur, se determinatè peccatum aliquod commisisse mortale, et tunc aut iste iam in presenti confessoris copiam habet, aut non: si sic, antequàm celebret confiteri tenetur: et nisi confiteatur peccat mortaliter in celebrando. nec ibi sufficit generalis confessio, quæ fit in missæ principio, quoniam solum ad peccata venialia, et non mortalia, se extendit confessio ista. Si autem talis non habeat copiam confessoris, rursus dicendũ, quod ibi, vel immineat celebrandi necessitas, aut non: vt puta si sit curatus, et dies Dominica, vel solennis dies alia, et populus sibi commissus vult missam

audire,

audire; et scandalum foret in populo, si non celebraret: vel quia sibi alia imminet necessitas celebrandi. V. g. si sint nuptiæ, etc. in istis casibus, et similibus tenetur ipse esse in proposito confitendi illud peccatum, quando opportunitatem habebit, et sic in nomine Domini missam celebrabit: quoniam Christus, qui est summus sacerdos, eum absoluit. postea confiteatur, quando confessoris copiam habebit. si autem iste, qui sic in mortali peccato existit, et nulla celebrãdi necessitas extat, nullo modo se exponat ad celebrandum, quia absq; dubio tũc mortaliter peccaret. et hęc pauca sufficiant pro sermone p̃senti.

DE ACCESSV AD HOC SACRAMENTVM. ET EIVS FRVCTV.

Lectio L.

LOquuturus de accessu huius sacramenti nobilissimi, verba illa premittam Apost. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. qui enim manducat indignè, &c. vbi sciendum: aliquem indignè accedere ad huius susceptionem sacramenti dignissimi tripliciter posse. & similiter dignè tripliciter. vno modo per comparationem eius ad id quod sumitur, & sic nulla creatura dignè sumit, quia dignitatis creaturæ ad creatoris dignitatem, qui in hoc sacramento sumitur, sicuti finiti ad infinitũ nulla vnquam poterit esse proportio. Hinc Iob. 25. Nunquam potest homo iustificari comparatus Deo. nec id mirum: nam Luna non splendet, & Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? secundo modo per comparationem

parationem ad consecutionem effectus sacramenti huius, & sic indignè accedit, qui accedendo spiritualem non consequitur per gratiæ augmentum nutritionem. Tertio modò per comparationem ad culpam, quam manducando contrahit, & sic indignè accedit, qui accedendo mortaliter peccat, & ita nouo peccato mortali, se inuoluit. Probet igitur se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. dignè enim manducare nil aliud est, quam sufficienter, se preparare, scilicet omnis peccati expulsione, reuerentia fide, & dilectione, sunt nanq; quidam, qui secundum veritatem sufficienter, se preparant: quidam alij secundum probabilitatem: tandem quidam neutro modo, immo cõtemnunt. qui ergo, se preparant sufficienter, dignè manducant. qui se nullo modo preparant, indignè manducant. qui verò minus sufficienter, scilicet secundum probabilitatem potius quàm veritatẽ, dignè non manducant, quia sufficienter non se preparant, nec indignè, quia probabiliter. accedentes itaque ad hoc sacramentum, se sufficienter preparent, longeq; à mortali culpa existant. nã tunc temporis debita preparatione facta, varios sortientur huius nobilissimi sacramenti effectus, siue fructus. Eucharistia enim si dignè sumatur, à malo liberat, & in bono conseruat. venialia delet, & mortalia cauet. insuper per huius sacramenti virtutem, vniuersæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. insuper inquantum cibus animam nutrit, & roborat, & deperdita restaurat, & restaurata augmentat, quoniam ille cibus viuificat. vnde Ioannis Sexto. qui manducat me viuet propter me. dignè ergo accedant, qui sacramentum hoc, & eius fructum suscipere volunt. & hoc est quod nos Paulus monebat dicens: Probet autem, se

ipsum

ipsum homo, & sic de pane illo edat; & de calice bibat. hęc in tātum.

AN EVCHARISTIA SIT NOVAE LEGIS SACRAMENTVM.

Lectio LI.

Circa distinctionem istam octauam principaliter duo quaerenda. Primo: An Eucharistia sit nouae legis sacramentum. insuper: An vnum. quo ad primum sic proceditur, & arguitur, quod Eucharistia nouae legis non sit sacramentum: nam collatae gratiae non est signum: igitur nec nouę legis sacramentum. antecedens clarum, quia post consecrationem, Eucharistia in altari manet, & nulli per ipsam gratia confertur: igitur non est gratiae collatae signum, & ita ex consequenti: non sacramentum. insuper: sacramenta nouae legis, vt superius patuit, efficere dicuntur id quod significant: at Eucharistia non sic, se habet: ergo nouae legis sacramentum non erit. minor, vt suspecta sic declaratur, quia virtus finita causalitatem aliquam non videtur habere respectu corporis, & Christi sanguinis. In contrarium se habet veritas ipsa: quapropter pro huius quęsiti dilucidatione, est sciendum: sacramentum hoc, & alia efficaciter significare effectum, inquantum signa talia sunt: quibus positis infallibiliter ipsorum sequatur effectus, nisi adsit obex ex parte sumentis. sacramenta ergo efficiunt, quod figurant, idest signa sunt infallibiliter significantia effectum, idest gratiam, non quia effectiuè respectu gratiae actiuitatem habeant: creatura enim ad hunc non, se effectiuè producendum effectũ extendit.

His

His ita positis, facilè modo erit occurrere rationibus duabus. prima etenim currit loquendo de signo gratię accidentalis, siue inhęrentis, at non subsistentis, cuius primo Eucharistia signum. altera in ordine secunda minorem habet suspectam, & ad probationem cōcedo: quod finita virtus, gratiam causare nequeat, nisi significatiuè, & efficaciter: quare illis sacramenti Eucharistiæ speciebus huiusmodi non est ascribenda causandi virtus, nisi efficaciter, & significatiuè, quo modo in corpore huius difficultatis diximus. explicata prima quęstione, paucisq; verbis enodata: accedit altera, dum quęritur: An Eucharistiæ sacramentum vnum sit. mihi prima fronte, quod non vnum ex collecta apparet: ibi enim dicimus: purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus: non igitur vnum, sed plura erunt Eucharistiæ sacramenta. pro intellectu huius instantiæ adductæ ex collecta, velim vos scire: de Eucharistiæ sacramento nos posse verba dupliciter facere: vno modo materialiter: alio modo formaliter. si primo modo, instantia currit, quia ibi plura signa materialiter, puta panis, & vini: at secundo modo, vnum tantum, & perfectiuè, quatenus, scilicet ex eis vna pficitur refectio spiritualis, in cuius rei signum, inferius dicitur singulariter, hoc tuū sacramentum non sit nobis reatus ad pęnam. est ergo Eucharistiæ sacramentum vnum, non vt vnitas, indiuisibilitatis, vt puncti: vel continuitatis: vt lineæ: vel essentiæ: vt in simplicibus, & compositis ex materia, & forma substantiali: vel suppositi: vt accidentis, & subiecti: sed est vnitas perfectionis, quæ consistit in concursu omnium, quæ concurrunt, & requiruntur ad finem consequendum, ad quem res ordinata est. & hęc satis.

DE

DE DVOBVS MANDVCANDI MODIS.

Distinctio 9.

Lectio LII.

EX quo in octaua satis clare, & splendide, de sacramento Eucharistiæ secundum se loquuti sumus distinctione: propterea nunc cõsequenter de eodem, quantum ad vsum, determinandum. diuidatur itaq; presens distinctio in secta quatuor. in quorum primo ponitur. Magistri Sent. intentio. in altero error quorundam excluditur. in tertio dubiæ quędam authoritates declarantur. in quarto, & vltimo principale intentũ concluditur. quantum ad primum: Magistri consilium est: Christi corpus modis sumi posse duobus: scilicet sacramentaliter, & spiritualiter: nec non vtroque modo realiter, secundum duas res in hoc sacramento repertas. duplex ergo datur modus comedendi: vnus sacramentalis, qui consistit in susceptione ipsius sub sacramento visibili, vt puta sub specie panis, & vini. alius modus spiritualis, qui consistit in vnione ad Christum in hoc nobilissimo sacramento contentum. vnde manducat ille spiritualiter, qui in vnitate Christi, & Ecclesiæ manet quo modo soli boni hoc sacramentum spiritualiter manducare dicuntur. & ideo D. Aug. volens nobis aperire, quid foret Christum manducare, dicebat nil aliud esse, quàm eius corpus dignè accipere, & in ipso manere, & Christum in se manentem habere. vt quid ergo paras ventrem, & dentem? crede, & manducasti spiritualiter. & vtroque modo scilicet spiritualiter, & sacramentaliter, si sine peccato dignè accedas, nam boni vtroq; mo-

 do hoc

do hoc ſacramentum ſumunt. mali verò ſacramentaliter tantum, vt Eccleſia canit. ſumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inęquali. nam boni ad vitam: at mali ad iudicium. qui enim in Chriſto non manet, nec Chriſtus in illo. & qui diſcordat à Chriſto, eius carnem manducat minimè, neque ſanguinem, niſi ſacramentaliter. hinc ſecundo quorundam dicentium, Chriſti corpus non ſumi niſi à bonis, error apparet loco. nam etiam à malis, vt hoc docent authoritates D. Greg. beati Aug. & Pauli. D. Greg. in quarto dialogorũ libro ita dicit: eſt quidẽ in peccatoribus, & indignè ſumentibus Chriſti vera caro, & verus ſanguis, ſed non ſalubri efficientia. inſuper beatus Aug. multi indignè accipiunt corpus Domini, de quibus Apoſt. qui manducat, & bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. at dicetis: quo modo fieri poteſt: quod bonum noceat? Reſpondetur: quod Euchariſtiæ quidem ſacramentum de ſe bonum dignè ſuſcipienti eſt, at malum ſumenti indignè. bonis ergo, vt bonum, multum affert fructum: malis verò, & indignis pęnam. tertio verus ponitur intellectus quarundam authoritatum, quæ dubiæ videbantur. ait enim Aug. bonus accipit ſacramentum, & rem ſacramenti: malus verò ſacramentum, & non rem. rurſus: non manducans manducat: & manducans non manducat. quo ad primam per ſacramentum intelligere debetis Chriſti corpus proprium de Virgine natum: per rem verò ſpiritualem Chriſti carnem, bonus ergo vtranq; Chriſti carnẽ accipit: malus verò ſacramentum tantum, ideſt corpus Chriſti ſub ſacramento, & non rem ſpiritualem. ad alteram in ordine ſecundam: nõ manducans manducat, ſic dicitur: quod non manducans ſcilicet ſacramentaliter,

mentaliter, aliquando manducat spiritualiter: & manducans sacramentaliter aliquando non manducat spiritualiter. ex quibus vltimo potest principale intentum concludi: quod hoc sacramentum, tàm à bonis, quàm à malis, diuersimode tamen possit sumi. & hęc pro prȩsenti nona distinctione.

QVID SIT MANDVCARE HOC SACRAMENTVM.

Lectio LIIII.

IN *gratiam eorum, quæ tacta fuere in superiori nostro Sermone, imprȩsentiarum quatuor perpendemus. quid sit manducare primo. insuper quot modis contingat hoc sacramentum manducare. deinde quid sit sacramentaliter manducare. denique quot modis spiritualiter manducare contingat. quantum ad primum: manducare idem est, quod honeste comedere: inde manducatio, quæ tria includit: scilicet fractionem, deglutionem, & nutritionem. quo ad secundum manducare sacramentum quadrupliciter fieri potest: vt puta manducare sacramentum, & non sacramentaliter: & manducare sacramentum sacramentaliter, & non spiritualiter, & vtroque modo, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter, quid autem sit manducare sacramentum, & nõ sacramentaliter, audite: est enim hostiam consecratam manducare, quæ realiter, & vere Christi corpus continet. quo modo mali Christiani, infideles, & hȩretici sumunt istum cibum, sicut alium cibum, non discernentes eum ab alio communi cibo. deinde sacramentum manducare sacramentaliter*

mentaliter, est sacramentũ manducare, ut signum corporis Christi in eo realiter contenti, & ita dicuntur recipere fideles credentes contineri sub speciebus, quas sumunt, corpus Christi, siue sint boni, siue mali, unde manducatio sacramentalis secundum Gersonẽ super Cantic. Mariæ; duntaxat est actualis susceptio sacramenti corporalis cum informi fide, sine charitate. manducare verò sacramentũ spiritualiter duobus accipi potest modis. uno modo ex parte modi, & sic est manducare corpus Christi, non sub propria specie visibiliter, sed sub tegumento accidentium panis inuisibiliter, & sic quicunque sumit sacramẽtaliter, sumit spiritualiter. alio modo ex parte effectus, ut est manducatio, quam sequitur specialis refectio, & animæ mutatio, quo modo sumunt, qui digne accedunt. unde sic spiritualiter manducare (ut scribit Brulefer) est cum fide, & spe, charitate Christo adherere. manducatio autem sacramenti solum spiritualis, non sacramentalis, fit per fidem huius sacramenti, quæ per dilectionem operatur, ut Refert Gerson. at dicetis: refertne dicere, manducare sacramentum spiritualiter, & manducare, corpus Christi spiritualiter? certe sic: quia manducare sacramentum spiritualiter, includit manducare species, quæ sunt sacramentum. at manducare corpus Christi spiritualiter non, & sic manducare spiritualiter est Christo incorporari, quo modo manducant, quicunque in Christum credunt, ac per charitatem ei uniuntur, & per hoc corpori suo mystico incorporantur secundum illud Aug. crede, & manducasti: crede scilicet fide formata. adhereamus itaque ipsi Christo fide, spe, & charitate, ut hoc sacramentum valeamus spiritualiter degustare. nam ipse dixit Io. 6. Nisi manducaueritis

ritis

ritis carnem filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis: quod secundum Aug. intelligitur de manducatione spirituali: triplex enim est manducatio. prima est sacramentalis, et hęc officit, quia est mors malis. secunda spiritualis, et hęc proficit, sed non sufficit. tertia sacramentalis, et spiritualis, et hęc sufficit. sufficiant, quoque vobis, quæ pauca diximus in presenti Sermone de hujus sacramenti multiplici manducatione.

AN SINT DVO MODI MANDVCANDI HOC SACRAMENTVM.

Lectio LV.

NActi ex verbis Magistri Sent. occasionē prędeclaratis, in ante habita distinctione: questiones duas in presenti proponemus nostro Sermone. quarum prima ad manducandi modos Eucharistiæ sacramentū duos pertinebit: altera verò ad eius necessitatem. queritur ergò primo: An rectè sint duo assignati manducandi hoc sacramentum modi, scilicet sacramentaliter, & spiritualiter. mihi equidem primo aspectu videtur, quod non: nam vnus tantum modus datur: ergo. antecedens patet, quia in baptismo vna tantum regeneratio spiritualis: igitur, & in sacramento altaris vnus modus spiritualis: Magister itaque male, se gessit in assignatione duorum. insuper vti se habet corporalis cibus, ita & iste spiritualis: sed corporalis cibus non sumitur nisi corporaliter: ergo iste cibus spiritualiter: quare vnus manducandi erit modus, & non duo. ex alio latere D. Aug. in litera, & glosa super illud Pauli.

Pauli. qui manducat, & bibit indignè, duos manducandi assignat modos: sacramentalem videlicet, & spiritualem: duo igitur manducandi erunt modi. suppositis intantum his duobus pro veritate manducandi modis, difficile minimè erit rationibus duabus primis respondere: nam prima falso nititur supposito, quia hęc duplex quoque distinctio poterit applicari baptismo: quidam enim abluuntur sacramentaliter, & quidam spiritualiter, vt alias diximus, & ideo ratio nulla. altera ratio neganda verit: quia non est simile de manducatione corporalis cibi, & spiritualis: nam corporalis cibus corporaliter tantum manducatur: at spiritualis vtroque modo: iccirco futilis fuit secunda ratio. enodata quęstione prima, subsequitur altera, dum quęritur: An manducare hoc sacramentum, sit de necessitate salutis? pro parte affirmatiua consueuerunt ratiocinari quidam in hunc modum dicentes. cibi corporalis manducatio de necessitate est salutis: ergo, & cibi spiritualis de necessitate vitæ spiritualis erit. pręterea sic arguitur authoritate saluatoris apud Io. vi. ita dicentis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis: de necessitate igitur huius sacramenti manducatio ad salutem consequendam erit. ex alio latere, si foret hoc sacramentum de necessitate salutis, tunc sine huius manducatione, gratia haberi minimè posset: at oppositũ euenit. quia debita sumptio huius sacramenti gratiam supponit: non ergo manducatio huius de necessitate salutis. insuper: si huius sacramenti manducatio de necessitate salutis esset: tunc pueri baptizati è vita pręsenti recedentes absque susceptione huius sacramenti damnarentur: at hoc non fit: igitur, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis,

ficultatis, est sciendum: aliquod sacramentum posse dici necessarium ad salutem dupliciter: vno modo ratione sui: alio modo ratione pręcepti. ratione sui, quando eius effectus ad salutem est necessarius. & sic dicendum: quod sacramentorum quędam sint de necessitate salutis, quantum ad communitatem, vt ordo, & matrimonium. nam sine ordine nõ essent in communitate, qui ministrarent sacramenta. insuper sine matrimonio cultus Dei deficientibus fidelibus non maneret: quare hęc de necessitate pręcepti necessaria. dantur alia sacramenta singularem quamlibet personam respicientia, de numero quorum sunt baptismus, & pęnitentia, quæ simpliciter ad salutem sunt necessaria: baptismus quidem, quo ad omnes: pęnitentia verò quo ad lapsos in mortale peccatum. cętera autem sacramenta nulli dubium fore necessaria ratione pręcepti, vt Eucharistia, &c. His ita pręmissis, de facili rationes formatæ ruent. prima etenim secundum quid concedi habet: at simpliciter negari: nam non est simile de manducatione cibi corporalis respectu naturæ, & de manducatione cibi spiritualis: quia ibi attenditur continuatio rei: at in susceptione huius sacramenti non, sed voluntas. secundum quid ergo ratio concedenda: quia ibi necessitas ex parte continuationis, & naturæ consideratur: at hic solum ex parte pręcepti. ad illam, nisi manducaueritis, &c. dico: intelligendam esse de necessitate pręcepti, non de necessitate sui, scilicet effectus. & hęc de quęsitis duobus.

AN

AN SVMERE HOC SACRAMENTVM SIT SOLIVS HOMINIS.

Lectio LVI.

IMpositurus extremam manum presenti distinctioni, quesita tria examinanda proponam. quorum primum: An solius hominis sit hoc sumere sacramentum. insuper: An peccator peccet mortaliter hoc Eucharistiæ sacramentum sumens. denique: An liceat sacerdoti Eucharistiam illi dare, quem sit in mortali peccato esse. quãtum ad primum: pro parte negatiua sic arguitur. bruto vel Angelo in corpore assumpto videtur expedire huius sacramẽti sumptio: non ergo solius hominis erit Eucharistiæ sacramentum sumere. insuper glosa super illud Psal. panem Angelorum manducauit homo, dicit: quod panis Angelorum est verum Christi corpus: igitur idem euenit quod prius: quare non solius hominis hoc sumere sacramentum erit. ex alio latere, vsus sacramentorum, solum ad membra Ecclesiæ militantis pertinere videtur: at soli homines sunt huiusmodi: ergo. pro determinatione huius difficultatis primæ, est sciendum: latum esse discrimen inter suscipere sacramentum sacramentaliter per se, & per accidens. nam per se homini solum huius sacramenti sumptio competit: alijs verò per accidens. Nunc ad rationes dico: quod prima currit secundo modo: at nos loquimur primo modo. altera ratio conceditur, scilicet quod Christi corpus, quod esca spiritualis est hominum sub sacramento, secundum se dici debeat Angelorum spiritualis refectio: quatenus ei vniuntur nuda veritate, & perfecta dilectione. at quantum ad incorporari ipsi

Christo, nec non vniri: solis hominibus competit huius sacramenti sumptio. quare Angelis quantum ad vniri, sed non incorporari; nobis verò vtroque modo. deinde illis nudè, nobis sub speciebus panis, & vini. expleto quęsito primo, alterũ subsequitur: vbi probandum venit: quòd sumentes hoc sacramentũ peccatores non peccent mortaliter. vt peccatores Christum in sua propria specie tangentes non peccabant, immo veniam suorum peccatorum consequebantur: ita Christi corpus sumentes mortaliter peccare nõ videntur. pręterea, vti peccator videndo, & tangendo non dicitur peccare: igitur neque, si sumat, mortaliter peccabit. in oppositũ se habet illud Apostoli. qui manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit. pro determinatione huius quęstionis secundæ est sciendum: quòd pręsens difficultas vnum quęrit, & aliud supponit: nam supponit, quòd homo peccator hoc sacramentum sumere possit. quęrit insuper, vtrum sumendo peccet. pro intellectu cuius notare debetis, quòd ille, qui sumit, vel est sibi conscius de peccato mortali, aut non. si sic, neque contritus, neque confessus, si habeat copiam confessoris, tunc sumendo mortaliter peccat. Nunc ad rationes Respondendum hoc vno presupposito: quòd Christus sub propria specie dicitur venisse, vt medicus ad infirmos; at sub sacramento se ipsum prębet tanquam medicinam non quidem morbum expellentẽ; at confortantem post morbũ expulsum: quare peccatoribus tunc licuit accedere ad Christum sub propria specie, qui venerat, vt medicus, at eis minimè licet accedere ad hoc sacramentum, sub quo Christus existit, vt medicina confortatiua: nisi expulso morbo peccati. ad rationem secundam potest dici, non esse simile de visu, & gustu, quò ad peccatorem,

torem, qui habeat fidem, sed non charitatem. explanatis iam duabus questionibus de tribus propositis: vltima superest explicanda: queri etenim solet: nam liceat sacerdoti Eucharistiam dare illi, quem scit esse in peccato mortali. circa difficultatem hanc varij varia dicunt: nos verò breuibus percurrentes veritatem verbis dicimus, quòd peccator perseuerans in peccato, vel est occultus, vel notus: si notorius, ac manifestus, tunc ei debet negari hoc sacramentum, donec vitæ preteritæ eum peniteat, si verò occultus aliter dicendum. & hec de pollicitis tribus satis.

DE HAERESI ALIORVM.
Distinctio 10.
Lectio LVII.

VErsaturi circa distinctionem in ordine huius libri quarti decimam: de nexu primo verba faciemus. insuper ad distinctionis diuisionem properabimus. quantum attinet ad primum: ex quò Magister Sent. loquutus est de sacramento Eucharistiæ in se, & quò ad vsum. consequens modo est de eiusdem veritate contra aliter sentientes determinare: & hec de nexu vna cum intentione. quantum ad diuisionem breui dicendum: in tria presentem secari posse puncta distinctionem, in quorum primo quorundam circa sacramentum hoc ponitur error, in altero determinatio, in tertio, & vltimo veritas concluditur. quantùm ad primum, est sciendum, quosdam intantum errasse, malè sentientes de veritate, ita vt ausi sint insania correpti, maliciam propriam prosequentes,

tes, audaciùs huius ſacramenti Euchariſtiæ veritatem denegare: ſolùm confitentes Chriſti corpus in ſacramento altaris eſſe, vt ſignatum in ſigno. pro fundamento dicebant ſuo, id Dominum notaſſe in Euangelio his verbis: Niſi quis manducauerit carnem meam, &c. quæ verba minimè intelligentes dixerunt, durus eſt hic ſermo: quis poterit eum audire? & abierunt retrò. inſuper D. Aug. hęc verba habet, Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus: quare Chriſti corpus in ſacramento altaris quòd ſit, dicendum minimè erit. pręterea hoc iddem confirmari poſſe videtur verbis Saluatoris dicentis, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autē non ſemper habebitis: quare, &c. poſito errore quorundam in primo puncto originem ducente ex malo intellectu verborum Domini: nunc ſecundo loco veritas in medium afferenda, quæ talis, verba Domini intelligenda eſſe ſpiritualiter nō literaliter. vnde ipſe dixit, verba, quæ ego loquor vobis, ſpiritus, & vita ſunt; ac ſi dixiſſet, non eſſe carnaliter intelligenda, ſed ſpiritualiter: nam ſpiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. propterea Chriſtus diſcipulis dicebat ſuis, Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & illū ſanguinem bibituri, quem effuſuri ſunt, qui me crucifigent ſub forma viſibili; ſed inuiſibili, & ſpiritualiter. Sub quo ſenſu authoritas Aug. accipienda venit. V. g. Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus: verùm enim hoc eſt: quòd ſurſum viſibiliter, at in ſacramento inuiſibiliter. & licet Chriſti corpus de ſe viſibile ſit, ſumitur tamen in hoc ſacramento altaris inuiſibiliter. Ad authoritatē illam de pauperibus dicitur: intelligendam eſſe de corporali pręſentia, non ſpirituali, & ſacramentali, quomodo loquimur in pręſenti his lectis

 duobus,

duobus, tertium pro conclusione addendum: quod authoritatibus quibusdam nititur: & primo D. Abr. dicentis. si tantum valuit sermo Eliæ, vt ignem de cęlo deponeret: non tantum valebit sermo Christi, vt substantias mutet? qui ergo ex nihilo facere, quod non erat, potuit, cur ea, quæ sunt in id, quod non erat, mutare non poterit? pręterea de totius mundi operibus legitur: Quia ipse dixit, & facta sunt: fatendum itaque est, quòd post consecrationem, corpus, & Christi sanguis existat sub illis speciebus sacramentaliter, & spiritualiter. verè ergo, & realiter Christi corpus in sacramento altaris esse fides chatolica cõfitetur. Abeant ergo maledicti hęretici cęcorum duces, ex malo intellectu verborum Christi, nec non sanctorum aliorum pręter rationem temerè negantes, sacramẽti altaris veritatem. Nos verò totum oppositum sentientes, hylari vultu fatemur in sacramento altaris Christi corpus, & sanguinem verè, & realiter modo inuisibili, sub duplici specie contineri.

AN CHRISTI CORPVS REALITER SIT IN SACRAMENTO EVCHARISTIAE.
Lectio LVIII.

CIrca prędeclaratam distinctionem quatuor quęri posse, norunt Theologi perbellè, quorum duo nos hodierna die examinanda proponemus, & in sequenti alia duo percurremus. solet ergo primo in dubium reuocari, An Christi corpus de Virgine natum realiter sit in sacramento Eucharistię. insuper num ibi totus Christus. quantùm ad primum, negatiuè primo sic arguitur:

tur:

tur: si in sacramento altaris Christi corpus esset, hoc vel per motũ, vel per sui ipsius mutationẽ eueniret; at in cęlo existens Christi corpus secundum locum à cęlo mutatum, nec secundum formam ponitur: quare de nouo non videtur esse posse in hoc sacramento. pręterea, nullum corpus simul pluribus in locis dicitur esse; at Christi corpus in cęlo est, non igitur poterit esse in sacramento altaris. ex alio latere oppositum habetur Chor.x. vbi Apost. dicit: panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? hoc autem non esset, nisi in sacramento altaris Christi corpus realiter foret: ergo. insuper Matthei vltimo Christus dicit, Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad consumationem sęculi: hoc autem non debet intelligi de eius pręsentia secundum diuinitatem, quæ omnibus rebus communis est, nec potest subtrahi salua consistentia rei. Intelligatur ergo de pręsentia humanitatis, non in propria specie, illam enim subtraxit secundùm quod ipse dixit: Pauperes habebitis semper vobiscum, me autem non semper habebitis. Relinquitur ergo, quòd hoc dictum sit de pręsentia suæ humanitatis sub specie sacramentali. & hoc supposito fundamento vero, & reali, quòd ibi sit verum corpus Christi de Virgine natum. Ad rationes formatas nunc quid dicẽdum, audite. nam prima currit, atque concedi habet secundum cursum naturæ; at fieri potest contrarium virtute diuina, vti in proposito euenit. Altera ratio in ordine secunda circumscriptiuè est concedenda; at sacramentaliter neganda. Non enim isdem ibi, & hic modus dicitur esse essendi in pluribus locis. nam Christi corpus ad hoc sacramentum non cõparatur ratione suæ quantitatis, sed ratione suæ substantiæ, propter quod pluribus in locis eodem modo pręsens esse potest.

& hęc

& hęc de prima quęstione dicta sint satis. inquirendum est consequẽter: An totus sit in Eucharistia Christus, mihi sanè videtur esse dicendum, quòd non: nam idem simul maius, & minus esse, quis vnquam vidit? at hoc eueniret, si Christus totus in hoc sacramento foret: non ergo, &c. deinde Christi corpus ratione suæ quantitatis ad locum circumscriptiuè comparatur: at tale corpus in hoc sacramento circumscriptiuè minimè habet esse: non igitur ibi totus existit. pro dilucidatione huius difficultatis secundæ duo debetis scire: vnum pertinet ad totalitatem Christi in hoc sacramento: alterum ad existendi modum. propter primum intelligendum est, quod cũ Christus nominet suppositum in duabus subsistens naturis, scilicet diuina, & humana, quæ aliquo modo partes totius suppositi dici possunt: in ipso triplicem est inuenire totalitatem. Prima est naturarum, scilicet diuinæ, & humanæ in supposito. Altera est solius humanæ naturæ quò ad partes eius essentiales, quæ sunt materia, & forma. Tertia dicitur partium quantitatiuarũ, quæ distant secundum situm, vt posset manus, & huiusmodi. Alterum est de modo existendi in hoc sacramento, vbi quid directè, & concomitanter considerandum venit. vnde Christi corpus directè in hoc sacramento ex vi sacramenti dicitur esse, reliqua verò omnia, quæ sunt vnum in supposito, cum corpore Christi, vt diuinitas, & alia huiusmodi intrinseca, vt quantitas, & qualitas in hoc sacramento cõcomitanter esse, & indirectè dicuntur. His pręmissis, nunc ad rationes accedendum, & ad primam dicendum: quod concludat de illo, quod habet esse in loco circumscriptiuè, & sub modo quantitatiuo, non autẽ sacramentaliter, sub quo sensu hic nos loquimur. nam

Christi

Christi corpus solùm presens dicitur esse illis speciebus, absque sui commensuratione ad species, licet secundum se maius sit illis speciebus. Ad secundam rationem. Respondetur: quòd quamuis Christi corpus quantum sit in hoc nobilissimo sacramento: tamen non dicitur esse in ipso ratione quantitatis, siue sub modo quantitatiuo, quia sic ibi foret circumscriptiuè, & non ratione substantiæ, vti est. & hęc satis.

AN CHRISTI CORPVS AD HOSTIAE MOTVM MOVEATVR.

Lectio LVIIII.

SVpersunt alia duo in pręsenti nostro sermone examinanda quęsita, quorum primum: An Christi corpus ad hostiæ motum moueatur. Alterum est: An in Eucharistia tale Christi corpus ab oculo glorificato queat videri. quantum attinet ad primũ, pro parte affirmatiua sic arguitur: illud quod desinit esse, vbi prius erat, & incipit esse vbi non erat, motum esse videtur: at Christi corpus per hostiæ motum desinit esse in altari, vbi prius erat, & incipit esse in ore hominis vbi prius non erat. ergo, &c. pręterea: illud, quod vehitur, siue portatur saltem per accidens mouetur: at Christi corpus in hoc sacramento existens per sacerdotem ad infirmum portari dicitur: ergo ad hostiæ motum mouetur. ex alio latere quo modo illud poterit dici moueri, quod nec per se, nec per accidens est in loco? Christi corpus in hoc sacramento sic se habet: nam nec per se, nec per accidens ibi, vt in loco dicitur esse: non itaque motus

ei potest conuenire, confirmari habet hęc veritas, quia Christi corpus existens in cęlo ibi manet quietum: quare, &c. insuper: si moueretur, tunc ad hostiæ motum esset sursum simul, & deorsum: at hoc ex dictis non sapit verum: igitur Christi corpus non mouetur in hostia, vt prius fuit dictum. Nunc ad formata duo argumenta. His ita positis, de facili poterit responderi, nam primi minor falsa propositio dicitur, quia Christi corpus in hoc sacramento non desinit esse vbi prius erat, nec incipit esse vbi prius nō erat per motum hostiæ: quoniam Christi corpus solùm hostiæ pręsens ex vi sacramenti est: sed ad locum hostiæ nullam pręsentiam habet ratione, qua est in hoc sacramento: quia per aliam rationem comparantur species ad locum, & corpus ad species, vt ad sacramentum: & ideo manentibus speciebus quantumcunque transferantur de loco ad locum, Christi corpus, quod pręsens est, eis semper est vbi erat: quia in cęlo localiter, & cum speciebus sacramentaliter, quæ licet transmutentur, non ob id Christi corpus mouetur, quia non dicitur pręsens loco, nisi quia pręsens est speciebus existentibus in loco. Ad argumentum secundum dicitur: quòd concludit de illo, quod habet esse localiter in loco: at Christi pręsentia in sacramento localis non est: & ideo licet localiter species moueantur, ipsum tamen Christi corpus non dicitur moueri, nec per se, nec per accidens, nec nouū locum acquirere, vt in hac prima est videre questione, cui nectitur altera, quæ est, An ab oculo Christi corpus in hoc sacramēto queat videri glorificato. mihi quod sic apparet: nam Christi oculus videt se in hoc sacramento, cum sit idem videns, & visibile: ergo, &c. consequentia patet: quia corpora nostra glorificata, conformia corpori

pori

pori Christi erunt, vt dicitur Phil. iii. insuper: Angeli Christi corpus intuentur in hoc sacramento: ergo oculus glorificatus ipsum videre potest: ex alio latere, quomodo illud poterit videri, quod visum nō potest immutare? Pro dilucidatione debetis animaduertere: oculum dupliciter considerari posse: vno modo propriè, & corporaliter: alio modo metaphoricè, siue spiritualiter. si primo modo loquamur de oculo corporali, tunc dicendū, Christi corpus in hoc sacramento à nullo videri. illud enim, quod videri habet, coloratum, & quantum esse debet. Si autem loquamur de oculo mentali, hoc est de intellectu: sic dicendum: quod Christi corpus in hoc sacramento oculo mentali glorificato videatur: non autem ab alio primum patet, quia merito fidei succedit visio. secundum quoque: nam intellectus, qui dicitur oculus mentalis: vel est Angelicus, vel humanus: de Angelico nō dubitamus, at de humano aliter dicendum: quia humanus intellectus non glorificatus, non videt nisi sensibilia, vel ex sensibilibus deducta. His ità positis, formatæ rationes de facili ruent. currunt enim de oculo mentali glorificato. & hęc de quęsitis duobus vltimis satis.

DE MODIS CONVERSIONIS.
Distinctio 11.
Lectio LX.

SE se nobis offert in pręsenti nostro sermone explananda distinctio vndecima: cuius nexus de facili his verbis cum superioribus poterit haberi. ex quo enim ad votum Magistri

ſumus hactenus loquuti de ſacramento Euchariſtiæ, quantum ad ſuum eſſe: nunc de eo quantum ad eius fieri ſupereſt determinare. habito nexu, diuidi modo habet preſens diſtinctio in octo puncta. in dubium primo. in oppoſitum ſecundo. in inſtantiam tertio. in cōcluſionem quarto. in triplicem rationem pro concluſionis inſinuatione quinto. in notandum ſexto. in conſiderationem de aquæ appoſitione in hoc ſacramento ſeptimo. tandem in propoſitionem, cum probatione octauo. quantum ad primum: loquuturi de ſacramento Euchariſtiæ quo ad fieri: primo quęremus: qualis nam conuerſio iſta panis, & vini in corpus Chriſti cenſenda; vtrum ſcilicet ſubſtantialis, vel formalis, vel alterius modi? primo aſpectu Magiſtro non videtur eſſe formalis: & ratio aſſignatur, quia ſpecies, quæ prius erant, ſcilicet ſapor, pondus, figura, & albedo permament. Quibuſdam verò alijs loco ſecundo videtur, quod ſit conuerſio ſecundum ſubſtantiam, vel ſubſtantialis. motiuum quorum tale, quia ſubſtantia panis, & vini, eſſentialiter dicitur fieri corporis, & ſanguinis Chriſti ſubſtantia. His tertio loco circa hoc ponenda venit obiectio. quidam enim inſurgentes ita dicunt: ſi conuerſio in hunc modum, vt nunc nunc fuit dictum, intelligenda foret, proculdubio quotidię Chriſti aliqua ſubſtantia corpus, & ſanguis fieret, quæ ante non erat: quare Chriſti corpus augeretur, & de materia aliqua formari videretur, de qua in ſua minimè factum fuerat conceptione. His doceo vos in hunc modum occurrere per diſtinctionem notatu dignam talem, de fieri ſecundum nouam corporis formationem; aut per quandam tranſubſtantiationē virtute diuina factam, abſque noua formatione, aut augmento, quo ſecundo nos hic loquimur

mur modo, non primo. vnde quod prius panis erat, & vinum, post consecrationem, Christi corpus, & sanguis esse nulli dubium. vnde Aug. lib. tertio de trin. Capite quarto dicebat. corpus Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum: & prece mystica consecratum sumimus in memoriam Dominicæ passionis. mirabile equidem hoc sacramentum, spiritu Dei operante inuisibiliter: quod panis dicitur, quo ad vsum, non quantum ad materiam post consecrationem: qua facta non remanet substantia panis, sed species tantũ remanere dicuntur. His quarto apponenda venit talis cõclusio loco. Sub aliena specie corpus Christi traditur. An hoc verũ, & cur fiat quinto loco triplex ratio assignanda venit. prima est ad fidei meritũ, quæ est de his, quæ nõ videntur: altera ad horrorẽ vitandũ; nam in cõmuni vsu non habemus carnem crudam, & sanguinẽ manducare. Tertio, ne infidelibus daretur irridendi occasio. tribus ergo de causis, sub aliena specie Christi corpus occultatur, seu à fidelibus sumitur. Hinc sexto oritur loco notandũ de tali sacramento: qđ ideo sub duplici dicitur specie sumi, in signum animæ, & carnis in Christo: pręterea, sub duplici ordinatur specie hoc sacramentum, ad salutem corporis scilicet, & animæ; continetur uè totus Christus sub vtraque specie, nec tamen panis conuertitur, nisi in corpus: & vinum nisi in sanguinem, nec ob id in hoc duplex species vnitatem sacramenti tollit: quia sub eadem specie sumitur idem. explicatis iam sex punctis, accedit in ordine septimum consideratione de appositione aquæ contentum. aqua enim vino admiscenda est in hoc sacramento, ad significandum vnionem populi cum capite Christo. nec debet omitti scienter: quia eam Dominus apposuisse dicitur: insuper quia

est de necessitate precepti. quid si quis ex obliuione, vel ignorantia offerat vinum sine aqua, an conficere dicetur? ad hoc Respondetur, quod sic: grauiter tamen corripiendus. denique vt distinctio presens claudatur, hec propositio ponitur. Quamuis Christus in cena corpus passibile, & mortale dedit: sumitur tamen nunc impassibile, & immortale. Pro cuius insinuatione dicendum: Christum tale corpus, quale tunc habuit passibile, scilicet, & mortale dedisse Apostolis. nunc verò quia impassibile, & immortale, iccirco tale sub duplici nobis, quale modo est, traditur specie. & hec de vndecima distinctione.

DE CONVERSIONE.
Lectio LXI.

PRO *maiori intellectu eorum, quæ in superiori, tacta sunt distinctione: arbitror hodierna die verba facienda esse de conuersione. Solet enim, vt norunt Docti homines, multipliciter capi, vno modo pro quadam propria passione propositionum vtroque termino participantium ordine conuerso, de qua in logica differitur. secundo modo pro mutatione rei positiuæ in rem positiuã: & est duplex, substantiæ in substantiam, & accidentis in accidens. substantiæ in substantiam duplex est, scilicet vini in sanguinem, & panis in corpus Christi. vbi non solum forma, sed & materia transit, & est supernaturalis. Alia partialis est, quando, scilicet elementum in aliud conuertitur, vel mixtum vnum in aliud. Accidentis verò in accidens, vt cõuersio Sancti Pauli à malitia in bonitatem.*

Tertio

Tertio modo pro annihilatione alicuius rei, & dicitur tunc tẽporis mutatio versio. quarto capitur pro cõuertentia, V. g. cum dicimus Relatiua dicuntur ad conuertentiam, & est mutua reciprocatio, siue referibilitas, sicut Pater refertur ad filium, ita, è conuerso filius refertur ad Patrem. Quid autem sit conuersio secundũ Gabrielem, audite. nam nil aliud est, quam transitio vnius in aliud, in quo duo notantur, scilicet desitio vnius, & successio alterius. & hęc duplex est, vt alias diximus, accidentalis, & substantialis. accidentalis conuersio est, cum ad desitionem alicuius incipit, aut conseruatur accidens aliquod, vel habitudo, vt in calefactione aquæ ad desitionẽ frigiditatis aquæ, incipit de nouo calor esse in aqua, & sic conuertitur frigiditas in calorem, similiter aqua frigida in calidam conuertitur aquam. Sed frigiditas simpliciter conuertitur in calorem, quia simpliciter frigiditas desinit, & calor succedit. At frigidum in calidum secundum quid conuertitur, quia res, quæ frigida est, non desinit esse, puta aqua, nec aqua calida in casu incipit esse simpliciter, at secundum denominationem accidentalem. desinit enim aqua esse frigida, & incipit esse calida; conuersio tandem substantialis illa est, dum ad desitionem alicuius incipit esse substantia, quæ prius non fuit, vel conseruatur, quæ prius fuit. & dicitur substantialis, si terminus ad quem, fuerit substantia, sicut illa accidentalis, cuius terminus ad quem sit accidens. At ex dictis de facili dubitabitis dicentes: quotnam sunt conuersionis species? Responderi ad hanc instantiam ità poterit: quod quatuor: vna, qua accidens in accidens conuertitur. Secunda, qua substantia in substantiam. Tertia, qua substantia in accidens. quarta, & vltima, qua accidens in substantiam conuertitur.

conuertitur. Substantialis conuersio adhuc duplex: quędam fit secundum partem eius, quod cõuertitur, & eius, in quod conuertitur. & contingit in his, quæ materiam communem habent, vt in generatione substantiali ignis ex aere. nam aer conuertitur in ignem, non secundum se totum: quia nõ secundum se totum syncategorematicè, id est quodlibet sui desinit, quia non secundum materiam, materia enim eadem numero manet in vtroque, sed fit conuersio secundum formas tantum. Alia fit secundum totum, quando illud, quod conuertitur secundum se, & quodlibet sui desinit esse, & terminus ad quem secundum se, & quodlibet sui nouum esse recipit, vel conseruatur in esse prehabito: & illa conuersio vocatur transubstantiatio, quæ dupliciter sumitur. vno modo communiter, alio modo strictius. & sic transubstantiatio est immediata successio substantiæ primò, & principaliter intentæ à conuertente ad aliquod positiuum. vnde facta consecratione panis, tunc sub speciebus panis est Christi corpus verum, tale quale est in sua naturali consistentia, modo tali, quale est ad dexteram Patris, viuum, immortale, gloriosum, Deitati coniunctum, cum omnibus qualitatibus sibi inhęrentibus. si autem fuisset facta consecratio in triduo mortis, tale fuisset corpus, quale iacuit in sepulchro, scilicet exangue, & exanime, sed coniunctum Deitati suo modo de sanguine sub speciebus vini, de transubstantiatione verò communiter, alias dictum fuit: talis enim, & ad substantiam, & ad accidens se extendit, in sequenti ad quęstiones accedemus. hęc in tantum dicta sint.

AN

AN CVM CORPORE CHRISTI REMANEAT PANIS.

Lectio LXII.

Circa præsentem distinctionem multa solent in dubium reuocari: & primo: num cum corpore Christi panis substantia remaneat. insuper: An Deus quodlibet in quodlibet conuertere possit. quantum attinet ad primum: pro parte negatiua sic arguitur: si post consecrationem substantia panis remaneret, tunc hoc sacramentum non videretur esse maximæ veritatis: at hoc velle negare absurdissimum est: quare dum dicitur. Hoc est enim corpus meum, euidenter apparet, quod post consecrationem substantia panis non remanet. insuper: si post consecrationem panis substantia remaneret, tunc transubstantiatio nõ fieret: at secundum veritatem, transubstantiatio in hoc conceditur sacramento: non ergo post consecrationem, cum corpore Christi substantia panis remanet. Pro determinatione huius primæ quæstionis est primo sciendum de modo existendi in hoc sacramento: quod ibi Christus tanquam in aliquo vbi circumscriptiuè non dicitur esse, & ibi ratione præsentiæ ad locum, ita vt ly in hoc sacramento inueniri tanquam in loco dupliciter possit considerari: vno modo propriè, vt in aliquo vbi circumscriptiuè: alio modo præsentialiter, & largè loquẽdo de vbi, siue de loco. Primo modo Christi corpus circumscriptiuè, & secundum esse extensum ibi, vt in loco non debet dici esse: at secundo modo sic. preterea: tria alia consideranda: primum est: quod substantia panis, & vini cõuertuntur in substantiam corporis Christi.

Christi. secundum est: quod tali mediante conuersione corpus, & sanguis Christi virtute diuina talem ordinem habent seu habitudinem ad species, sub quibus fuerunt panis, & vinum, quod sunt eis realiter presentes. Tertium est, quod quamuis iste modus sit de facto: non tamen negandum, quin alius modus sit Deo possibilis, ex his, quid ad rationes dicendum patet: nam pro veritate concludunt, quæ verò in oppositum adduci solent figmenta sunt, quia hoc sacramentum fidei Mysterium est. Iam dubio enodato primo: alterum subsequitur, vbi probatur quodlibet in quodlibet posse conuerti virtute diuina. nam potestatem habet Deus super totum esse: ergo, &c. insuper cuncta ex nihilo Deus fecit, & hoc maius est, quam vnum ens in aliud conuertere: ergo. Tertio authoritate Ambr. hoc idem confirmatur. nam ipse super Epistolam primam ad Chor. dicit. Sermo Dei, qui ex nihilo facere potuit, quod nõ erat: potest ea mutare, quæ sunt in id, quod non erant: non enim minus est dare nouas naturas rebus, quam mutare. In oppositum se habet Boetius in libro de duabus naturis, & vna persona Christi dicens: illa sola inter se transmutari posse, quæ vnius materiæ communem substantiam habent. quare, &c. Pro intellectu huius questionis secundæ est sciendum: quod conuersio differt à creatione, & ab annihilatione. Quod enim creatur omnino prius non erat, nisi in potentia agentis: quod verò annihilatur omnino non remanet: sed qđ cõuertitur in aliud, prius erat aliquid, in quo à creatione differt: & postquam conuersum est, aliqualiter manet in eo, in quod conuersum fuit: in quo differentia patet ab annihilatione. insuper notandum: quod hec conuersio fieri potest, vel in preexistens, sicut cum conuertitur

titur

titur alimentum in corpus animalis: vel in non preexistens, sicut fit in generatione, & corruptione, vt conuertitur aer in ignem, qui ex eo generari dicitur. Quibus suppositis, est dicendum, quòd quodlibet nequeat conuerti in quodlibet, sed ea tantùm, quæ in materia communicant. Nunc ad rationes adductas tres Respondendum, & primo ad primam sic: quod non ex hoc dicitur posse aliquod agens, vnum in aliud conuertere, quia habet potestatem super totum, nisi illa, quorum vnũ in aliud debet conuerti communicent in materia: ratione cuius, vnum dici potest in altero manere. ad secundam rationem negatur minor: & ratio assignatur, quia in creatione nihil contradictionis est: at in conuersione vnius diuersæ naturæ in aliud maxima apparet contradictio: quare, &c. ad vltimam desumptã ex Ambrosio dicitur: quod sicut Deus potest aliquid de nihilo producere, sic potest vnam rem in aliam conuertere, tamen quamlibet in quamlibet, nisi ibi sit communicatio materiæ.

QVALIS SIT CONVERSIO SVBSTANTIAE PANIS, ETC.
Lectio LXIII.

Hodierna die de modo cõuersionis substantiæ panis in corpus Christi primo loquendum. insuper de aquæ appositione, vt valeatis intueri: Num totus panis conuertatur in Christi corpus, nec non aqua vino miscenda in hoc sacramento? quantum attinet ad primum: cum hęc cõuersio miraculosa sit, hinc dicendum: quod totum conuertatur in totum. pręterea: si non to-

tum in totum, proculdubio remaneret ſubiectum, & ſic inter conuerſionē naturalem, & miraculoſam nullum videretur diſcrimen, quia aliquod commune ſubiectum vtraque haberet: at iam diximus differentiam inter conuerſionem, & naturalem tranſmutationem: ergo totum in totum, quod conuertatur fatendum. In oppoſitum dicetis vos arguentes: id quod conuertitur aliquo modo manet in eo, quod conuertitur: ſed totus panis quantum ad formam, & materiam, non poteſt manere ſaltem quantum ad formam, quæ nullo modo manet poſt panis conuerſionem: ergo totum non conuertitur in totum. Pro dilucidatione huius primi quęſiti eſt ſciendum: quod in conuerſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti totum conuertitur in totum ſub hoc ſenſu: quod nec materia, nec forma panis manet in ſe, vel in corpore Chriſti poſt conuerſionem, quia verè annihilatur. vnde virtute diuina fieri dicitur tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti. His ita poſitis, rationes adductæ concedendæ. quod enim hic fit totū miraculoſum eſt. ad inſtantiam verò in contrarium adductam de facili poteſt reſponderi ſic: quod ſit intelligenda de conuerſione naturali: at hęc ſupernaturalis eſt. explicata prima quęſtione ſupereſt altera de apponenda aqua vino in hoc ſacramento altaris: mihi etenim videtur, quod apponenda non ſit: quia vel hęc fieret de neceſſitate: vel de congruitate: nullum horū dicendum eſt: ergo minor patet quo ad vtrunque: & primo quantum ad neceſſitatem: nam duo ſunt de huius ſacramenti neceſſitate, puta panis, & vinum: quare non aqua. Nec de congruo, quia pani non apponitur aqua ad ſignificandam vnionem populi cum Chriſto: ergo neque miſcenda vino. deinde non legitur, quod Chriſtus

inſtituendo

instituendo hoc sacramentũ aquam apposuerit: ergo, &c. In contrarium se habet illud, quod dixit Alex. Papa: & habetur de cõsecr. dist. ii. Cap. i. rursus Cyprianus ait: quòd calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi misceatur vtrunque: & ita appositio aquæ necessaria. Pro Responsione sciendum: quòd aqua vino miscenda, cuius tamen mixtio non dicitur esse de necessitate sacramenti: at de congruitate, & Ecclesiæ precepti. insuper notandum: quòd illa aqua, quæ in vino apponitur congruentius benedicitur per illa verba. In nomine Patris, &c. cum signo [illegible]cis: & huius ratio assignatur, quia omnia, quæ applicantur materiæ huius sacramenti sunt benedicta sicut calix: patena: corporalia: manus sacerdotis: & ideo rationabile est, quòd aqua in vino apponenda primò benedicatur. debet autem apponi aqua in tàm parum quantitate, quòd non corrumpat vinum. His in hunc modum constitutis, ad argumenta respondendum, & primo ad primum: quòd currit de necessitate sacramenti, quo modo appositio aquæ non est necessaria, quia, qui sine aqua celebraret, conficeret. ad illud verò de pane, & aqua potest dici: quod non sit simile. ad argumentum secundum Respondetur: quod quamuis expressè non habeatur aquam à Christo appositam: probabile tamen est, quòd vino in institutione huius sacramenti aqua apposita sit. illud verò Cypriani dictum sic intelligendum: quòd Calix Domini non possit esse aqua sola: nec vinum solum, nisi vtrunque misceatur: debet ergo apponi aqua de necessitate precepti. & hęc pro presenti.

VBI ILLA ACCIDENTIA FVNDANTVR.
Distinctio 12.
Lectio LXIIII.

INterpretaturi duodecimam huius libri quarti in ordine distinctionem, quo modo à prędeclaratis pendeat, primo docebimus. insuper ad diuisionem accedemus. quantũ ad primum: ex quo Magister loquutus fuit de huius sacramẽti confectione: consequenter nunc in pręsenti intendit verba facere de consequentibus confectionem: vbi septem in ordine nobis pollicetur, in quæ pręsens distinctio consumitur. nam primo conclusio proponitur. secundo probatio. dubium tertio. significata partium hostiæ consecratæ quarto. quęsitum quinto, effectus in specie huius sacramenti sexto. modus hoc sacramentum frequentandi inquiritur septimo. circa primum, vt versemur hęc venit ponenda conclusio, in hoc cęlesti sacramento species, siue accidentia remanent sine subiecto: an hoc sit verum quęso secundo probationem, audite loco. ibi non est, nisi substantia corporis, & sanguinis Dominici: at hęc huiusmodi affectionibus affici non potest: quare ibi talia accidentia sine subiecto sunt, sed dicetis, ad quid ergo remanent? Respondetur propter tria, scilicet ad mysterij ritum: ad fidei suffragium: & propter gustum, nunc tertio inquirendum venit loco: num in hoc sacramento fiat vera, & realiter fractio, siue partitio. primo aspectu videtur ad partem declinamdum esse negatiuam: nam Christi corpus frangi non potest, & alia substantia ibi non est: quare nec fractio realis. alij dixerunt in hoc sacramento concedendam esse fractionem secundum

apparentiam tantùm, nec ob id illusionem: sed potiùs ad fidei vtilitatem. quidam alij existimarunt Christi corpus verè frangi, integrumq; non remanere. alij dixerunt: quòd sicut ibi species panis est, & non res in qua sit species: ita debet esse fractio, quæ non sit in aliqua re, cum nihil ibi frangatur: quod mirabiliter de Dei potentia fieri dicunt. nos verò vna cum Magistro Sent. liberè fatemur, in hoc sacramento concedendam esse veram ipsis sacramentalibus speciebus fractionem, nõ igitur Christi corpus frangitur: inquit enim beatus Heronymus: quod sub singulis fractionis partibus est totus Christus. Hylarius quoque dicit: vbi est pars corporis Christi, ibi est totum. His quarto venit addenda loco vera significatio partium hostiæ, in quas descendit per veram fractionẽ frangitur enim in tres partes: vna significat Christi corpus in sepulchro iacens: alia verò Christi corpus in mundo viuens: tertia, & vltima Christi corpus post Resurrectionem. addit e vos: quòd in illa hostia consecrata fractio facta tria significat, scilicet Saluatoris passionem: fidelium vnionem: & virtutis distributionem. ibi vera fractio, & in Christi morte animæ à corpore diuisio. ibi tres partes: non secus tria considératione digna in Christi passione occurrunt, vt puta sanguis, corpus, & anima abinuicem separata. insuper pars vna comeditur, quæ significare dicitur Ecclesiæ fideles in hoc mundo viuentes, quæ in calice ponitur, & cum sanguine miscetur, denotat in cęlo exientes in plena beatitudinis participatione esse. vltima particula in purgatorio morantes innuit. At dicetis: cum in tres diuidatur in æquales partes hostia consecrata, quarum vna sub figura triangulari manet? num Christi corpus triangulare? Respondetur

quòd

quòd non: quia ibi Christus sub modo quantitatiuo esse non habet, sed vt alias clarè diximus. quatuor iam expositis sectis, quintum subsequitur, & est tale: num quotidiè Christi corpus immolari dicatur? insuper: num quod facit sacerdos in hoc sacramento propriè queat dici sacrificium, vel immolatio? mihi sanè vtrunq; dicendũ forè videtur, licet non in re, sed tantùm in similitudine, quod enim quotidiè geritur, signum est memoriale, nec non figura immolationis semel factæ: & sic forma visibilis, quæ in altari, sacrificium dicitur, & est similiter immolatus fuit, quotidiè tamen offertur: sed aliter tunc, & aliter nunc. nam inquit beatus Aug. super Psal. vigesimum. certum habemus, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur. Semel igitur fuit immolatus Christus, & semel hostia pro salute oblata, totum verò, quod singulis diebus offerimus, in eius mortis memoriam facimus. Preter omnia, quæ hactenus explicata, sexto tangitur huius sacramenti effectus loco: hoc enim à Christo sacramentum duplici de causa fuit institutum, scilicet in charitatis augmentum, & in medicinam nostræ infirmitatis. Nam quotidiè labimur, & cadimus: propterea quotidiè Christus pro nobis mysticè immolatur. vnde virtus sacramenti venialium remissio potest dici. denique de modo vtendi hoc sacramento agendum, vt cognoscamus: num sit frequentandum? Pro intellectu cuius ad Ecclesiæ statuta recurrendum. & hęc de tota distinctione.

DE

DE ACCIDENTIBVS SACRAMENTI ALTARIS. Lectio LXV.

DE more nostro distinctionem presentem examinare volentes, duo principalia se se nobis offerunt quesita: quorum primum: An Deus quodlibet accidens sine subiecto facere possit. insuper: An sacramẽtales valeant naturaliter aliquid immutare species. quantum ad primum: authoritate Prophyrij, & Philosophi septimo diuinorum sic arguitur. hec duo, vt Relatiua se habent: igitur accidens non poterit esse sine subiecto: nam accidentis est in esse: igitur, &c. preterea: vt se habet quantitas ad ipsam substantiam, ita qualitas ad quantitatem: sed qualitas esse nõ potest sine quantitate, nec quantitas sine substantia: ergo albedo in hostia non erit sine subiecto: quod si esse posset sine subiecto, visum imutare non posset. quare, &c. In oppositum dicetis vos: veluti accidentis est inesse: ita substantiæ completæ erit per se esse: sed Deus sua virtute facere potest, quod completa substantia non sit per se, sed in alio vt patet de humana natura in Christo: igitur poterit facere idem de accidente, quod minimè sit in alio, sed per se. Pro determinatione huius primæ questionis, est primo sciendum: quòd accidentia in duplici dicuntur reperiri differentia: quedam enim sunt absoluta, & quedam respectiua; voco ad presens accidens Respectiuum nõ ex respectu ad subiectum, vel fundamentum, in quo dicitur esse: quia sic omne accidens Respectiuũ dicitur, & nullum absolutum: at Respectiuum illud, cuius essentia est habitudo ad aliud: & esse est ad aliud se habere, vt est Relatio, & quecunque includunt essentialiter

entialiter respectum. Absolutum autem accidens illud est, cuius essentia non est habitudo ad aliud, nec esse eius est ad aliud se habere: sed in se quędam natura est, vt quantitas, & qualitas. est autem inter hęc accidentia differentia duplex: prima est, quòd accidens absolutum quędã natura in se est, cui competit aliquis modus essendi. accidens autem Respectiuum, solum dicit modum essendi alterius partis. secunda differentia est: quia accidentia absoluta propriè dicuntur esse in subiecto: at Respectiua in illa natura, in qua immediatè sunt, magis esse dicuntur in fundamento, quàm in subiecto. pręterea est sciendum: nos duplicia attendere posse accidentia in sacramento altaris: quędam, quæ fuerunt in pane, & vino, & manent pane, & vino desinentibus, quæ intelliguntur per species panis, & vini, & ea sunt, quæ post consecrationem sentiuntur, quę tamen Christi corpus non afficiunt, sed continent ipsum per realem pręsentiam, & hęc sunt, calor, odor, sapor, pondus, color, humiditas, & similia. Alia sunt accidentia corpori Christi inexistentia inhęsionem, vel pręedicationem, quæ nullo sensu percipiuntur, quæ etiam eidem corpori in cęlo insunt, vel inesse possunt. His suppositis, dicendum modo est, quòd accidens Respectiuum nullo modo, sine suo esse possit fundamento. accidens autem absolutum, sine quocunque bene potest esse subiecto. Sub quo sensu communis est opinio omnium chatolicorum: accidentia sacramenti altaris, sine subiecto esse. Nunc soluendæ rationes prius formatæ, deinde ad alteram accedemus quęstionem. prima ergo concedenda, quantum ad accidens respectiuum, & quo ad inesse per concomitantiam, non autem per essentiam. Insuper naturaliter loquendo. de accidente verò

absoluto,

absoluto, & supernaturaliter, nulla est adducta, siue formata prima ratio. Altera ratio admitti potest secundum ordinem naturæ: nam licet albedo de se, sensus motiua sit, non tamen dicitur, vt separata actu immutare sensum, licet potentia possit. huiusmodi ergo accidentia tollunt actum, at non potentiam sensus. & hęc de primo quęsito. quęritur secundo: An sacramentales species, aliquid valeant immutare naturaliter. mihi primo aspectu videtur esse dicendũ, quod non: nam Angelus maioris dicitur esse virtutis, quam species in sacramento remanentes: sed non potest quid immediatè immutare: ergo neque huiusmodi species. Insuper Philosophi Regula firma est in Physicis: quod omne agens in agendo repatitur: si ergo tales species, de quibus hic loquimur aliquid naturaliter immutare possent, non secus ab alio naturaliter immutari possent: at hoc non videtur possibile, quia sic, vel desinerent esse, aut cederent in potentiam materiæ, aut annihilarentur, quæ omnia sunt absurda: ergo. ex alio latere oppositum nobis apparet: quia omne, quod sentitur, sensum immutat: sed species existentes in hoc sacramento naturaliter sentiuntur, quia color videtur, & sapor gustatur: igitur sensum immutant. Pro intelligentia huius quęstionis est sciendum: huiusmodi species in sacramento naturaliter quidem aliud immutare posse: quod etenim ante consecrationem poterant, cur non, & post? quo stante, ad rationes modo dicendum, quod prima nihil concludit, quia non est simile de Angelo, & de speciebus sacramentalibus in hoc sacramento existentibus: quia Angelus immediatè dare non potest formam aliquam, at qualitates corporales habent generare sibi similes qualitates, nec non contrarias corrumpere: quare, &c.

*ad secundam ration*ẽ *dicitur: quod nullum sequitur incommodum, dum quantitas virtute diuina desinit esse, quia tunc annihilatur, nec mirum, sicuti omnia per ipsum ex nihilõ facta sunt. & hęc de duobus quęsitis.*

AN PER ADMIXTIONEM NOVI VINI DESINAT ESSE SANGVIS CHRISTI. Lectio LXVI.

PRedeclaratis quęsitis duobus in proximo prętерito sermone nostro: duo alia hodierna die erunt addenda maxima animaduersione digna: quorum primùm de admixtione noui vini speciebus huius sacramenti. Alterum de frequentatione eiusdẽ. quęritur ergo primo: An si speciebus vini consecrati, alius admisceatur liquor desinat ibi esse Christi sanguis? mihi quod sic prima fronte apparet: quia idem in numero non potest esse in subiecto, & sine subiecto: at hoc sequeretur, si post admixtionem noui liquoris ad species vini consecrati ibi Christi sanguis remaneret: ergo, &c. insuper quęlibet pars mixti mixta est: tunc si aliquis, liquor ibi apponeretur, per totum mixtum illud nuncuparetur: at Christi sanguis in hoc sacramento non dicitur esse, cum substantia alterius corporis: per talem igitur admixtionem desinit ibi esse Christi sanguis· ex alio latere nulli dubiũ: quin Christi sanguis sub illis manentibus speciebus consecratis maneat: nam per quamcunque admixtionem alterius liquoris non ibi desinit esse sanguis, vt potè si modicum de vino: vel modicum de aqua admisceatur. Pro dilucidatione igitur

huius

huius questionis prima duo premittenda sunt: quorum primum est: quòd Christi sanguis in hoc sacramento manet, quam diù manent consecratæ species. Alterum respicit liquorem appositum: vel enim huius modi liquor appositus speciebus sacramenti est eiusdē speciei, vel alterius. Si eiusdem speciei, tunc distinguendum: nam potest fieri appositio secundum eandem substantiam, sed non secundum qualitates quasdam. V. g. si vino rubeo consecrato vinum album apponeretur nō consecratum, tunc per talem videtur appositionem, si fiat in notabili quantitate, quòd vini consecrati qualitates corrumpantur. nam sensus docet, quòd color mutatur, sed nunquid propter hoc desinit ibi esse sanguis Christi? potest probabiliter teneri quòd non: quia talis apparentia colorum per accidens se habet ad sacramentum, nec propterea immutat ipsum. Si verò liquor esset alterius speciei, vt puta cum aqua vino consecrato admiscetur: tunc videndum: num appositum sit maius illo cui apponitur, vel equale, aut minus: si maius, vel equale, non solum quantitate, sed virtute corrumpitur species vini, & desinit esse sub his sanguis Christi. Si autem quod apponitur esset minus puta parua aqua, tunc talis à vini speciebus valentibus aquam totaliter alterare corrumperetur, & virtute diuina forma vini introduceretur. His suppositis, & rectè consideratis, de facili poterit iudicari de casibus circa materiam hanc occurrentibus. Nunc ad argumenta dicendum, & ad primū primo: nihil prohibere, quia accidens quod partes habet extentas, vt est quantitas secundum vnam partem, sit in subiecto: & secundum aliam non sit in subiecto, nec hic apparet aliqua contradictio, quia hoc non dicitur secundum idem, sicut fit in hoc sacramento,

quando ei apponitur secundum speciem similis liquor. ad secundum dicitur: quòd in appositione similium non est mixtio propriè dicta, de qua Aristoteles loquitur primo de generatione. Illa enim mixtio diffinitur secundum ipsum, quòd est miscibilium alteratorum vnio: hic verò sumitur mixtio per secus positionē partium, ita quod nulla pars ibi sit mixta, sed totum mixtum: quatenus partes continet diuersorum. enucleata breui hac prima quęstione consequenter inquirendum est de huius sacramenti frequentatione: An scilicet laudabile sit quotidiè hoc sacramentum sumere. mihi videtur, quòd laudabile non sit: quia si sic: tunc pluries in die sumere foret magis laudabile: at hoc minimè verum, quia consuetudo Ecclesiæ se habet in contrarium: ergo. Insuper pluries baptizari minimè licet: igitur nec omni die hoc sacramentum sumere erit laudabile. Pręterea: Agnus Paschalis, qui pręfigurabat hoc sacramentum, semel tantùm comedebatur in anno: semel igitur Eucharistiæ in anno sumendum erit hoc sacramentum. vlterius Ecclesia sancta semel Christi passionem in anno celebrat, cuius hoc memoriale sacramentum: omni igitur die velle sumere hoc sacramentum nō videtur esse laudabile. Quis itaque quotidiè hoc sacramentum audebit sumere? nonne Cēturio dixit ipse: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: quare, &c. pro determinatione huius difficultatis secundæ, tria pręmittenda, pro cognoscenda veritate. primum est: quotidiè hoc sacramentum sumere expediens, & laudabile esse ex genere facti. Alterum est: ab huius sumptione abstinere quandoque ex parte facientis laudabile, quando non sit dispositus, sed indispositus homo. Tertium, & vltimum est: quòd inter laudabiliter sumentem,

tem,

tem, & laudabiliter abstinentem, melius videtur facere qui sumit, quàm qui abstinet. His ita premissis, quid ad formata argumenta sit dicendum patet. nam primum supposita recipientis dispositione melius quidem foret, magisq; laudabile pluries in diè hoc sacramentum sumere ex genere facti, nisi consuetudo in contrarium ipsius Ecclesiæ se haberet. ruit ergo primum argumentum non ex genere facti, sed ex non consuetudine. Ad secundum similitudo negatur, & ratio assignatur: quia in baptismo semel fit spiritualis regeneratio: hic autem nutritio, & ideo potest pluries hoc sacramentum sumi, sed illud non reiterari. ad illud de agno Paschali dicitur: quòd semel comedebatur, quia Christus semel mortuus: & propter hoc semel in anno Ecclesia Christi passionem celebrat. verum, quia in hoc sacramento nobis passionis Christi memoriale traditur: hinc quotidiè per modum cibi hoc sacramentum sumitur, in signum quoque cibi illius, qui quotidiè populo dabatur in deserto. laudabile igitur est, hoc sacramentum quotidiè sumere. nam si quotidiè acceperis, quotidiè tibi Christus erit. ad dictum Centurionis Respondetur: quòd ex timore illius, orta humilitas, merito cuius, Christum suscepit ipse gaudenter. filialis ergo timor fidelem disponit ad humilitatē, nec non ad huius sacramenti susceptionem. & hęc satis.

SI HAERETICI, ETC.
Distinctio 13.
Lectio LXVII.

VBI determinatum fuit de Eucharistiæ sacramento quantum ad esse, & fieri: consequenter inquirendum à quibusnam

nam possit hoc sacramentum confici. diuidatur itaq; presens distinctio in secta octo. in quorũ primo ponitur propositio. in altero quesitum. in tertio Responsio. in quarto noua propositio. requisita ad huius sacramenti perfectionem in quinto. notandum in sexto. Epilogus in septimo. obiter quid sit hereticus in octauo. quantum ad primum: sit hec propositio; à malo sacerdote verum cõficitur sacramentum. pro intellectu cuius queritur secundo. An malus sacerdos conficere possit hoc sacramentum. Sanè, vt tertio habeatur loco Responsio, ita dicendum, quòd sic: totum enim quod hic fit, in merito consecrantis minimè fieri dicitur, sed in verbo Creatoris: diuina enim virtus secretiùs operatur sub tegumẽto rerum visibilium salutem. vnde beatus Aug. dicebat: intra Chatolicam Ecclesiam in mysterio corporis, & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perfici sacerdote. nec id mirum, quia in verbis Christi creatoris sacramenta conficiũtur. tàm ergo bonus, quàm minister malus conficere dicetur: nam nihil bonitas, siue malicia sacerdotis ad consecrationem facere videtur. Cum itaque idem sit spiritus Sanctus in tota Ecclesia, qui inuisibiliter ea mysteria, & operando sanctificet, & sanctificando benedicat: proculdubio tenendum, quòd siue à bonis, siue à malis hoc conficiatur sacramentum. & hec de punctis tribus; in quarto ponitur de scismaticis, & hereticis sacerdotibus talis propositio. Ab Ecclesia Dei per excommunicationem, vel heresim precisi non videntur hoc sacramentum posse conficere. qua in parte opinio Magistri non probatur: nam siue precisi ab Ecclesia per excommunicationem, siue per heresim, extra quam corporaliter licet esse dicantur, possunt nihilominus dici,

dici, & intra hanc esse, quantum ad intentionem: quare cum sacerdotes sint, poterunt conficere, intendentes, quòd Sancta Mater Ecclesia intendit. Si tamen aliquo modo Magistrum saluare velitis, ita dicendum: loquutum fuisse de illis extra intentionem Ecclesiæ conficere tentantibus. His quinto loco, quot ad huius sacramenti perfectionem requirantur, audite: duo etenim sunt. scilicet ordo ministri, & intentio, vt superius satis abundè diximus. Preter hec sexto notandum datur de brutis animalibus hoc sacramentum sumere non valentibus. At dicetis: quid ergo sumunt, quando hostiam consecratã accipiunt? hic Magister se hoc nescire fatetur, nam dicit: quod Deus nouit. Seraphicus Doctor Bonauentura, ne circa negotium hoc diù hesitaremus, paucis quid tenendum docuit, distinctione premissa duorum, que in hoc sacramento considerantur: quorum vnum Christi corpus inseparabiliter illis speciebus vnitum vocatur, quam diù rationem sacramenti habet, & sunt habiles illæ species ad humanum vsum. Alterum ex parte comedentis, scilicet bruti. nunc ad formã dubij ait Doctor Bonauentura: quòd comeditur à bruto, Christi corpus non debet dici, cum ibi fiat conuersio in preiacentẽ materiam virtute diuina: quid ergo comedit? dicitur: quod illas species reuersas, sub quibus tunc temporis desinit esse Christi corpus: qui potest capere capiat, & hoc vobis sufficiat. Epilogat septimo Magister dum inquit: se de hoc mysterio breuiter dixisse à fidelibus chatolicis fideliter tenenda: quibus si quis cõtradicit hereticus videtur. hinc octauo loco, quid sit hereticus declarandum, sed non ante eius multiplicem significationem. nã quinq; modis accipitur hereticus. vno modo pro omni excommunicato. secundo

cundo pro sacrorum peruersore, uti est symoniacus. Tertio pro dubitante Christi fidem esse falsam, vel fictam: quo modo omnes Iudei, Sarraceni, & Pagani dicũtur heretici, & generaliter omnes infideles: & sic omnis, qui non tenet articulum fidei, hereticus largè dici potest, vel qui corde, & ore negauerit fidem. quarto modo dicitur omnis Christianus, vel qui se putat Christianũ, errans contra chatolicam veritatem pertinaciter hereticus, & sic propriè capitur. quinto omnis qui pertinaciter adheret errori, qui sapit heresim, vel qui pertinaciter asserit, vel determinat aliquam heresim. habens ergo prauam, & herroneam circa fidem intelligentiam hereticus censendus. secundum verò beatum Aug. de utilitate credendi, hereticus ille, qui causa commodi temporalis, & gloriæ, vel falsum, vel nouas gignit opiniones, aut sequitur, tanquam meliores. & hec de tota distinctione satis.

AN PROPRIE SACERDOTIBVS HVIVS SACRAMENTI CONSECRATIO CONVENIAT.

Lectio LXVIII.

VT nobis dicta Magistri magis nota fiant, in presenti nostro sermone duo queremus: quibus absolutis ad alia properabimus. primum est: quis hoc sacramentum consecrare possit. Alterum est: An liceat sacerdoti, omnino à celebratione, seu consecratione cessare. quantum ad primum, videtur esse dicendum: quòd huius sacramenti consecratio sacerdotibus propriè non conueniat: quia in eius institutione dictum fuit Apostolis: Hoc

facite

facite in meam commemorationem: solis ergo Apostolis, & non simplicibus sacerdotibus huius sacramenti consecratio cõuenit. pręterea: beatus Aug. ait: quod extra Ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificij: at multi sacerdotes sunt extra Ecclesiam, saltem scismatici: igitur tales consecrare non poterunt: quare, &c. deinde sacerdos excommunicatus, vel degradatus in foro pęnitentiæ non potest absoluere: ergo neque hoc sacramentum conficere: & ita patet, quòd huius sacramenti consecratio sacerdotibus propriè non conuenit. In oppositum se habet determinatio Ecclesiæ, quæ dicit: quòd hoc sacramentum nemo conficere potest, nisi solus sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus: solis ergo sacerdotibus nouę legis sacrificium offerre conuenit. His ita positis, ad rationes adductas nunc respondendum. ad primam ergo dicitur: quòd illud verbum Christi: Hoc facite in meam commemorationem, dictum fuit Apostolis, non tantùm pro se, verũ pro posteris, qui in eodem succedere debebant officio: non quo ad Apostolatum, sed quo ad simplex sacerdotium. quare sacerdotibus ritè ordinatis huius sacramenti consecratio conuenit. ad illud Augustini dicitur: quod extra Ecclesiam non est locus veri sacrificij; quando Ecclesiæ forma non seruatur: vel non est verum sacrificium quantum ad consecrantes, & sumentes, quia illud ad salutem nòn habent, sed ad pernitiem. ad tertiam rationem similitudo negatur: quia in foro pęnitentiæ excommunicato totaliter subtrahitur materia, quæ est peccator subditus: at nullus dicitur subditus degradato, siue excommunicato, quo ad iurisdictionem Ecclesiasticam: in confectione autem sacramenti Eucharistiæ supponimus omnia concurrere de sacramenti necessi-

tate, ſcilicet materiam, & formam, & miniſtrum, & intentionem, quibus concurrentibus verum eſt ſacrificium: iccirco nulla dicitur fuiſſe allata ſimilitudo. explicata prima queſtione: altera ſubſequitur: vbi inquiritur. An ſacerdotibus omnino à celebratione miſſæ liceat ceſſare, ſiue abſtinere. mihi prima fronte apparet, quòd ſic. nam vti licet Epiſcopo abſtinere ab executione ordinis Epiſcopalis, ita ſacerdoti à celebratione miſſæ. Inſuper legitur de quodam Sancto Patre, quòd ordinatus in ſacerdotem, nunquam poſt celebrauit: igitur ſacerdoti huius exemplo licebit nunquam celebrare. ex alio latere, vti ſimplici laico non expedit penitus abſtinere à communione, multo minus licebit ſacerdoti omnino à celebratione abſtinere. Pro reſponſione, queſitiue determinatione primo ſciendum: quòd ſacerdos non poteſt ſine graui peccato totaliter abſtinere ab omni celebratione miſſæ, niſi tale impedimentum corporale, vel mentale haberet, per quod legitimè excuſaretur: quòd non poſſet, aut non deberet celebrare. His ita poſitis, quid ad argumenta formata ſit dicendum, audite: primum enim ruit ratione diſſimilitudinis. nam executio ordinis Epiſcopalis populum reſpicit, ſeu corpus myſticum: & ideo ſiue faciat ea, quæ ad ipſum pertinent per ſe ipſum, ſiue per alium Epiſcopum non refert, quantum ad populum, cui eſt obligatus. At per ordinem ſacerdotalem quis Deo obligatur ad offerendum ſacrificium altaris, ad quod ſe per ſuſceptionem ſacerdotalis ordinis obligauit, à qua ipſe non liberatur, ſi alius pro illo celebret ſacerdos. ad illud de illo Sancto Patre poteſt dici: quòd habuerit aliquod occultum impedimentum, vel ſpecialem reuelationem Spiritus Sancti de non celebrando. quare

ab

ab huiusmodi non est consequentia deducenda sine rationabili causa. & hęc pro pręsenti.

AN EANDEM HOSTIAM PLVRES POSSINT SACERDOTES CONSECRARE. Lectio LXVIIII.

EXtremam impositurі manum huic distinctioni tertiæ decimæ in ordine huius libri quarti, tria consideratione digna proponemus quęsita. quorum primum: An plures sacerdotes eandem valeant consecrare hostiam. Insuper: An solis sacerdotibus Eucharistiæ hoc sacramentum populo ministrare liceat. Deinde: An hęretici tolerandi. circa primum negatiuè sic arguitur: vbi vnus totum facit, alij nihil faciunt: sed vnus sacerdos verba proferendo supra materiam consecrat: quare, &c. Insuper in naturæ actionibus plura agentia ad vnum immediatè concurrere nequeunt effectum: igitur neq; hic: non ergo eandem hostiam plures videntur consecrare posse. ex alio latere, si vnus plures potest hostias consecrare: igitur à fortiori ratione, plures poterunt hostiam vnã consecrare. Pro intelligentia huius difficultatis, velim sciatis: hanc duobus intelligi posse modis: vno modo, quòd plures sacerdotes simul consecrent hostiam vnam: sic quod vnus partem vnam hostiæ consecret: deinde alius aliã, hostia tamen integra remanente. Alio modo, quòd quilibet totam consecret. primum adhuc dupliciter intelligi potest: vno modo, quòd quilibet intendat solum consecrare medietatem hostiæ, eam non signando medietatem. Alio modo eam

ſignando ſenſu, vel imaginatione, vel quocunq; alio modo. Si primo modo, plures ſacerdotes non valent conſecrare eandem hoſtiam. Si ſecundo modo, nec hoc poſſibile videtur: quòd vna pars ſine alia remaneat conſecrata: quare plures nõ poterunt vnam, & eandem hoſtiam conſecrare, vt aliquorum eſt opinio. Alius datur modus dicendi, & eſt: quòd plures ſacerdotes eandem poſſint conſecrare hoſtiam, dummodo ſimul verba proferant, concurrentibuſuè omnibus, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti: nec ibi plures conſecrationes, ſed vna: quia virtus diuina ſecundùm ſuum beneplacitum aliquem vnum valet producere effectum per miniſterium vnius, vel plurium. His ita præmiſſis, nunc ad primũ argumentum dicendum: quòd quando plures ſimul proferunt verba conſecrationis cum intentione firma ſuper eandem materiam, tunc nullus eorum dicitur facere totum: ſed virtus diuina aſſiſtens illa eſt, quæ totum facit, quandoque cum miniſterio vnius, & quandoque plurium. nam quęcunque in altari ponuntur, non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt. ad ſecundum argumentum eſt dicendum: quòd ratio benè procederet, ſi in ſacramentis foret virtus creata, quæ ſecundum ſe ſufficeret ad effectum huius ſacramenti, hoc eſt ad faciendum, quòd hoc in ſacramento eſſet corpus Chriſti: ſed non eſt ita: immo ad hoc ſolum diuina virtus attingit: Deus enim nihil facit fruſtra: & ideo ex eius ordinatione non eſt, quòd plures virtutes concurrant, vbi vna ſufficit, totumq; facit. expleto primo quęſito: alterum ſubſequitur, dum inquiritur: num ſolis liceat ſacerdotibus hoc ſacramentum populo miniſtrare. mihi videtur, quòd non: nam Diaconi officium habẽt diſpenſandi ſanguinẽ: igitur, & diſpenſandi

Chriſti

Christi corpus: quare, &c. antecedens patet de beato Laurentio, cui commissa fuit dominici sanguinis dispensatio. Pręterea: huius sacramenti dispensatio non videtur consistere in materia consecratione: quare, quòd simplici laico talis dispensatio competere possit, videtur: non ergo solis sacerdotibus. ex alio latere totum oppositum est legere in decretis de consecr. dist. ii. vbi expressè inhibetur: ne etiam infirmis sacerdotes per lacios hoc sacramentum transmittant. Pro responsione igitur tria pręmittenda. primum est: quòd nulli laico quantumcunque sancto hoc sacramentum alijs liceat ministrare. Alterum est: quòd Diaconus dici debet sacerdotis proprius minister. Tertium est: quòd à pręcisis hoc non sumatur sacramentum, ne in huiusmodi sacramēti susceptione quis fiat inobediens Ecclesiæ, incurratq; peccatum mortale. His pręmissis, nunc rationes de facili ruent. nam prima habet concedi non immediatè, sed mediatè, idest mediantibus vasis: quo modo ad Diaconum hoc sacramentum ministrare pertinet. nec illud valet adductum de sanguine, & de Christi corpore: quia sanguis semper ministratur mediantè vase, at Christi corpus immediatè tangitur: quare similitudo nulla. vnde licet Diaconus dominici sanguinis dispensator sit, nō propterea Christi corporis, ratione dicta. ad secundam rationem de laico dicitur: quod aliud requiritur ad hoc sacramentum dispensandum. nam morum sanctificatio, non solum requiritur, verum etiam sacramentalis sanctificatio, qua cum laicus, quantumcunque sanctus careat: iccirco sibi tale dispensare sacramentum non licebit. Quid si inueniret hoc sacramentum cecidisse in lutum, & pręsens nō esset sacerdos, nec Diaconus, nec alius minister inferior, & ipse

Eucha-

Eucharistiam sic inuentam tolleret, & ad sacerdotem portaret: an sibi hoc licitum fuisse fatendum? certè sic. Quia hoc non pertineret ad dispensationem, sed solùm ad reuerentiam. His duobus explicatis quęsitis: tertium accedit: An scilicet hęretici sint tolerandi. Quibusdam videtur, quòd sic: nam peius est totam fidem negare, quam in aliquibus articulis errare: sed Iudęi, & Pagani, qui negant totam fidem tolerantur: ergo, qui non negant totam fidem, sed aliquem, vel aliquos articulos, multo magis tolerandi. Pręterea: Matthęi. xiii. Dominus pręcepit, quòd zizania non colligeretur, sed permitteretur crescere vsque ad messem: messis autem est finis seculi: cum ergo hęretici sint zizania, videtur quòd debeant permitti crescere vsque ad finem seculi. Insuper secundum beatũ Aug. nullus cogi debet ad credendum: quia credere est voluntatis: hęretici ergo in aliquibus errantes articulis non sunt cogendi ad credendum. In contrarium potest dici: quia lupi sunt arcendi à grege officio pastorũ: & hęretici sunt lupi: igitur à grege fidelium officio pręlatorum, qui sunt Ecclesię pastores, debent arceri. Pro dilucidatione huius quęsiti, primo, quid interpręetur p hoc nomen hęresis, sciendum: insuper: num hęretici sint ab Ecclesia tolerandi. quantum ad primum: hęresis dictio gręca est, & dicitur ab electione, quoniam vnusquisque eligit disciplinam, quam putat esse meliorem. Insuper ab hęrendo suę opinioni contrarię Ecclesię dicitur hęresis, quę hęreticum hominem facit, dum pertinaciter opinioni erroneę adhęret. vnde beatus. Aug. dicere solebat. errare potero, hęreticus non ero. nec illi hęretici dicendi, qui nunquam fidem receperunt, nec secundum actum, neq; secundum sacramentum, vt Iudęi, Sarraceni,

raceni,

raceni, & Pagani, qui infideles vocantur. Solus ergo ille hereticus, qui fidei per sacramentum est obligatus, & vehementer falsæ adheret opinioni contrariæ fidei orthodoxæ. quantum ad secundum potest dici: quòd in crimine heresis est considerare criminis grauitatem, & eius nocumentum: est enim infectiuum aliorum: nam multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, vt cancer serpit: ex grauitate ergo criminis merentur heretici occidi: & bona eorum confiscari: quia grauius est maiestatem Dei eternam offendere, quam temporalem cuiuscunque hominis. attendendo autem ad aliam heresis conditionem, nequaquam in consortio fidelium, & maximè simplicium debent tolerari. His ita positis, nunc ad argumenta respondendum: & primo ad primum per non esse simile de Iudeis, Sarracenis, & hereticis. Quia nunquam Iudei, & Sarraceni fidem susceperunt: quare non sunt compellendi ad eandem seruandam, sicuti heretici. ad secundum argumentum potest dici: quòd Dominus precepit zizaniam non colligi, ne triticum eradicaretur: per quod datur intelligi, quòd heretici non sint extirpandi, quam diù incertum est: an sint verè heretici, an Christini: at quando certum esset aliquem esset hereticum, tunc temporis sine priculo fidelium extirpari posset. ad tertium desumptum ex Augustino dicitur: nullum esse cogendum ad fidem recipiendam: at ad eam iam receptam conseruandam sic. & si non seruauerit, puniri debet: vt est in proposito de hereticis. & hec satis.

DE

DE PAENITENTIA.

Distinctio 14.

Lectio LXX.

SVperius determinatum fuit ad aures Magistri Sent. de confirmatione, & Eucharistia, quæ sunt sacramenta ad perfectionem in bono ordinata. Nunc verò agendum de pęnitentia, quæ ad amotionem mali ordinatur. vnde tractatus iste diuidi habet in partes quatuor: in quarum prima est sermo de pęnitentia secundũ se: in altera dę pęnitentiæ partibus: in tertia de ministro: in quarta de tempore, vt suo loco intelligetis. Nos circa primam versaturi, pęnitentiæ necessitatem primo proponemus. Insuper eius originem explicabimus. Pro intellectu primi puncti, hęc propositio ponenda. Pęnitentia ad vitam æternam consequendam necessaria. quam insinuandam, D. Hieronymum vocantem pęnitentiam tabulam secundam post naufragium, audite. Fuit enim humanæ naturæ naufragium primum, quando primus parens illam sibi iustitiam originalem à Deo datam, per peccatũ amisit: cui misericors Deus, per tabulam primam, vt puta per baptismum succurrit. vnde baptismus tabula prima vocatur: secunda verò tabula pęnitẽtia pro naufragio secundo, scilicet pro peccato mortali patrato. Necessaria ergo. Insuper, si non esset necessaria, Christus, & Ioannes Baptista prędicationem suam à pęnitentia non incepissent, dicentes: pęnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cęlorum: hoc idem docet Ecclesia his verbis. Missereris omnium Domine, & nihil odisti eorũ, quæ fecisti dissimulans peccata hominũ propter pęnitentiam.

Necessaria

Necessaria igitur est pœnitentia, cuius genus est sacramentum, & est duplex: interior, scilicet, & exterior. Illa interior pœnitentia habitus dicitur: exterior verò sacramentum. eius actus à puniendo, eo quia per hanc illicita puniuntur, vt in hoc primo puncto habetur; in altero pœnitentiæ tangitur origo: nam pœnitentiæ virtus timore concipitur. His ita positis, ac præmissis, tanquàm præuijs, ad quòd quid est pœnitentiæ, in sequenti ad eius enodandam diffinitionem festinabimus.

EST AVTEM PAENITENTIA SECVNDVM AMBR. TEX.

Lectio LXXI.

POsita in proximo præterito sermone nostro pœnitentiæ necessitate, consequenter quidditas eius inquirenda, vbi tria facienda. quorum primũ, quòd quid est pœnitentiæ respicit. Alterum quorundam errorem circa pœnitentiam. Tertium autem erroris determinationem. quantum ad primum: solet finiri pœnitentia sic ab Ambr. pœnitentia est præterita peccata plangere, & plangenda iterum non committere. D. Gregorius diffiniens pœnitentiam ita dicebat. Pœnitentia est ante acta mala, & peccata flere, & iterum flenda non committere. D. Aug. sic. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quòd se dolet commisisse. & dicitur pœnitentia à pœna, & teneo tenes: vnde pœnitentia, quasi pœniteo, inquantum, scilicet pœnitens per pœnam, quam sustinet punit se propter illicita, quæ commisit. At dicetis: cum diffinitionem quædam

dentur per essentiam, vt homo est animal rationale, quędam verò per causam V. g. si diceremus: Dies est, Sol lucens: illa pęnitentia quo modo appellanda? dicite paucis: quòd diffinitio per causam. vbi notandum in huiusmodi finitione, duplicem actum appositum fuisse: vnum respectu pręteriti, alterum respectu futuri. Ideo dicebatur mala pręterita plangere, & plangenda iterum nõ committere. primus actus dicitur in re, alter verò in proposito voluntatis reperiri, & esse. & sicuti in re, & in proposito inuenitur pęnitentia, ita duplex dicitur esse. Interior, scilicet vna, altera exterior. Illa interior de iure naturali, nec propriè sacramentum, cum talis etiam possit fieri ante baptismum. secunda, quæ fit ad hominis arbitrium, necnon secundum Ecclesiæ pręceptum, sacramentum est, quòd per ministros Ecclesiæ iurisdictionem habentes habet ministrari. His addite, quòd lugere pro peccatis proprijs actus pęnitentiæ dicitur esse, quæ virtus est iustitiæ. At pro malis alienis dicitur alterius virtutis, vt puta misericordiæ. Tandem pro bonis æternis lugere actus beatitudinis tertiæ, de qua dicitur: Beati qui lugent, &c. de duratione autẽ pęnitentiæ, quid vobis dicturus sim, audite. Certum enim est, quòd exterior pęnitentia, nec debet, nec oportet esse perpetua. de interiori verò dupliciter poterimus loqui: vel secundum actum, vel habitum: si primo modo non videtur, quòd queat esset perpetua: at secundo modo sic, nam tenetur semper peccator, siue pęnitens non velle peccasse in pręterito, nec in futurum velle peccare. vbi duplex detegitur dolor: vnus, qui rationalis vocatur, vt peccati detestatio, alius sensualis, vt corporis passio. primus in pęnitente semper debet esse: alter verò non de necessitate. Rursus

dicetis

dicetis vos: cum vnum quodlibet nouæ legis sacramentum constet ex duplici parte, scilicet ex materia, & forma, quæ nam forma, & pęnitentiæ materia? Respondetur, quòd duplex datur materia, proxima, & remota huius sacramenti. remota sunt peccata: proxima, sed non absolutè, dicitur actio humana, siue actus pęnitentis: verba verò sunt forma. V. g. Ego te absoluo. & hęc de primo puncto, in altera ponitur quorundam error, qui originem duxit ex finitione data de pænitentia ab Ambr. error ergo talis est, quòd non sit illa vera censenda pænitentia, quæ peccato sequenti maculatur: verè enim pænitentem dicunt isti vltra mortaliter non peccare: quòd authoritate Aug. confirmatur, qui talem dicit pænitentiam inanẽ esse. Insuper Greg. dicit talem grauioris esse pænæ. Isiodorus vocat huiusmodi pænitentiam irrisoriam: non igitur post pænitentiam homines peccato maculari valent. errore posito in secũdo puncto, nunc tertio veritas determinanda venit loco, dicamus igitur ad hunc errorem excludendum: quòd cessatio à peccatis præteritis, & dolor de eis, cum proposito cauendi futura ad veram sufficit pænitentiam. vnde quando dicitur innanis, vel derisoria, &c. debet hoc intelligi, quando id fit sine proposito abstinendi à peccatis. quare irrisor ille, qui cum proposito iterum peccandi dolet. multo plura in subsequentibus intelligetis: at pro præsenti pauca hec sufficiant vobis.

PAENITENTIA EST VIRTVS, VEL GRATIA. TEX.

Lectio LXXII.

POst omnes finitiones in medium adductas de pęnitentia, illa Magistri Sent. nunc ponenda. diuidatur ergo sermo noster in duo secta: in quorum primo habetur pęnitentiæ diffinitio tradita à Magistro. in altero narrantur effectus. quantum ad primum: pęnitentia est virtus à Deo nobis infusa, qua commissa mala plangimus, cum emendationis proposito: ipsi Deo nos reconcilians, quæ diffinitio Magistralis est, & perfecta, continet enim quatuor causarum genera: materialem: formalem: efficientem: & finalem. primo igitur in ipsa diffinitione causa efficiens ponitur cum dicitur: virtus à Deo. nam à nobis pænitentiæ virtutem habere non possumus, sed ipsam à Deo infundente benignitate sua obtinemus. & hoc virtuti infusæ commune est: non est ergo virtus ex actibus acquisita nostris, non moralis, quia superiorem perficit partẽ, non intellectualis, de quibus Aristoteles in Ethicis. Infusa itaq; à Deo, qui nos iustificat effectiuè. gratia verò formaliter in effectu: & fides habitualiter, necnon Dei mandata obseruata per vsum, & iustitiæ exercitationem. secunda causa dicitur formalis, & perfectiua, forma enim illa est, quæ dat esse rei per Aristolelem. dum itaq; in textu dicitur nobis infusa, scilicet per gratiam gratum facientem forma tangitur, sine qua nulla pænitentia verà, nec Deo grata: sine qua nullus dolor de peccatis vtilis. Per nos quidem in peccata dilabi possumus, & demereri: at non possumus à peccatis desistere,

desistere, & refugere, vel opus meritorium agere sine diuina gratia, quæ forma est animam viuificans, & perficiens. conuerte igitur me, & conuertar: quia tu es Dominus Deus meus. Tertia causa materialis, & obiectiua subinfertur dum dicitur: quia commissa mala plangimus cum emendationis proposito. Ecce mala commissa actualia peccata mortalia commissa, quia voluntate: commissa, quia spontè non coactè. commissa delectatione: commissa Diaboli sugestione. quarta causa, scilicet finalis ibi, Deo reconcilians. Finis enim pęnitentiæ est Deum offensum placare: vitamq; æternam nobis donare. pęnitentiam igitur agite, vt bono increato tandem valentis perfrui. & hęc de puncto primo, in altero apparent pęnitentiæ effectus. nam per hanc omnia relaxantur peccata: euaditur infernus: vincitur dyabolus. Regnum cęlorum acquiritur. Pęnæ æternæ in temporales mutantur: omnes defectus remouentur: omnes virtutes restituuntur: omnes Angeli lętificantur: paradisus impletur. O pęnitentia virtutum magistra ad te inducor lege naturali, lege diuinali, & exemplari. Lege naturali, vt de malo vertar in bonum. Lege diuinali, quia Christus pro peccatis nostris est passus. Lege exemplari, quia omnes Sancti nos ad pęnitentiam inuitant. Hei mihi, hei mihi: si huic homines adhererent, non tàm peruersi, sed boni essent.

INANIS EST PAENITENTIA. TEX. Lectio LXXIII.

IAM *absoluimus huius distinctionis partem in ordine primam, vbi erat sermo de pęnitentiæ natura, siue quidditate. nunc in*

hac

hac secunda, tria videnda. Conclusio primo. Insinuatio secundò. Tandem quarundam authoritatum determinatio, siue intelligẽtia. quo ad primum: laconicè, vt procedamus, hanc notatu dignam conclusionem ponemus. Viatoris bona opera, quæ per sequens peccatum deficiunt. Pro cuius insinuatione distinctio operum premittenda hoc secundo venit loco. Quædam enim sunt viua: quædam mortua: quædam alia mortificata. Illa viua sunt, quæ in charitate, & gratia fiunt. Viua insuper ratione finis. Viua ratione gloriæ adeptionis. Mortua deinde illa, quæ ab homine in mortali peccato existente, & sine charitate fiunt. Quæ ad vitam æternam consequendam meritoriè minimè valent: dispositiuè sic: & moraliter meritoria nuncupari possunt. mortificata illa, quæ prius in charitate facta, per sequens peccatũ deficiunt: at rursus per pẽnitentiam reuiuiscunt. vnde pro maiori notitia huius secundæ particulæ, super est tertio loco authoritates quasdam superius allatas soluere: & primo sese nobis illa D. Aug. offert dicentis: quòd pẽnitentia quã consequens coinquinat culpa dicitur inanis. Quæ authoritas, intelligi habet ex parte finis, quia scilicet fine caret, idest pẽnitentiæ fructu: qui duplex est: gehennæ vitatio, & gloriæ adeptio; recedente verò peccato per pẽnitentiam, quæ prius mortificata erant opera fiunt viua, dignaque mercede propria: maximè loquendo de illis in charitate factis. nam si de mortuis, inanis sermo est, quia opera, quæ nunquam viua fuerunt, reuiuiscere non possunt. Quando autẽ Aug. dicebat: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: hoc debet intelligi, quantum ad ingratitudinem iterũ peccantium, quibus eadem replicatur pœna, quia eadem quibusdam videntur redire peccata.

peccata. His dicta duo addenda ab Augustino posita, quæ videntur facere, pro confirmatione præcedentis erroris; vnum est, quia Aug. ait, quòd pænitens semper pęnitentiã debet tenere, ita tamen quòd dolere gaudeat: quòd intelligendum venit de perfectorum pęnitentia, vsq; ad finem vitæ suæ, quam ipsi continuant. Alterum est: quòd nihil de venia relinquitur, quando homo post pęnitentiam in peccatum relabitur. Quòd esse verum Magister fatetur, vel quo ad peccatorum reditum simpliciter, vel quantum ad ingratitudinem, vt alias dictum est. & hęc pro præsenti satis.

DE SOLENNI, ET VNICA PAENITENTIA. TEX. Lectio LXXIIII.

HAec est nouissima pars huius distinctionis exponẽda, quæ sui prima diuisione in puncta quinque subdiuidenda: in quorum primo agitur de solenni pęnitentia, in secundo propter, quæ peccata imponenda, declaratur, in tertio D. Ambr. authoritas, qua dicitur, quòd pęnitentia non sit reiteranda exponitur, in quarto nouus error circa pęnitentiam ponitur, in quinto, & vltimo reprobatum. quantum ad primum: pęnitentia solennis illa est, quæ à solo Episcopo imponitur. vbi sciendum, quòd non dicitur solennis, quia fiat in publico: sed quia cum solennitate tali. nam in die cinerum illi, qui debent agere pęnitentiam istam, se in Ecclesia coram Episcopo, & sacerdotibus præsentant: & Episcopus præmissa aliqua monitione ostendit eis grauitatem, & suorum peccatorum enormitatẽ, & indutos cilicio eijcit eos de Ecclesia, illud respon-

responsorium cantando: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Sic sunt extra Ecclesiam usque ad diem cenæ, qua die recipiuntur, & ad Ecclesiæ ingressum admittuntur: non tamen ad communionem quousque sint per Episcopum reconciliati. Ratio huius solennitatis triplex est. vna ad exemplar, & terrorem aliorum. Alia ad erubescentiam delinquentium. Tertia ad significationem eiectionis Adæ de paradiso. & hæc pro puncto primo, in altero pro quibus criminibus imponenda sit, detegitur. nam pro grauissimis criminibus publicis, totam communitatem conturbantibus laicis fidelibus semel imponitur. His ita positis in duobus sectis, tertium additur, vbi D. Ambr. authoritas declaratur, qua dicebat: pænitentiam non esse iterandam. Intelligatur ergo de solenni pęnitentia, quæ non reiteranda, ne vilis habeatur, nisi aliud de consuetudine occurrat alicuius Ecclesiæ. nunc quarto nouus error quorundam existimantium pęnitentiam non esse reiterandam est apponendus loco. quorum motiuum dicitur fuisse incitatio, siue prouocatio ad peccandum, ad quam inuitationem tollendam, nisi semel post baptismum videbitur expedire peccatoribus pęnitentiæ sacramentum. Posito errore, huius reprobationem modo percipite. Si non reiteranda foret pęnitentia, procul dubio viderentur Deo posse hominum peccata placere: at hoc est falsum: pęnitentia ergo reiteranda. Hęc veritas exemplo Dauid cõfirmatur, qui bis veniam impetrauit: semel de commissione adulterij, & homicidij: postea de numeratione populi. Insuper nonne Christus dixit Petro in hoc proposito: Nõ dico tibi septies, sed septuagies septies? ex quo patet verã pęnitentiam sępius agi posse. & quia errantes circa pęnitentiam innitebantur quibus-

dam

dā verbis Apostoli in Epistola ad Hebreos: ideo dicit Magister: ibi Apostolum non negasse illam pęnitentiam: sed bene voluntariè peccantibus hostiam secundam: quia Christus semel passus. & hęc de tota distinctione.

DE PAENITENTIA.
Lectio LXXV.

VT in sequenti ad examinanda dicta Magistri properare valeamus, in pręsenti adhuc circa pęnitentiam versabimur, duo in ordine considerantes. primo multiplicitatem pęnitentiæ: secundo varias eius finitiones. quantum attinet ad primum: solet multipliciter capi pęnitentia. primo modo pro dolore desperatiuo, vt de Iuda proditore, qui pęnitentia ductus, retulit triginta argenteos. & de damnatis. Sap. 5. pęnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Damnati enim pęnitebunt, non propter amorem iustitiæ, sed propter odium pęnæ (at inquit S. Bonauentura) cum quo Ricardus concordat dicendo: quòd non pænitent in spe veniæ, sed propter pęnam horribilem. Secundo modo dicitur pęnitentia dolor interior, & secundum Ricardum capitur tripliciter, scilicet pro habitu pęnitentię: secundo pro actu pęnitendi: tertio pro dolore consequente. & hęc de prima parte: in altera variè diffinitur. nam dicitur actus, passio, vel habitus hominis ad punitionem peccati à se commissi voluntariè ordinatus. dicitur primo actus, qui generaliter accipitur pro actu imperato, scilicet velle vindicare, aut elicito, qui est detestari peccatum, vel imperato, qui

ſignando ſenſu, vel imaginatione, vel quocunq; alio modo. Si primo modo, plures ſacerdotes non valent conſecrare eandem hoſtiam. Si ſecundo modo, nec hoc poſſibile videtur: quòd vna pars ſine alia remaneat conſecrata: quare plures nō poterunt vnam, & eandem hoſtiam conſecrare, vt aliquorum eſt opinio. Alius datur modus dicendi, & eſt: quòd plures ſacèrdotes eandem poſſint conſecrare hoſtiam, dummodo ſimul verba proferant, concurrentibuſuè omnibus, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti: nec ibi plures conſecrationes, ſed vna: quia virtus diuina ſecundum ſuum beneplacitum aliquem vnum valet producere effectum per miniſterium vnius, vel plurium. His ita pręmiſſis, nunc ad primū argumentum dicendum: quòd quando plures ſimul proferunt verba conſecrationis cum intentione firma ſuper eandem materiam, tunc nullus eorum dicitur facere totum: ſed virtus diuina aſſiſtens illa eſt, quæ totum facit, quandoque cum miniſterio vnius, & quandoque plurium. nam quęcunque in altari ponuntur, non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt. ad ſecundum argumentum eſt dicendum: quòd ratio benè procederet, ſi in ſacramentis foret virtus creata, quæ ſecundum ſe ſufficeret ad effectum huius ſacramenti, hoc eſt ad faciendum, quòd hoc in ſacramento eſſet corpus Chriſti: ſed non eſt ita: immo ad hoc ſolum diuina virtus attingit: Deus enim nihil facit fruſtra: & ideo ex eius ordinatione non eſt, quòd plures virtutes concurrant, vbi vna ſufficit, totumq; facit. expleto primo queſito: alterum ſubſequitur, dum inquiritur: num ſolis liceat ſacerdotibus hoc ſacramentum populo miniſtrare. mihi videtur, quòd non: nam Diaconi officium habēt diſpenſandi ſanguinē: igitur, & diſpenſandi

Christi corpus: quare, &c. antecedens patet de beato Laurentio, cui commissa fuit dominici sanguinis dispensatio. Preterea: huius sacramenti dispensatio non videtur consistere in materiæ consecratione: quare, quòd simplici laico talis dispensatio competere possit, videtur: non ergo solis sacerdotibus. ex alio latere totum oppositum est legere in decretis de consecr. dist. ii. vbi expresse inhibetur: ne etiam infirmis sacerdotes per lacios hoc sacramentum transmittant. Pro responsione igitur tria premittenda. primum est: quòd nulli laico quantumcunque sancto hoc sacramentum alijs liceat ministrare. Alterum est: quòd Diaconus dici debet sacerdotis proprius minister. Tertium est: quòd à precisis hoc non sumatur sacramentum, ne in huiusmodi sacramẽti susceptione quis fiat inobediens Ecclesiæ, incurratq; peccatum mortale. His premissis, nunc rationes de facili ruent. nam prima habet concedi non immediatè, sed mediatè, id est mediantibus vasis: quo modo ad Diaconum hoc sacramentum ministrare pertinet. nec illud valet adductum de sanguine, & de Christi corpore: quia sanguis semper ministratur mediantè vase, at Christi corpus immediatè tangitur: quare similitudo nulla. vnde licet Diaconus dominici sanguinis dispensator sit, nõ propterea Christi corporis, ratione dicta. ad secundam rationem de laico dicitur: quod aliud requiritur ad hoc sacramentum dispensandum. nam morum sanctificatio, non solum requiritur, verum etiam sacramentalis sanctificatio, qua cum laicus, quantumcunque sanctus careat: iccirco sibi tale dispensare sacramentum non licebit. Quid si inueniret hoc sacramentum cecidisse in lutum, & presens nõ esset sacerdos, nec Diaconus, nec alius minister inferior, & ipse

Eucha-

Eucharistiam sic inuentam tolleret, & ad sacerdotem portaret: an sibi hoc licitum fuisse fatendum? certè sic. Quia hoc non pertineret ad dispensationem, sed solùm ad reuerentiam. His duobus explicatis quęsitis: tertium accedit: An scilicet hęretici sint tolerandi. Quibusdam videtur, quòd sic: nam peius est totam fidem negare, quam in aliquibus articulis errare: sed Iudęi, & Pagani, qui negant totam fidem tolerantur: ergo, qui non negant totam fidem, sed aliquem, vel aliquos articulos, multo magis tolerandi. Pręterea: Matthęi. xiii. Dominus pręcepit, quòd zizania non colligeretur, sed permitteretur crescere vsque ad messem: messis autem est finis seculi: cum ergo hęretici sint zizania, videtur quòd debeant permitti crescere vsque ad finem seculi. Insuper secundum beatũ Aug. nullus cogi debet ad credendum: quia credere est voluntatis: hęretici ergo in aliquibus errantes articulis non sunt cogendi ad credendum. In contrarium potest dici: quia lupi sunt arcendi à grege officio pastorũ: & hęretici sunt lupi: igitur à grege fidelium officio pręlatorum, qui sunt Ecclesiæ pastores, debent arceri. Pro dilucidatione huius quęsiti, primo, quid interprętetur p̄ hoc nomen hęresis, sciendum: insuper: num hęretici sint ab Ecclesia tolerandi. quantum ad primum: hęresis dictio gręca est, & dicitur ab electione, quoniam vnusquisque eligit disciplinam, quam putat esse meliorem. Insuper ab hęrendo suæ opinioni contrarię Ecclesiæ dicitur hęresis, quæ hęreticum hominem facit, dum pertinaciter opinioni erroneę adhęret. vnde beatus. Aug. dicere solebat. errare potero, hęreticus non ero. nec illi hęretici dicendi, qui nunquam fidem receperunt, nec secundum actum, neq; secundum sacramentum, vt Iudęi, Sarraceni,

raceni, & Pagani, qui infideles vocantur. Solus ergo ille hęreticus, qui fidei per sacramentum est obligatus, & vehementer falsæ adhęret opinioni contrariæ fidei orthodoxæ. quantum ad secundum potest dici: quòd in crimine hęresis est considerare criminis grauitatem, & eius nocumentum: est enim infectiuum aliorum: nam multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, vt cancer serpit: ex grauitate ergo criminis merentur hęretici occidi: & bona eorum confiscari: quia grauius est maiestatem Dei ęternam offendere, quam temporalem cuiuscunque hominis. attendendo autem ad aliam hęresis conditionem, nequaquam in consortio fidelium, & maximè simplicium debent tolerari. His ita positis, nunc ad argumenta respondendum: & primo ad primum per non esse simile de Iudęis, Sarracenis, & hęreticis. Quia nunquam Iudęi, & Sarraceni fidem susceperunt: quare non sunt compellendi ad eandem seruandam, sicuti hęretici. ad secundum argumentum potest dici: quòd Dominus pręcepit zizaniam non colligi, ne triticum eradicaretur: per quod datur intelligi, quòd hęretici non sint extirpandi, quam diù incertum est: an sint verè hęretici, an Christiani: at quando certum esset aliquem esset hęreticum, tunc temporis sine priculo fidelium extirpari posset. ad tertium desumptum ex Augustino dicitur: nullum esse cogendum ad fidem recipiendam: at ad eam iam receptam conseruandam sic. & si non seruauerit, puniri debet: vt est in proposito de hęreticis. & hęc satis.

DE

DE PAENITENTIA.

Distinctio 14.

Lectio LXX.

SVperius determinatum fuit ad aures Magistri Sent. de confirmatione, & Eucharistia, quæ sunt sacramenta ad perfectionem in bono ordinata. Nunc verò agendum de pęnitentia, quæ ad amotionem mali ordinatur. vnde tractatus iste diuidi habet in partes quatuor: in quarum prima est sermo de pęnitentia secundū se: in altera dę pęnitentiæ partibus: in tertia de ministro: in quarta de tempore, vt suo loco intelligetis. Nos circa primam versaturi, pęnitentiæ necessitatem primo proponemus. Insuper eius originem explicabimus. Pro intellectu primi puncti, hęc propositio ponenda. Pęnitentia ad vitam æternam consequendam necessaria. quam insinuandam, D. Hieronymum vocantem pęnitentiam tabulam secundam post naufragium, audite. Fuit enim humanæ naturæ naufragium primum, quando primus parens illam sibi iustitiam originalem à Deo datam, per peccatū amisit: cui misericors Deus, per tabulam primam, vt puta per baptismum succurrit. vnde baptismus tabula prima vocatur: secunda verò tabula pęnitētia pro naufragio secundo, scilicet pro peccato mortali patrato. Necessaria ergo. Insuper, si non esset necessaria, Christus, & Ioannes Baptista prędicationem suam à pęnitentia non incepissent, dicentes: pęnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cęlorum: hoc idem docet Ecclesia his verbis. Missereris omnium Domine, & nihil odisti corū, quæ fecisti dessimulans peccata hominū propter pęnitentiam.

Necessaria igitur est pęnitentia, cuius genus est sacramentum, & est duplex: interior, scilicet, & exterior. Illa interior pęnitentia habitus dicitur: exterior verò sacramentum. eius actus à puniendo, eo quia per hanc illicita puniuntur, vt in hoc primo puncto habetur; in altero pęnitentiæ tangitur origo: nam pęnitentiæ virtus timore concipitur. His ita positis, ac pręmissis, tanquàm pręuijs, ad quòd quid est pęnitentiæ, in sequenti ad eius enodandam diffinitionem festinabimus.

EST AVTEM PAENITENTIA SECVNDVM AMBR. TEX.

Lectio LXXI.

POsita in proximo pręterito sermone nostro pęnitentiæ necessitate, consequenter quidditas eius inquirenda, vbi tria facienda. quorum primũ, quòd quid est pęnitentiæ respicit. Alterum quorundam errorem circa pęnitentiam. Tertium autem erroris determinationem. quantum ad primum: solet finiri pęnitentia sic ab Ambr. pęnitentia est pręterita peccata plangere, & plangenda iterum non committere. D. Gregorius diffiniens pęnitentiam ita dicebat. Pęnitentia est ante acta mala, & peccata flere, & iterum flenda non committere. D. Aug. sic. Pęnitentia est quędam dolentis vindicta puniens in se, quòd se dolet commisisse. & dicitur pęnitentia à pęna, & teneo tenes: vnde pęnitentia, quasi pęniteo, inquantum, scilicet pęnitens per pęnam, quam sustinet punit se propter illicita, quæ commisit. At dicetis: cum diffinitionem quędam

dentur per essentiam, vt homo est animal rationale, quędam verò per causam V. g. si diceremus: Dies est, Sol lucens: illa pęnitentia quo modo appellanda? dicite paucis: quòd diffinitio per causam. vbi notandum in huiusmodi finitione, duplicem actum appositum fuisse: vnum respectu pręteriti, alterum respectu futuri. Ideo dicebatur mala pręterita plangere, & plangenda iterum nõ committere. primus actus dicitur in re, alter verò in proposito voluntatis reperiri, & esse. & sicuti in re, & in proposito inuenitur pęnitentia, ita duplex dicitur esse. Interior, scilicet vna, altera exterior. Illa interior de iure naturali, nec propriè sacramentum, cum talis etiam possit fieri ante baptismum. secunda, quæ fit ad hominis arbitrium, necnon secundum Ecclesiæ pręceptum, sacramentum est, quòd per ministros Ecclesiæ iurisdictionem habentes habet ministrari. His addite, quòd lugere pro peccatis proprijs actus pęnitentiæ dicitur esse, quæ virtus est iustitiæ. At pro malis alienis dicitur alterius virtutis, vt puta misericordiæ. Tandem pro bonis æternis lugere actus beatitudinis tertiæ, de qua dicitur: Beati qui lugent, &c. de duratione autẽ pęnitentiæ, quid vobis dicturus sim, audite. Certum enim est, quòd exterior pęnitentia, nec debet, nec oportet esse perpetua. de interiori verò dupliciter poterimus loqui: vel secundum actum, vel habitum: si primo modo non videtur, quòd queat esset perpetua: at secundo modo sic, nam tenetur semper peccator, siue pęnitens non velle peccasse in pręterito, nec in futurum velle peccare. vbi duplex detegitur dolor: vnus, qui rationalis vocatur, vt peccati detestatio, alius sensualis, vt corporis passio. primus in pęnitente semper debet esse: alter verò non de necessitate. Rursus

dicetis

dicetis vos: cum vnum quodlibet nouæ legis sacramentum constet ex duplici parte, scilicet ex materia, & forma, quæ nam forma, & pęnitentiæ materia? Respondetur, quòd duplex datur materia, proxima, & remota huius sacramenti. remota sunt peccata: proxima, sed non absolutè, dicitur actio humana, siue actus pęnitentis: verba verò sunt forma. V.g. Ego te absoluo. & hęc de primo puncto, in altera ponitur quorundam error, qui originem duxit ex finitione data de pænitentia ab Ambr. error ergo talis est, quòd non sit illa vera censenda pænitentia, quæ peccato sequenti maculatur: verè enim pænitentem dicunt isti vltra mortaliter non peccare: quòd authoritate Aug. confirmatur, qui talem dicit pænitentiam inanē esse. Insuper Greg. dicit talem grauioris esse pænæ. Isiodorus vocat huiusmodi pænitentiam irrisoriam: non igitur post pænitentiam homines peccato maculari valent. errore posito in secūdo puncto, nunc tertio veritas determinanda venit loco, dicamus igitur ad hunc errorem excludendum: quòd cessatio à peccatis præteritis, & dolor de eis, cum proposito cauendi futura ad veram sufficit pænitentiam. vnde quando dicitur innanis, vel derisoria, &c. debet hoc intelligi, quando id fit sine proposito abstinendi à peccatis. quare irrisor ille, qui cum proposito iterum peccandi dolet. multo plura in subsequentibus intelligetis: at pro præsenti pauca hęc sufficiant vobis.

PAENITENTIA EST VIRTVS, VEL GRATIA. TEX.
Lectio LXXII.

POst omnes finitiones in medium adductas de pęnitentia, illa Magistri Sent. nunc ponenda. diuidatur ergo sermo noster in duo secta: in quorum primo habetur pęnitentiæ diffinitio tradita à Magistro. in altero narrantur effectus. quantum ad primum: pęnitentia est virtus à Deo nobis infusa, qua commissa mala plangimus, cum emendationis proposito: ipsi Deo nos reconcilians, quæ diffinitio Magistralis est, & perfecta, continet enim quatuor causarum genera: materialem: formalem: efficientem: & finalem. primo igitur in ipsa diffinitione causa efficiens ponitur cum dicitur: virtus à Deo. nam à nobis pænitentiæ virtutem habere non possumus, sed ipsam à Deo infundente benignitate sua obtinemus. & hoc virtuti infusæ commune est: non est ergo virtus ex actibus acquisita nostris, non moralis, quia superiorem perficit partẽ, non intellectualis, de quibus Aristoteles in Ethicis. Infusa itaq; à Deo, qui nos iustificat effectiuè. gratia verò formaliter in effectu: & fides habitualiter, necnon Dei mandata obseruata per vsum, & iustitiæ exercitationem. secunda causa dicitur formalis, & perfectiua, forma enim illa est, quæ dat esse rei per Aristolelem. dum itaq; in textu dicitur nobis infusa, scilicet per gratiam gratum facientem forma tangitur, sine qua nulla pænitentia verà, nec Deo grata: sine qua nullus dolor de peccatis vtilis. Per nos quidem in peccata dilabi possumus, & demereri: at non possumus à peccatis

desistere, & refugere, vel opus meritorium agere sine diuina gratia, quæ forma est animam viuificans, & perficiens. conuerte igitur me, & conuertar: quia tu es Dominus Deus meus. Tertia causa materialis, & obiectiua subinfertur dum dicitur: quia commissa mala plangimus cum emendationis proposito. Ecce mala commissa actualia peccata mortalia commissa, quia voluntate: commissa, quia sponte non coactè. commissa delectatione: commissa Diaboli sugestione. quarta causa, scilicet finalis ibi, Deo reconcilians. Finis enim pęnitentiæ est Deum offensum placare: vitamq; æternam nobis donare. pęnitentiam igitur agite, vt bono increato tandem valentis perfrui. & hęc de puncto primo, in altero apparent pęnitentiæ effectus. nam per hanc omnia relaxantur peccata: euaditur infernus: vincitur dyabolus. Regnum cęlorum acquiritur. Pęnæ æternæ in temporales mutantur: omnes defectus remouentur: omnes virtutes restituuntur: omnes Angeli lętificantur: paradisus impletur. O pęnitentia virtutum magistra ad te inducor lege naturali, lege diuinali, & exemplari. Lege naturali, vt de malo vertar in bonum. Lege diuinali, quia Christus pro peccatis nostris est passus. Lege exemplari, quia omnes Sancti nos ad pęnitentiam inuitant. Hei mihi, hei mihi: si huic homines adhererent, non tàm peruersi, sed boni essent.

INANIS EST PAENITENTIA. TEX. Lectio LXXIII.

I*AM absoluimus huius distinctionis partem in ordine primam, vbi erat sermo de pęnitentiæ natura, siue quidditate. nunc in*

hac

hac secunda, tria videnda. Conclusio primo. Insinuatio secundò. Tandem quarundam authoritatum determinatio, siue intelligētia. quo ad primum: laconicè, vt procedamus, hanc notatu dignam conclusionem ponemus. Viatoris bona opera, quæ per sequens peccatum deficiunt. Pro cuius insinuatione distinctio operum pręmittenda hoc secundo venit loco. Quædam enim sunt viua: quædam, mortua: quædam alia mortficata. Illa viua sunt, quæ in charitate, & gratia fiunt. Viua insuper ratione finis. Viua ratione gloriæ adeptionis. Mortua deinde illa, quæ ab homine in mortali peccato existente, & sine charitate fiunt. Quæ ad vitam æternam consequendam meritoriè minimè valent: dispositiuè sic: & moraliter meritoria nuncupari possunt. mortificata illa, quæ prius in charitate facta, per sequens peccatū deficiunt: at rursus per pęnitentiam reuiuiscunt. vnde pro maiori notitia huius secundæ particulæ, super est tertio loco authoritates quasdam superius allatas soluere: & primo sese nobis illa D. Aug. offert dicentis: quòd pęnitentia quā consequens coinquinat culpa dicitur inanis. Quæ authoritas, intelligi habet ex parte finis, quia scilicet fine caret, idest pęnitentiæ fructu: qui duplex est: gehennæ vitatio, & gloriæ adeptio; recedente verò peccato per pęnitentiam, quæ prius mortificata erant opera fiunt viua, dignaque mercede propria: maximè loquendo de illis in charitate factis. nam si de mortuis, inanis sermo est, quia opera, quæ nunquam viua fuerunt, reuiuiscere non possunt. Quando autē Aug. dicebat: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: hoc debet intelligi, quantum ad ingratitudinem iterū peccantium, quibus eadem replicatur pæna, quia eadem quibusdam videntur redire peccata.

peccata. His dictà duo addenda ab Augustino posita, quæ videntur facere, pro confirmatione precedentis erroris; vnum est, quia Aug. ait, quòd pænitens semper penitentiā debet tenere, ita tamen quòd dolere gaudeat: quòd intelligendum venit de perfectorum penitentia, vsq; ad finem vitæ suæ, quam ipsi continuant. Alterum est: quòd nihil de venia relinquitur, quando homo post penitentiam in peccatum relabitur. Quòd esse verum Magister fatetur, vel quo ad peccatorum reditum simpliciter, vel quantum ad ingratitudinem, vt alias dictum est. & hec pro præsenti satis.

DE SOLENNI, ET VNICA PAENITENTIA. TEX. Lectio LXXIIII.

Haec est nouissima pars huius distinctionis exponēda, quæ sui prima diuisione in puncta quinque subdiuidenda: in quorum primo agitur de solenni penitentia, in secundo propter, quæ peccata imponenda, declaratur, in tertio D. Ambr. authoritas, qua dicitur, quòd penitentia non sit reiteranda exponitur, in quarto nouus error circa penitentiam ponitur, in quinto, & vltimo reprobatum. quantum ad primum: penitentia solennis illa est, quæ à solo Episcopo imponitur. vbi sciendum, quòd non dicitur solennis, quia fiat in publico: sed quia cum solennitate tali. nam in die cinerum illi, qui debent agere penitentiam istam, se in Ecclesia coram Episcopo, & sacerdotibus præsentant: & Episcopus præmissa aliqua monitione ostendit eis grauitatem, & suorum peccatorum enormitatē, & indutos cilicio eijcit eos de Ecclesia, illud respon-

responsorium cantando: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Sic sunt extra Ecclesiam usque ad diem cęnæ, qua die recipiuntur, & ad Ecclesiæ ingressum admittuntur: non tamen ad communionem quousque sint per Episcopum reconciliati. Ratio huius solennitatis triplex est. una ad exemplar, & terrorem aliorum. Alia ad erubescentiam delinquentium. Tertia ad significationem eiectionis Adæ de paradiso. & hæc pro puncto primo, in altero pro quibus criminibus imponenda sit, detegitur. nam pro grauissimis criminibus publicis, totam communitatem conturbantibus laicis fidelibus semel imponitur. His ita positis in duobus sectis, tertium additur, ubi D. Ambr. authoritas declaratur, qua dicebat: pænitentiam non esse iterandam. Intelligatur ergo de solenni pęnitentia, quæ non reiteranda, ne vilis habeatur, nisi aliud de consuetudine occurrat alicuius Ecclesiæ. nunc quarto nouus error quorundam existimantium pęnitentiam non esse reiterandam est apponendus loco. quorum motiuum dicitur fuisse incitatio, siue prouocatio ad peccandum, ad quam inuitationem tollendam, nisi semel post baptismum videbitur expedire peccatoribus pęnitentiæ sacramentum. Posito errore, huius reprobationem modo percipite. Si non reiteranda foret pęnitentia, procul dubio viderentur Deo posse hominum peccata placere: at hoc est falsum: pęnitentia ergo reiteranda. Hęc veritas exemplo Dauid cõfirmatur, qui bis veniam impetrauit: semel de commissione adulterij, & homicidij: postea de numeratione populi. Insuper nonne Christus dixit Petro in hoc proposito: Nõ dico tibi septies, sed septuagies septies? ex quo patet verã pęnitentiam sępius agi posse. & quia errantes circa pęnitentiam innitebantur quibusdam

dá verbis Apoſtoli in Epiſtola ad Hebreos: ideo dicit Magiſter: ibi Apoſtolum non negaſſe illam pęnitentiam: ſed bene voluntariè peccantibus hoſtiam ſecundam: quia Chriſtus ſemel paſſus. & hęc de tota diſtinctione.

DE PAENITENTIA.
Lectio LXXV.

VT inſequenti ad examinanda dicta Magiſtri properare valeamus, in pręſenti adhuc circa pęnitentiam verſabimur, duo in ordine conſiderantes. primo multiplicitatem pęnitentiæ: ſecundo varias eius finitiones. quantum attinet ad primum: ſolet multipliciter capi pęnitentia. primo modo pro dolore deſperatiuo, vt de Iuda proditore, qui pęnitentia ductus, retulit triginta argenteos. & de damnatis. Sap. 5. pęnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Damnati enim pęnitebunt, non propter amorem iuſtitiæ, ſed propter odium pęnæ (at inquit S. Bonauentura) cum quo Ricardus concordat dicendo: quòd non pænitent in ſpe veniæ, ſed propter pęnam horribilem. Secundo modo dicitur pęnitentia dolor interior, & ſecundum Ricardum capitur tripliciter, ſcilicet pro habitu pęnitentię: ſecundo pro actu pęnitendi: tertio pro dolore conſequente. & hęc de prima parte: in altera variè diffinitur. nam dicitur actus, paſſio, vel habitus hominis ad punitionem peccati à ſe commiſſi voluntariè ordinatus. dicitur primo actus, qui generaliter accipitur pro actu imperato, ſcilicet velle vindicare, aut elicito, qui eſt deteſtari peccatum, vel imperato, qui

est exterior satisfactiua punitio. dicitur passio propter tristitiam, & dolorem, immo, & gaudium quod consequitur complacentiam in tristitia interiori, aut pena exteriori. nam & ipsa passio ordinata est ad punitionem peccati. dicitur vel habitus propter habitualem penitentiam. dicitur ordinata ad punitionem peccati, ad excludendum alios actus circa peccatum, vt complacentiam peccati, vel indurationem in peccato, aut delectationem in peccato commisso. dicitur voluntariè propter penā illatam, & à voluntate non acceptam, vt cum quis inuitè sustinet penam. dicitur à se commissi, quia punitio assumpta pro peccato alterius non est penitentiæ opus, sed misericordiæ; à subtilissimo doctore Scoto penitentia sacramentum sic describitur. Penitentiæ sacramentum est absolutio hominis penitentis, facta à sacerdote iurisdictionem habente, sub certa verborū forma, cum debita intentione prolata, ex institutione diuina, efficaciter significatiuum absolutionis animæ à peccatis; explanatio huius diffinitionis hec sit, dicitur primo absolutio, idest quedam sententia diffinitiua absoluens rerum, non tamen sententia iudicis principalis, sed secundarij, vel commissarij, dicitur facta à sacerdote: vbi tangitur minister, qui solus est sacerdos potens hoc sacramentum ministrare, dicitur iurisdictionem habente. nam sententia à non iudice lata, est nulla, dicitur hominis penitentis, idest confitentis: quia ad veritatem sacramenti nō requiritur, quòd absoluendus sit penitens: sed peccatorum confessio requiritur, sine qua non est sacramentum. & in hoc tangitur materia huius sacramenti eo modo, quo hic materia inuenitur. vnde triplex potest poni. Remotissima, & sunt peccata. Remota est peccator penitens: & propinqua est ipsa confessio.

nec

nec hoc repugnat his, quæ diximus superius, dum de materia obiter huius sacramenti ageremus, dicitur sub certa verborum forma, vbi huius sacramenti tangitur forma, quæ est sacerdotalis absolutio, dicitur consequenter in diffinitione: cum debita intentione prolata: quia ministri intentio in omnibus sacramentis requiritur faciendi illud, quòd Ecclesia intendit, dicitur ex institutione diuina efficaciter significans, &c. vbi duo tanguntur, scilicet institutio eius, sicut aliorum sacramentorũ, quæ fieri non potuit, nisi per Christum secundum, efficacia significationis eius, quia est signum certum demonstratiuum semper habens effectum, nisi ponatur obex. accedant ergo peccatores non fictè, sed cum vera contritione, quia eis restituetur gratia, per quam attingent ad salutis portam. & hęc satis pro pręsenti.

AN PAENITENTIA SIT VIRTVS. Lectio LXXVI.

VT promissis stemus hodierna die quęsita tria proponemus. quorum primum: An pęnitentia sit virtus. Insuper: An generalis. Postremo: An sacramentum. quantum ad primum: negatiuè sic arguitur virtus est de bono: at pęnitentia de malo: igitur virtus non debet dici. Insuper: nullus eorum secundum virtutem agentium stultus debet haberi, vt Ethicorum tertio dicitur: at de pręterito pęnitere stultum videtur esse, quia pręteritum non potest esse non factum: igitur pęnitere non est actus virtutis, nec pęnitentia virtus. Denique virtus dispositio est perfecti ad

optimum, vt habetur ſeptimo Ethicorum: at pęnitentia non ſic ſe habet, ideſt non eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſed imperfecti, ſicut verecundia: pęnitentia ergo non eſt virtus. In oppoſitum ſe habet Magiſter in textu: inſuper inter legis pręcepta, quæ ſunt de actibus virtutum pęnitentiæ, pręceptũ vnum eſt, iuxta illud Matthęi tertio: pęnitentiam agite, debet ergo virtus cenſeri. Pro dilucidatione huius queſtionis primæ eſt ſciendum: quòd pęnitentia dupliciter capitur: vno modo pro actu exteriori, qui eſt inter pęnitentem, & abſoluentem, & hęc pęnitentia eſt ſacramentum. Alio modo pro habitu interiore, vel actu, quo peccatũ commiſſum diſplicet, quia eſt contra rationem, & iniuriam Dei: quia eſt contra diuinum pręceptum, & de hac pęnitentia quæſtio quęrit. Pręterea eſt notandum: quòd pęnitentia abſolutè non eſt virtus moralis, nec Theologalis: licet reſpectiuè vtraquæ dici poſſit. nam vt ad temperantiam reducitur moralis eſt: vt verò Deum ſummum bonum reſpicit Theologica. His ita poſitis, ad argumenta formata dicendum, & primo ad primum: quòd virtus dicitur de bono quo ad actus: quia virtutis actus ſemper bonus: & quia non eſt ſolum bonum appetere bonum, verum etiam deteſtari malum: ideo virtutis obiectum non ſolum bonum, ſed etiam malum dici poteſt, vt patet de fortitudine: quæ pro obiecto habet malum pęnæ, ſicut pęnitentia malum culpæ. Ad ſecundum dicitur eſſe ſtultum dolore de facto, cum intentione conandi ad hoc, quòd prius factũ non fuerit: quòd non intendit pęnitens. Sed ſolum dolere de pręterito cum intentione non committendi ſimile. Primo modo currit argumentum: at hoc ſecundo modo nullum. Ad tertium neganda venit minor,

& ratio

& ratio assignatur: quia licet verecundia imperfectionem ponat in eo, qui verecundatur: scilicet pronitatem ad committendum aliquid culpæ, vel turpe, prout de verecundia loquitur Philosophus: non sic autem pęnitentia, licet supponat imperfectionem pręcessisse. & hęc de prima quæstione. Nunc videndũ: An pęnitentia virtus generalis nuncupanda? Mihi primo aspecto videtur esse dicendũ, quòd sit generalis: quia est remedium contra omnem morbum: generalis ergo virtus non specialis. Insuper virtus, & vitium opponuntur: at pęnitentia omni opponitur vitio. Ergo debet dici omnis virtus. ex alio latere, quia pęnitentia liberum perficit arbitrium ad actum bonum, & determinatum, qui est pęnitere, propterea virtus determinata, siue specialis, & non generalis censcenda. Hic dimissis varijs opinionibus circa præsentem materiam occurrentibus, ad argumenta diluenda festinabimus, & ad primum distinctione præmissa ita dicemus: dari, siue aliquid dici generale dupliciter. vno modo per prædicationem, sicut vniuersale, quòd generale vocatur per comparationem ad ea, quæ sub ipso continentur: & sic virtus in communi dicitur generale remedium contra peccatum, sub suo sensu, hic pęnitentia dici minimè debet generalis virtus: nec generale remedium contra peccatum. Alio modo aliquid generale nuncupatur per causalitatem, eo quia eius causalitas se extendat ad plura: & ita pęnitentia licet sit virtus specialis: nihilominus generale remedium contra omne peccatum ponitur. nec id mirum, quia conditiones quas recipit in suo obiecto, inueniuntur in omni peccato mortali, scilicet in obedientia mandatorum Dei. Ad secundum argumentum dicitur: quòd pęnitentia non apponitur omni vitio

formaliter,

formaliter, sed solum impenitentiæ: & ideo non debet dici omnis virtus formaliter: opponitur tamen omni vitio causaliter: propterea delet omne peccatum. argumentum in oppositum probat, quòd pęnitentia est virtus specialis: attamen in actum pęnitendi exire non potest, nisi pręuijs actibus virtutum Theologicarum. Post hęc tertio quærendum: An pænitentia dici debeat sacramẽtum? Mihi sanè, quòd non apparet: nam illud, quòd est de iure naturali sacramentum non debet dici: at pænitentia sic: non ergo sacramentum. minor vt suspecta, iam ex superioribus dictis est probata. nam ratio naturalis dictat, quòd qui deliquit pænitentiam agat. Insuper ante legem nouam fuit pænitentia, nec non ante veterem: non igitur sacramentum. Assumptum patet. nam Iob. qui ante vtranque legem fuit, dixit: ago pænitentiam in fauilla, & cinere. Non ergo nouæ legis, nec veteris dici debet pænitentia sacramentum. Tandem authoritate Hugonis sic arguitur: sacramẽtum est materiale elementum: at nullum tale videtur in pænitentia, non ergo sacramentum. ex alio latere baptismus sacramentũ est contra originale peccatum: igitur pænitentia, vt ordinata contra actuale peccatum erit sacramentum. Pro dilucidatione huius quæstionis est sciendum: quòd pænitentia hic sumitur pro actibus exterioribus, qui sunt inter pęnitentem, & absoluentem, qui actus sunt confessio, & absolutio: & hoc modo sacramentum est. Quo supposito ad formatas rationes modo dico: quòd prima, si sumatur pro confessione peccatoris, & absolutione sacerdotis, tunc nulla, quia non est de dictamine iuris naturalis. Altera ratio desumpta ex Iob. cõcedenda: sumendo tamen pænitentiam pro pæna quadam voluntariè assumpta ad satisfactio-

nem

nem delicti, si aliquod commiserat. & sic non erat sacramentum. Tertia ratio intelligenda venit hoc modo: quòd sumatur materiale elementum pro omni sensibili: & sic in pænitentia est materiale elementum: videlicet verba confitentis, & absoluentis, quæ sensibilia quædam sunt, seu audibilia.

QVOD PLVRIBVS IRRETITVS PECCATIS.
Distinctio 15.
Lectio LXXVII.

S*Vperius de pęnitentia quantum ad sui, quidditatem determinatum fuit: Hic verò de eadem, quo ad eius integritatem loquendum. distinctio igitur hęc in secta diuidenda tria: in quorum primo quidam errores tanguntur, in altero quid prosint Elemosynæ in mortali peccato factæ, in tertio ex dictis vnum infertur, vt suo loco declarabitur. Nos hodierna die circa primum versaturi tria faciemus. nam primo nonnullorum errores pręmittemus. Insuper illos diluemus. Tertio perutilem de flagellis distinctionem apponemus. Ad primum itaque percipiendum, scire debetis: quosdam malè intelligentes sacræ scripturæ authoritates: in hunc deuenisse errorem, vt dicerent pænitentiam non esse iterandam: Insuper de vno fieri posse peccato sine alijs pęnitentiam. quorum motiuum ex verbis. Naum malè intellectis originem dùxit. habet enim capite primo iste propheta hęc verba: Non iudicabit Deus bis in id ipsum; tunc sic arguebant isti dicentes: Si quis vnum peccatum sacerdoti confiteatur, alijs tacitis, siue prætermissis, & pęni-*

tentiam sibi iniunctam pro illo persoluat: vlterius pro illo non debet satisfacere, nec pęnitentiam agere: alioquin Deus bis in id ipsum iudicaret, dum sacerdos, qui Christi vicem in Ecclesia gerit bis pro eodem peccato pęnitentiam imponeret. de vno igitur solo sine alio poterit agi pænitentia. Pręmisso errore in prima parte: in altera soluendus. dicamus ergo vna cum Magistro Sent. authoritatem allegatam, & ab his non benè intellectam, nos cogere minimè: nam intelligi debet de illis solum, qui per flagella pręsentia corriguntur, & de malo in bonum commutantur, & perseuerant. tales equidem iterum non iudicantur. At secus est de illis, qui in præsenti vita per flagella non corriguntur, vt Pharao Exo. vii. talibus enim iudicium in pręsenti videtur incipi, & in futuro terminari. Quòd testimonio beati Aug. referente Magistro in litera potest cõfirmari. Inquit enim ipse vindicta Dei hic incipiet, & ardebit vsque ad extremam damnationem. quare peccatores nolentes hic à Deo puniri, & in futuro, retrahant pedẽ à malo iuxta illud propheticum: declina à malo, & fac bonum. alioquin in malo perseuerantes, & hic, & in futuro flagellabuntur. His tertio loco de flagellis perutilis addenda venit distinctio talis. quinque modis flagella contingunt nobis. nam aliquando infliguntur, vel ad meritorum augmenta, vt perpulchre. Iob. docet nos exemplum, vel ad virtutis custodiam, vt fuit in Paulo, cui datus est stimulus carnis, vel ad corrigenda peccata: vt Mariæ Num. xi. inflicta est lepra, vel ad Dei gloriã. vt patet in Cęco nato. vel ad initium pęnæ futuræ, vt patet in Herode, qui scaturiuit vermibus: vt habetur Act. xv. Rogitemus ergo nos ipsum, qui sumus filij Dei amoris, vt flagella in nos mittat ad futuram

turam pęnam euitandam: vel ad meriti auctionē: vel ad virtutis custodiam: vel ad corrigenda peccata nostra: vt gloriam tandem consequi valeamus pęnitentia: quæ vna: quia ad vnum finem ordinata, vt puta ad deletionem culpæ. & hęc pro pręsenti lectione.

ILLA ERGO AVTHORITAS NAVM, ETC. TEX.

Lectio LXXVIII.

M*Vltis de causis flagella imitti à Deo in rationales creaturas, dictum fuit in hesterno sermone nostro. Nunc verò adhuc circa partem primam huius distinctionis versaturi: quinque per ordinem perpendemus. primo quasdam authoritates Hieronymi super dicto verbo Naum. Insuper introducemus sanctorū testimonium, quòd videtur fauere prædicto errori. Tertio veritatem aperiemus. quarto dubium: & dubij solutionem quinto. quantum ad primum: vir iste dicit: genus humanum diluuio Gene. vii. Sodomitas igne. Gene. xix. Egyptios mari: Exo. xiiii. & Israelitas in eremo temporaliter punitos: ne in æternum punirentur, quia Deus non punit bis in idipsum, quòd generaliter non est intelligendum: at de illis tantum, qui inter flagella pęnituerunt. Qui etenim per flagella temporalia puniuntur, nec corriguntur, cum hoc postea æternaliter puniuntur. Quòd confirmari potest authoritate beati Ioannis dicentis: leuia peccata leui, & temporali supplicio puniri: pro leuibus enim quis æternaliter non punitur, nisi ex accidenti. grauia verò hìc graui habent purgari supplicio, & in*

 futuro

futuro æternaliter punienda: illa scilicet, de quibus inter flagella pęnitentiam non egerunt: quare vt concludamus, hilari vultu fatendum: prędictas authoritates nihil pro dicta opinione facere, vt in hoc primo puncto est videre: in altero sanctorum authoritates introducendæ pro confirmatione prædicti erroris. prima est Gregorij dicentis: vnam ciuitatem complui, & non aliam, sicut dicit Amos iiii. & est quando homo de vno peccato pęnitentiam agit, & non de alio. Insuper Ambr. dicit: si fides desit, pęna satisfacit, vt possit de aliquo peccato satisfacere. His addi ipsorum poterit ratio pro sui intenti confirmatione, quæ talis. Si quis de vno peccato satisfecit, & ipsum pęnitet: alijs peccatis tacitis: de quibus postea si confessus fuerit: non videtur rationabile, nec secundum consuetudinem Ecclesiæ pro eodem peccato, nisi reiteretur: vt ei bis pęnitentia imponatur: non ergo iteranda pęnitentia. Pro veritate declaranda in hoc tertio puncto erit primo dicendum: Gregorij authoritatem intelligendam fore quo ad criminis desitionē: quo modo vna ciuitas complui dicitur, & alia nō: idest homo dicitur posse cessare ab actu vnius peccati, licet ab alio non desistat: ob id non sequitur, quòd de vno sine alijs veniam obtineat. ad authoritatem Ambrosij nunc dicitur: quòd ibi fides sumenda sit, nō pro fidei habitu: at pro scientia peccati: aliquando enim peccatum est, cuius conscientiam homo non habet: quia quod non recolit per flagelli pęnam purgatur: dum tamen homo patienter flagella acceptat. Quarto dubitatur loco. Vtrū ei sit imponenda satisfactio, qui iam satisfecit. dubio proposito quinto diluitur loco, dum dicitur cū Magistro, quòd sic: quoniam prior satisfactio nec digna, nec vera fuit. nam secundum beatum

Aug.

Aug. satisfacere est peccati causas excidere: & eorum sugestionibus aditum non indulgere: quæ duo ille non facit, qui in alijs peccatis remanet.

ITEM SANE TEX.
Lectio LXXIX.

ENodata prima parte huius distinctionis: sequitur altera in ordine secunda explicanda, circa quam versaturi quatuor faciemus. nam primo de eleemosynis in mortali peccato factis ratione finis loquemur. Insuper de satisfactione notandum in medium adducemus. Tertio aliorum opinionem de satisfactione proponemus. Quarto prędictarum authoritatum veram intelligentiam ponemus. Pro intellectu primi puncti est sciendum: triplicem eleemosynam dari: vna quarum in contritione consistit, quando quis se Deo offert sacrificium, iuxta illud Psal. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. de huiusmodi eleemosyna sapiens dixit. Miserere animæ tuæ placens Deo. Quo modo eleemosyna capta satisfactionis pars nequaquam dicenda: sed pars integralis contritionis. Datur alia eleemosyna, quæ consistit in proximi passione. V. g. cum quis compatitur alienis miserijs. De qua Iob. ab infantia mea creuit mecũ miseratio, & ab vtero matris egressa est mecũ. Tertia eleemosyna in largitione manuali dicitur cõsistere, quando quis indigenti aliquod temporale exhibet. de qua Saluator Lucæ ii. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, & Ambr. dicebat. Pasce fame morientem, si nõ paueris, fame occidisti: sub hac elee-

mosyna septem misericordiæ opera contineri, nullus est qui de hoc dubitet. His ita positis: quid modo dicturus una cum Magistro, audite. Eleemosynæ, quas faciunt in peccato mortali existentes, nec sunt meritoriæ, nec Deo placentes. unde beatus Aug. pro confirmatione veritatis huius dicebat. Quidam in peccato permanentes, putant per eleemosynas, quas faciunt, mereri aliquam peccati purgationem, propter quod Dominus dicit: date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis: quia non bene intelligunt: sunt enim eleemosynarum genera multa. nam eleemosynam facit, qui necessaria administrat: qui peccanti in se indulget: qui subditũ sibi corripit: qui pro proximo orat, ut peccatum sibi remittatur. Inter omnes autem has eleemosynas maior est dilectio inimici: & pręter has illa maior, quam quis sibi facere debet. unde qui auet per aliquam prędictarum eleemosynarum peccata sua mundare: prius sibi ipsi eleemosynam debet facere, & animæ suæ misereri: quòd non faciunt illi, qui in peccatis permanent; & si multas eleemosynas faciunt. Primo ergo ordinatè ut procedamus: nobis ipsis interius eleemosynam faciemus, illas non omittentes exterius. Tunc nobis omnia munda erunt, si à nobis eleemosyna incipiet, & ad alios se deinde extendet. Audiant hic peccatores in malo quotidie perseuerantes: quęrantue animam interius à vitijs purgari, ut valeant gratiam hic, & in futuro gloriam consequi. Date ergo eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, aliter non. Enucleata parte prima: altera subsequitur, ubi notandum de satisfactione tale ponitur. Illis, qui de uno peccato satisfaciunt sine alijs, iterum satisfactio imponenda. Quidam verò alij (ut tertiam partem aggrediamur) sunt

opinati:

opinati: quòd illa satisfactio de vno, sine alijs fuerit insufficiens tempore illo, quo fiebat: at quando postea de alijs peccatis doleat: tunc effectũ habere suum, sicut baptismus, recedente fictione. Hanc suam confirmant opinionem, primo per authoritatem Augustini dicentis: quòd Deus gratiam suam alicui confert: & etiam remunerat priora bona facta ante statum gratiæ: & quod Deus diligit bonum, quòd in peccante plantauit: & ita satisfactionem in statu peccati approbat. Secundo ad hoc idem potest induci authoritas Hieronymi dicentis: quòd Deus bona facta in statu peccati remunerat, & facit peccatorem ea metere, quæ seminauit: & hęc de tribus punctis. in quarto videndum, quo modo prędictę authoritates intelligantur: nam de bonis factis in statu gratiæ, quæ per peccatum mortificatur, intelligendæ: quia postea per pęnitentiam dicuntur reuiuiscere: talia Deus diligit, & remunerat: illaque metere facit: non autem illa, quæ fuerunt facta in statu peccati. Potest etiam aliter dici: quòd prędictæ authoritates valeant intelligi de bonis factis in statu peccati, quæ Deus remunerat, non tamen remuneratione gloriæ æternæ, sed temporali, vel etiam æternum diminuendo supplicium. concludamus itaque: quòd sine charitate vera pęnitentia nequeat esse: & quod bona, quæ cum charitate facta sunt, & per peccata mortificata, nec per pęnitentiam viuificata, ad æternam remunerationem minime valeant, licet ad supplicij diminutionem.

SATIS

SATIS ARBITROR. TEX.
Lectio LXXX.

Extremam impositurі manum huic distinctioni: circa nouissimam partem versabimur in presenti, quinq; facientes. nam primo quasi probatum intentum cõcludemus. Insuper errorem supradictum improbabimus. Tertio documentum proponemus. quarto Illatum. quinto, & vltimo notanda duo. Quantum ad primum: videtur esse concludendum quasi probatum satis abundè intentum: quòd de vno peccato sine alijs penitentia agi minimè possit. Hinc secundo supradictus error reprobandus huic veritati contrarius authoritate beati Augustini dicentis: quòd Dominus nunquam aliquem sanauit, quem totaliter non sanauerit: in quo nos docuit (& ecce documentum tertio) quòd de vno peccato sine alijs fieri penitentia non potest: alias sequeretur: quòd criminoso, cui inimicus esset veniam daret: & quod peccator absque Dei timore veniam consequeretur, nec non dimidiam veniam à Deo: vel etiã integram sine vera penitentia: quæ omnia sunt absurda: igitur, & opinio predicta. Inferamus propterea quarto loco vnum notatu dignum: scilicet non valere penitentiam, nisi de omnibus factam. Hinc pullulant duo notanda quinto: quorum primum sic se habet. Illa vera penitentia dici debet, quæ ad baptismi puritatem ducit, & quæ verè vitæ mutationem facit: quæ peccatum abhorret, & scelus corrigit: propter quod permanens in opere peccati, veram penitentiam habere non potest. Alterũ in ordine sic se habet: quòd etiam in fine vera penitentia agi potest absque restitutione, quando scilicet

do scilicet non adest facultas emendandi, vel restituendi. Si verò adsit facultas, nullo modo vera potest pęnitentia agi, nisi ablatum restituatur. & hęc pro pręsenti.

AN QVIS DE VNO, ET NON DE ALIO VALEAT SATISFACERE PECCATO. Lectio LXXXI.

CIrca predeclaratam distinctionem solet quęri primo: An quis de vno peccato valeat satisfacere, non de altero satisfaciendo. Insuper: An bona opera extra charitatem facta alicuius boni meritoria. Tertio: An diminutionem pęnæ mereantur. Quantum ad quęsitum primum: pro parte affirmatiua sic arguitur: nexa adinuicem non dicuntur esse peccata: igitur vnum sine alio poterit auferri. Antecedens patet: quia si non ita esset, tunc qui vnum habet omnia haberet. Pręterea: Deus magis misericors, quàm homo dicitur, & est: at homo vnius debiti satisfactionem sine alio recipit: igitur Deus vnius peccati satisfactionem sine alio recipiet. Ex alio latere dicetis vos: quo modo poterit homo in peccato existens satisfacere pro alio? Pro dilucidatione huius quæstionis primæ debetis scire: quòd homo in pluribus existens peccatis, non potest de vno satisfacere sine alio, loquendo de satisfactione includente reconciliationem amicitiæ, & solutionem debitę pænæ. His ita paucis premissis, nunc rationes soluendæ. quarum prima intelligenda venit quãtum ad commissionem, siue patrationem peccati: at quantum ad deletionem nulla est. Peccata ergo primo modo

do

do non sunt connexa, at secundo modo sic: ita vt de vno satisfactio fieri nequeat sine alio. Altera ratio neganda, merito minoris, quæ falsa, & hoc ratione inæqualitatis: nam in obligatione debiti non dicitur esse nisi inæqualitas iustitiæ opposita: quia vnus rem habet alterius, & ideo ad restitutionem non exigitur, nisi quod iustitiæ restituatur æqualitas: quòd quidem fieri potest de vno debito, & non de alio. At vbi est offensa, ibi est inæqualitas non solum iustitiæ opposita: verum etiam amicitiæ: & ideo ad hoc quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum oportet, quòd æqualitas iustitiæ restituatur per recompensationem æqualis pęnæ: verũ etiam, quòd restituatur æqualitas amicitiæ: quòd esse non potest, dum aliquid est, quòd amicitiam impedit. Explicata prima quæstione: altera subsequitur, dum quæritur: An opera bona extra charitatem facta alicuius boni meritoria. Mihi sanè, quòd sic, apparet: quia nullum malum impunitum, nullumq; bonum irrenumeratum. Insuper dimittere malum, nonnè est vitare pęnam? igitur facere bonũ preter vitationem pęnæ, erit meritorium alicuius premij. In oppositum se habet D. Aug. dicens: quòd peccator non est dignus pane, quo vescitur: igitur nec quid aliud mereri dicetur. Pro Responsione, illa triplex distinctio de merito præmittenda: datur enim meritum digni, condigni, & congrui. Nunc ad rationes quid dicendum, audite. nam prima de merito congrui habet concedi, & de premio temporali, aliter non. Secunda nõ secus rectè intuenti soluitur. His quęsitis duobus tertium apponitur, dum quęritur: An talia bona facta extra charitatem pęnæ mereantur diminutionem. Pro parte affirmatiua sic arguitur: vti mala causa sunt intensionis pęnæ: non

secus

secus bona remissionis causa eiusdē dicenda, ergo. Insuper D. Aug. in Enchir. ita dicit: opera bona suffragiorum, quæ fiunt per alios, ad pęnæ infernalis diminutionem valere, igitur. Pro intellectu huius quęsiti est sciendum: quòd de pęna dupliciter verba possunt fieri. vno modo respectu iam debitæ: alio modo respectu futuræ stante hac consideratione: dicitur modo ad argumentum primum: quòd bona opera facta extra charitatem valent ad pęnam futuram euitandam, quam omittentes quandoque ea incurrerent. Ad secundum argumentum dicitur: quòd Aug. dictum nō sit intelligendum de suffragijs respectu damnatorum: sed illorum, qui sunt in purgatorio, & damnati non æternaliter, sed temporaliter. His ergo Ecclesiæ suffragia prosunt, vel ad plenam remissionem, vel ad tollerabiliorem damnationem. & hęc pro pręsenti.

AN ELEEMOSYNA SIT SATISFACTIONIS PARS.

Lectio LXXXII.

IN *gratiam eorum, quæ dixit Magister Sent. opere pretium erit quęsita duo in pręsenti examinare. quorum primum: An eleemosyna satisfactionis pars censenda. Insuper: An eleemosynæ spirituales corporalibus sint potiores, vel vice versa. quātum ad primum: negatiuè sic arguitur. Illi fieri debet satisfactio, in quem offensa commissa: at Deo non datur eleemosyna, in quem culpa cōmissa: non igitur ipsa eleemosyna satisfactoria. Pręterea: satisfacere dicitur actus iustitiæ: at eleemosyna actus misericor-*

 diæ:

diæ: non ergo satisfactoria. In cõtrarium se habet illud, quòd glosa dicit, super illud Lucæ. iii. facite dignos fructus pęnitentiæ: at hoc esse non potest nisi ratione satisfactionis: eleemosyna igitur pars satisfactionis. Pro determinatione huius difficultatis pręmissæ, est sciendum: quòd eleemosyna satisfactoria dicitur sub hoc sensu: quia opus bonum est, & pęnale. Quo stante de facili rationes ruent prius formatę. Prima ergo ratio concedatur, loquendo de satisfactione immediatè: at mediatè neganda. nam satisfactio pro culpa fieri debet illi, in quem commissa, vel alij de eius voluntate, & ordinatione: quo modo per eleemosynam fit ipsi Deo satisfactio, non immediatè: sed pauperibus de eius voluntate. Altera ratio secundum se, & extra casum necessitatis suadet eleemosynam opus esse misericordiæ nobis: at inquantum iniungitur à sacerdote, & acceptatur à pęnitente ad recompensandam diuinam offensam, tunc est opus iustitiæ. Primo itaque modo ratio formata currit: at secundo modo nulla est. Explicata iam quęstione prima: altera subsequitur percurrenda. Solet etenim quęri: An eleemosynæ spirituales potiores sint corporalibus, vel e conuerso. Quibusdam visum est, liberè fatendum fore: corporales potiores spiritualibus: quia illa potior videtur esse eleemosyna, per quam dans plus sibi subtrahit, vt indigenti subueniat: at hoc fit per corporalem eleemosynam: ergo. Minor patet, quia dans corporalem eleemosynam minus habens efficitur, quam in spiritualibus dans eleemosynam spiritualem. Potior. Itaque eleemosyna corporalis illa spirituali. Insuper illa potior, qua indigentiæ magis necessariæ subuenitur: at hoc fit per corporalem eleemosynam: ergo. In oppositum se habet illud

omnibus

omnibus notum, scilicet bona spiritualia corporalibus esse potiora: at spiritualis eleemosyna est de spiritualibus bonis: potior igitur prenominata. Pro dilucidatione est primo sciendum: quot numero corporales dicantur esse eleemosynæ: septem enim communiter ponuntur: quæ in hoc versu continentur. Visito: poto: cibo: redimo: tego: idest nudum vestio: colligo: idest hospitem recolligo: condo, idest sepelio mortuum. eleemosynæ quoq; spirituales septem V. g. consule: idest doce ignorantem: & dirige dubitatem. Castiga delinquentes: solare tristem: remitte, idest indulge peccantibus in te: fer: idest porta infirmitates, & aliorum grauamina: ora pro omnibus. Insuper sciendum preter hec: quòd potior, & maioris meriti est spiritualis eleemosyna, quia ex charitate, quæ animam principaliter respicit. Nunc ad argumenta accedo, & ad primum dico: quòd illa eleemosyna, per quam homo plus sibi subtrahit, magis satisfactoria est, quia magis penalis: non ob id oportet, quòd sit potior, & magis meritoria illa spirituali, quæ ad meliorem finem, & immediatius ordinatur. Ad secundum dicitur: quòd necessitas quidem indigentiæ facit eleemosyna magis debitam esse, sed non meliorem. vnde Gregorius in Homelia dicit: melius esse animam semper victuram verbo vitæ reficere, quàm ventrem moriture carnis terreno pane satiare. & hec pro presenti lectione.

DE TRIBVS, QVAE, ETC.

Distinctio 15.

Lectio LXXXIII.

SExtam decimam distinctionem hodierna die explanaturi de nexu primo disseremus: Insuper ad diuisionem accedemus. Quo ad nexum quid dicturus sim, audite. Ex quo Magister Sent. loquutus est de penitentia in genere: consequenter intendit modo in specie de penitētiæ partibus verba facere. & hęc de nexu. Diuidi nunc potest pręsens distinctio in puncta sex principalia: in quorum primo ponitur propositio, in secundo vęræ pęnitentiæ modus, in tertio confitendi modus, in quarto quæ veræ, ac condignæ pęnitentiæ nuncupandæ, in quinto triplex distinctio pęnitentiæ, in sexto quæ venialium sit pęnitentia. quantum ad primum hęc sit propositio. Perfectio pęnitentiæ consistit in tribus: scilicet in cordis contritione: oris confessione: & operis satisfactione. Nec id mirū, quia Deum hisce tribus consueuimus offendere modis: scilicet corde: ore, & opere. In cuius rei signum Christus tres suscitauit mortuos: vnum in domo: alium extra portam: tertium iam fętidum in sepulchro. Tres ergo mortes: vna, quasi in domo, scilicet cum in corde consentitur libidini. Altera, quasi prolata iam extra portā, cum in factum procedit assensio: tertia cum vi malæ consuetudinis animus pręmitur, quasi iam fętens in sepulchro. Huic verò triplici morti triplici remedio occurritur: cōtritione, confessione, & satisfactione. compunctio nobis cōmendatur ibi, scindite corda vestra, & non vestimenta uestra. Confessio ibi, Iustus in principio sermonis

monis accusator est sui; satisfactio à Ioan. pręcipitur vbi ait: facite dignos fructus pęnitentiæ. & hęc de primo puncto, in altero ponitur modus veræ pęnitentiæ, & primo quantum ad cordis compunctionem in pęnitentia necessariam. Qui ergo vult perfectè peccata delere: peccati consideret circunstantias, quas Aug. innuit. Scilicet criminis qualitatem, in loco in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, nec non quasi hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim fornicantē pęnitere secundum sui status excellentiam, vel officij, vel secundum modum meretricis, & in modum sui operis: nec non qualiter turpitudinem egerit, si in loco sacro, si in tempore orationi constituto; vt puta diebus festiuis, vel in ieiunij tempore. Insuper consideret quantum perseuerauerit: tunc defleat peccator, vt sibi Deum inueniat propitium. & hęc de sectis duobus, in tertio traditur modus confitendi peccata: diuidi enim confessio debet minimè, sed integra esse. vnde verecundia ducti, diuersa diuersis sacerdotibus confitentes quidam, non in laudem Dei, sed in hypocrisim incurrunt, sit itaque integra confessio, caueatq; peccator ad sacramentum altaris accedere, antequam per veram satisfactionem fuerit in bono eius conscientia confirmata. His tribus pręDeclaratis, additur quartum de condignis pęnitentijs, quæ secundum authoritates Sanctorum pro qualitate, & quantitate criminum imponuntur. Qui vult ergo fructus dignos facere pęnitentiæ restringat à ludis, & huius sęculi spectaculis, veram pęnitentiam impedientibus, veramq; satisfactionem: alioquin fructus pęnitentiæ indignos, falsamuè pęnitentiam, nec non satisfactionem faciet ille, qui statum non demittet primum, vt Deus cor

eius

eius ad penitentiam illustret. Nunc quinto loco triplex penitentiæ considerandα est distinctio: datur enim penitentia quedam, quæ agitur ante baptismum: Adultum etenim, qui baptizatur, veteris vitæ, antequam nouam inchoet, in baptismo oportet penitere. Alia penitentia, quæ post baptismum fit: & est duplex: vna quæ pro peccatis fit mortalibus: altera pro venialibus ex humana infirmitate prouenientibus. Quæ licet leuia videantur: attamen multiplicata grauant, & opprimunt, sicut aqua paulatim intrans nauem submergit. Postremo quæ sit venialium penitentia declaratur loco: ad deletionem enim venialium, & leuium sufficiunt oratio Dominica, & eleemosyna, cum contritione aliqua: addita confessione, si adsit facultas. nam non sufficit illi qui grauia peccata commisit à malo recedere, & bonum facere: nisi etiam studeat secundum modum peccatorum suorum Deo per penitentiam satisfacere. Quare si habens venialia peccata hoc tenetur facere, multo fortius, & vehementius, qui grauiora commisit. & hec tota distinctione satis.

QVID CONTRITIO.
Lectio LXXXIIII.

ERat sermo in superiori distinctione de tribus partibus penitentiæ, scilicet de contritione, confessione, & satisfactione: de quibus in specie loquendum, & maximè de contritione. Ad videndum ergo quid sit contritio notandum: quòd hic solet contritio sumi ad similitudinem contritionis, quæ fit in corporalibus. nam res corporaliter conteri dicitur, quando in minutas

partes

partes conteritur. Dolor igitur de peccatis contritio dicitur, non fractio, quæ respicit partes magnas. vbi sciendum: tria in contritione esse attendenda. Primo quid sit illud, quod conteritur. Secundo à quo conteritur. Tertio ad quid contritio terminetur. Illud quod conteritur est peccatoris corpus: quòd est vas quasi fictile, peccati veneno repletum: & ideo indicans authoritate Dei contritionem Iohe. dixit: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, scilicet in contritione. Illud à quo conteritur cor peccatoris, est duplex mola, quarum vna superior, i. dest sursum eleuans, & est spes veniæ prouenins ex consideratione diuinæ misericordiæ. Alia mola est deorsum deprimens, & ista dicitur timor pœnæ, veniens ex consideratione diuinæ iustitiæ. Has duas molas debet tenere verus pœnitens, & nunquam deserere, nec eas diabolo pignori tradere, desperando de salute, nec non de peccatorum suorum enormitate. Illud tandem ad quod contritio terminari dicitur, est: vt cor peccatorum durum, vt lapis emolescat, & liquefiat, vt cera, iuxta illud Psal. Factum est cor meum tanquam cera liquescens. De quo alibi dicitur. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Visa igitur proprietate istius nominis contritio, sic à Magistris finitur. Contritio est dolor voluntariè pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Dicitur primò dolor, quia contritio medicina peccati est, & in peccato fuit delectatio, ita in contritione dolor, vt contraria cōtrarijs curentur. vnde de ista Apoc. dicitur. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit in peccati perpetratione: tantum date tormentum, & luctum in contritione. & notandum:

quòd

quòd non solum in contritione est dolor, sed etiam est & gaudium: quoniam cum peccator recordatur se per peccatum offendisse Deum creatorem suum, qui eum creauit ad imaginem suam: Patrem suum celestem: qui eum pascit corporaliter, & spiritualiter: & redemptorem suum, qui eum liberauit per proprium suum sanguinem à pęna, & à perpetua damnatione: recolit etiam se per peccatum paradisi gloriam amisisse, & inferni pęnam incurrisse, dolere debet. At quando cogitat per talem dolorem elongari à peccato, & reconciliari Deo, gaudet: dum se peccati naufragium euasisse videt. Sequitur voluntariè assumptus: quia si talis dolor non esset voluntarius proculdubio Deo non esset gratus: nam coacta seruitia Deo non placent. Sequitur cum proposito confitendi, & satisfaciendi. verè enim contritus in proposito esse debet confitendi, & satisfaciendi, quando opportunitatem habet: alias sua contritio nulla esset. In re ergo, vel in voto ista tria requiruntur, scilicet contritio, confessio, & satisfactio ad veræ pęnitentię perfectionem; cōtritio verò ex quatuor, vel quinque integratur, vt scribit Gerson, quæ sunt: motus liberi arbitrij in Deum super omnia diligendum. Insuper motus eiusdem liberi arbitrij in detestationem peccati. Tertiò infusio gratię gratum facientis. Quarto expulsio culpæ. Quinto pręuentio, scilicet diuina, qua liberum arbitrium mouetur, & excitatur ad ea, quæ dicta sunt. & hęc pro presenti pauca sufficiant.

DE CONTRITIONIS QVANTITATE, ET EIVS QVALITATE.

Lectio LXXXV.

Contritionis quantitas mensurari consueuit penes doloris quantitatem, quæ essentialiter est ipsa contritio, vel à contritione causata. Notandum ergo duplicem in contritione inueniri dolorem, secundũ quod duobus dicitur modis dolor. Nam vno modo idem est quod displicentia voluntatis, inquantum scilicet voluntati displicet aliquam rem fore, vel fuisse. Alio modo dolor idem est, quod passio in sensualitatem redundans, idest in carnem, vt quando prescinditur pars corporis, vel ipsum corpus vulneratur. Loquendo de dolore primo modo, talis dolor essentialiter ipsa contritio esse dicitur, & si maximus esse debet, si vera contritio sit. Nec id mirum, quia contritio si vera sit, absque charitate esse non potest, immò semper cum charitate. Ad hoc autem quòd aliquis habeat charitatem, quantumcunq; paruam, necesse est, quòd super omnia diligat Deum: sic quod pro nullo damno, vel commodo velit offendere, vel offendisse Deum: & ideo cum peccatum sit offensio Dei, voluntati informatæ charitate debet displicere. & sic loquendo de dolore, prout dolor displicentiam dicit voluntatis, maximus esse debet. Dolor autem causatus, siue creatus in sensualitate, vt effectus contritionis, non oportet, quòd in contritione maior sit quocunq; alio dolore: & hęc de contritionis quantitate. nunc de eiusdem qualitate loquuturi septem conditiones, quas contritio debet habere, tangemus. primo enim debet esse discreta, vnde cum spe

veniæ debet esse: ita quòd verè contritus nunquã debet desperare de Dei misericordia: vti Caim, & Iudás fecerunt. Secundo debet esse amara. vnde Ezechias: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. amara, quia peccator delectatus fuit in cogitatione illicita: amarior, quia consensit: amarissima, quia opus illicitum perpetrauit. Tertio debet esse lachrymosa. vnde Psal. Lauabo per singulas noctes lectum meum, scilicet conscientiæ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Quomodo Maria Magdalena fecit, quæ lachrymis lauit pedes Domini nostri Iesu Christi, ideoq; fuerunt sibi remissa peccata. Quarto debet esse premeditata: iuxta illud: Recogitabo tibi omnes annos meos. Quinto vniuersalis esse debet, idest de peccatis omnibus. Sexto debet esse durabilis, idest continua, vt dicemus infrà. Septimo integra esse debet, idest cum proposito confitendi, & satisfaciendi, alias non esset contritio, sed derisio. & ita patet qualis debeat esse contritio.

QVANTVM CONTRITIO DEBEAT DVRARE. Lectio LXXXVI.

AD cognoscendum, quantum debeat durare contritio, premittemus necessaria quedam in primo segmento. Deinde, de quibus debeat esse contritio, aperiemus: tertio, & vltimo causas contritionis inductiuas narrabimus. Pro intellectu secti primi est sciendum in contritione duplicem inueniri dolorem, quorum vnus dicitur detestatio, siue displicentia voluntatis, & iste semper debet durare, quam diù homo viuit: sub hoc sensu tamen,

quando-

quandocunq; sibi occurrat peccati memoria, quòd tunc illud fecisse sibi displiceat. & ita verbum beati Aug. in libro de pęnitentia debet intelligi, vbi dicitur, semper doleat, & de dolore gaudeat. Semper ergo, quando occurrit de peccato memoria. At dicetis (posito quod aliquis sciret per diuinam reuelationem peccatum sibi fore remissum) debet ne adhuc displicentiam habere? Respondetur quod sic; alioquin peccator diceretur peccare, quia sicut culpa est velle peccare, ita culpa velle peccasse. est alius dolor in contritione, qui resultat in sensualitate, quando scilicet homo ex displicentia peccati prorumpit in fletũ, & lachrymas; & talis dolor non oportet, quòd duret semper, cũ paucissimi sint, qui vna hora possent peccata flere. & hęc de contritionis duratione. Nunc secundo, de quibus debeat esse contritio, speculandum; pro cuius intelligentia notandum, dari duplex peccatum, scilicet actuale, & originale: actuale illud, quod contrahitur actu proprio, vt puta quando homo agit, quod agere non debet; originale verò illud, quod contrahit homo ex origine, in quantum scilicet descendit ab Adam secundum rationem seminalem. hac distinctione pręmissa dicitur modò, quòd homo de originali culpa conteri non tenetur, quia actu proprio non dicitur commissa, sed hìc notetis, quòd quamuis nullus de necessitate teneri videatur cõteri de originali peccato, attamen Adulto, congruum esset, accedenti ad baptismum de huiusmodi peccato displicentiam habere in genere, non autem in specie, in quantum scilicet omne, quod separat à Deo, debet displicere. solùm ergo debet cõteri homo de actuali peccato. At hic notandum in genere duplex dari peccatum actuale. Nam quoddam est mortale, quoddam veniale. De peccato autem

mortali debet homo conteri, & sigillatim de quolibet singulariter confiteri, ita quòd non sufficit generalis confessio, immò quilibet verè pęnitens diligenter debet examinare, & discutere suam conscientiam, ita quòd recogitet dies, horas, loca, tempora, personas, & omnes circunstantias, in quibus, & cum quibus peccare potuit, & peccauit: & ita sicuti sibi memoria de peccato occurret specialiter, & singulariter conteratur de quolibet, secundum tamen quòd vnum peccatum est grauius altero: nam intensius de vno, quàm de altero debet dolere. At dicetis vos, quid fiet de peccatis oblitis? Respondeo, & dico quòd quis suorum peccatorum oblitus esse potest duobus modis, vno modo in speciali, sed non in generali, idest benè recordatur se mortaliter peccasse, sed tamen non recordatur de peccati specie. & talis debet conteri de peccato in generali, & in speciali de sua negligentia, per quam in obliuionem sui peccati venit. Alio modo potest esse oblitus sui peccati, ita quòd nec in generali, nec in speciali recordatur, & adhuc conteri in generali tenetur. vnde frequenter quilibet dicere debet istum versum Dauid: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. quo autem modo homo de peccato veniali conteri teneatur, hic aliquātisper dicemus, & inferius magis abundè. Notandum igitur, tria dari genera venialium peccatorum: nam quoddam est veniale ex surreptione, non ex voluntate, & de tali non tenetur homo in speciali conteri, nisi de congruo. aliud est veniale ex voluntate, cui si consentiat incidit homo in mortale, sicut delectatio morosa in cogitatione de actu carnali, veniale est: at si ibi sit consensus, tunc mortale, & de tali veniali, quando occurrit memoria, de eo debet homo

conteri

conteri, & pęnitere, diligenterq; aduertere, ne sit ibi, vel fuerit consensus. Quoddam aliud veniale est, quod per sui frequentationem peccandi libidinem auget, & ibi tanta peccandi poterit esse libido, quòd illud, quod de natura sua erat veniale, ex libidine illa fieret mortale. V. g. mendacium iocosum de sua natura veniale quidem est: at totiens mentiri iocosè, intantum libidinem mentiendi poterit augere, quod fiat mortale: & ideo de tali debet homo conteri, & pęnitere, nec non pręcauere, ne multiplicetur. & hęc de sectis duobus. Nunc tertiò videndum, quæ sint causæ contritionis inductiuæ: sex enim solent numerari, quarũ prima, & principalis amor Dei: nam quod principaliter hominem retrahere à peccato debet, & si peccauerit, quod corrigat, & se emendet, amor Dei est: & in anima peccatoris sic generatur, quando peccator cogitat, & recognoscit Dei bonitatem, & iustitiam, cui displicet omne malum, & nullo modo aliquod malum impunitũ relinquit, & se multa mala commisisse recogitat, quæ displicent valdè voluntati diuinæ, & propter quæ dignus est puniri, tunc grauiter timet. Insuper quando vlterius cogitat Dei pietatem, & misericordiam, qui paratus est omni dolenti pęnitenti parcere, & culpã remittere, quantumcunque magnam, sperat de venia: & sic ad detestandum peccatum mouetur, & iste motus attritio vocatur, idest quędam imperfecta contritio: & ita Deus, qui nunquam deficit, lumen gratiæ infundit in animam peccatoris, & illo lumine peccator illustratus, in Dei amore calefit, & detestatione peccati, ita quòd seruilis amor pręcedit, & pręparat cor peccatoris ad contritionem: sed amor, & feruor charitatis perficit ipsam. Altera causa est pudor,

siue

siue verecundia de peccatis commissis, quæ quantumcunq; secreta, & occulta sint, Deo tamen manifesta sunt, & aperta: & ideo, nisi peccator de illis conteratur, penitentiamq; agat, ea Deus toti mundo manifestabit: quare homo peccator ad contritionem, & penitentiam mouetur. Tertia causa dicitur esse peccati detestatio, siue abominatio vilitatis eiusdem, tanta enim est vilitas peccati, quòd de filio Dei facit seruum Diaboli. Quarta causa est consideratio de die iudicij, & penis inferni, ad quas euitandas peccator ad contritionē mouetur. Quinta causa est de amissione celestis gloriæ: quando enim peccator cogitat se propter peccatū suum paradisi gloriam perdidisse, non est mirum, si dolet, vt veniam delictorum suorū cōsequi possit. Sexta causa dicitur esse dolor de multiplici offensa creatoris: quando enim peccator cogitat, se Deum offendisse, qui eum creauit de nihilo, & eum sua insigniuit imagine, & redemit suo sanguine, non est mirum, si doleat, & de peccatis his peniteat. vnde beatus Ber. dicebat. Dolor de peccatis debet esse acer, acrior, acerrimus. Acer, quia Deum offendimus creatorem. Acrior, quia offendimus Patrem nostrum, qui pascit nos multipliciter, & gubernat. Acerrimus, quia nostrum offendimus redemptorem, qui nos sanguine suo liberauit à vinculo peccatorum, & crudelitate Demonum, nec non ab acerbitate gehennæ. Doleat ergo peccator de peccatis suis, & speret in Domino, & in pietate, & in misericordia: nam, vt dicit sapiens, qui sperat in Domino saluabitur.

DE

DE CONFESSIONE.
Lectio LXXXVII.

Loquuturi de confessione parte secunda penitentiæ, ne confusio apud nostrum sit aliqua intellectum, tria perpendemus. Confessionis varia significata primò. Insuper descriptiones eiusdem. Tertio necessitatem. quantum ad primum, varia secundum Theologos dicuntur confessionis esse significata. nam D. Aug. primo docet duplicem dari confessionem, laudis scilicet, & fraudis. Confessio laudis est attestatio diuinæ perfectionis, vt cum Deum prędicamus omnipotentem, pium, bonum, misericordem, & iustum. Sic filius confessus est Patrem, & confessio hęc non pęnitentiam semper, sed gratiarum actionem significat, vt in Psal. legitur. Confitemini Domino, idest laudate Dominum, quoniam bonus: quoniam in sęculum misericordia eius. Rursus confitebor tibi Domine in toto corde meo, &c. Hic secundum Scotum notandum, quòd confessione laudis nullus dignè confitetur, nisi prius suscitatus, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Confessio fraudis accusatio dicitur, qua se ipsum peccator accusat: & hęc secundum Scotum dicitur esse accepta Deo in ore peccatoris, hoc est eius, qui adhuc est peccator, dum tamen non sit peccator in voto, seu actu interiore, vel exteriore. est pręterea confessio delicti, quæ fit ad interrogationem iudicis. Insuper datur confessio mentalis, & vocalis. Mentalis illa, quæ soli Deo fit, & hęc est de iure naturæ. vocalis verò illa, quæ fit sacerdoti, & hęc non est de iure naturæ, quæ varijs solet describi modis à Magistris, & ab Augustino primo

sic. Confessio est latentis peccati manifestatio, & (vt idem ait) Confessio dicitur, per quam morbus latens spe veniæ aperitur. vnde, vt Sanctus Bonauentura scribit, peccatum est in anima, quasi Apostema intrinsecum, quòd in confessione rumpitur, et sanies tunc temporis ad exteriora trahitur. Ab alijs communiter confessio sacramentalis finiri in hunc modum solet. Confessio est secreta delinquentis accusatio suorum commissorum peccatorum coram sacerdote iurisdictionem in eum habente spe veniæ consequendæ. & dicitur confessio sacramentalis, quia illa diffinitio non datur de confessione cordis, quæ fit coram Deo in cubiculo cordis: neque de illa, quæ fit in iudicio contentioso, at de ea, quæ fit in foro animæ secreto. & dicitur in finitione secreta ad excludendam confessionem generalem, quæ fit in publico: hęc enim sacramentalis non est, licet ex ea sic cõfitens venialium peccatorum consequi possit remissionem. Dicitur accusatio, quia qui se coram sacerdote excusant, non confitentur, sed magis se laudant, exemplo Pharisęi bona sua annumerantis. Dicitur suorum peccatorum, quia non debet esse accusatio aliorum. Dicitur coram sacerdote ad illam excludendam, quæ fit sodali, quæ licet quandoque sit vtilis, non tamen est sacramentalis. Coram sacerdote, quia in pręsentia, non in absentia, per se ipsum secundum Aug. non per nuncium, vel per Epistolam, quandiu per se ipsum dicere potest. Dicitur iurisdictionem in eum habente, quia si fieret coram alieno, non suo Iudice, sacramentalis non dicitur esse. Dicitur spe veniæ consequendæ, vbi finalis causa tangitur confessionis, quæ est peccatorũ remissio: & hęc de sectis duobus. Superest tertiò rimari confessionis necessitatem ad salutem, quæ intelligi duobus modis

dis

dis habet, scilicet in voto, & in actu: nec id mirum, quia vbi morbus, ibi medicina necessaria: mortaliter ergo peccāti Confessio necessaria, vt qui per peccatū mortuus prius fuerat, vitam animę recipiat. in sequenti multo plura intelligetis, Deo duce, atq; fauente.

QVI CONFITERI TENEANTVR. Lectio LXXXVIII.

ARbitror post ea, quæ dicta sunt in superiori nostro sermone, duo alia addenda fore de confesſione, quorum primum in eorum gratiam, qui teneri dicuntur ad confesſionem. Alterum verò pertinet ad ipsum tempus, quo homo debet confiteri. quò ad primum, omnes Adulti, postquam ad annos discretionis deueniunt, ita quod valeant discernere inter bonum, & malum, semel in anno ex statuto Concilij generalis confiteri tenentur, vt habetur extra de pęnitentia, & re. Ca. omnis vtriusque sexus. & transgresſores illius statuti viuentes ab Ecclesiæ ingressu arceantur, & morientes Christiana careant sepultura. Sed dicetis: ponamus, quod quis inueniatur, qui conscientiam de aliquo mortali peccato non habeat, sed solū de venialibus: An talis confiteri sit obligatus? Responderi potest ad hoc: quod sic, propter vinculum pręcepti, licet non propter vinculum peccati. Rursus dicetis: ponamus, quod quis ita sit circa diuina attentus, vt remorsum conscientiæ de aliquo peccato, nec mortali habeat, nec veniali: an talis teneatur cōfiteri? Responderi ad hoc potest: quod homo, quantumcunque perfectus sit ex gratia Dei, tenetur Ecclesiæ pręceptum

 seruare:

seruare: & ita se confessori suo presentare his verbis. non habeo conscientiam de aliquo peccato, tamen propter Ecclesiæ preceptum me vobis presento: & hec de primo puncto. In altero disputandum est de tempore, quo teneatur homo confiteri. teste enim sapiente, omnia tempus habent. videndum ideo est de tempore, quo facienda confessio: an scilicet statim post perpetrationem peccati, vel vsque ad tempus statutum in decretali possit differri. Ad huius euidẽtiam est sciendũ: nos de confessione duobus modis posse loqui, vel quantum ad propositum interius, vel quantum ad verbum exterius. Si primo modo, videntur ferè communiter omnes Doctores dicere, quod homines tenentur proponere velle confiteri tempore statuto, & primo conteri: quia sine proposito confitendi, & satisfaciendi peccatum in contritione non dimittitur. Alij dicunt: quòd peccator existens in peccato mortali, quando habet discreti, & idonei sacerdotis copiam, & peccati commissi memoriam, suum confiteri debet peccatum. nec videtur obstare decretalis ista, Omnis vtriusq; sexus: quia non dicit illa decretalis, quousq; differenda sit, sed quod non expectetur vltra. Insuper talis decretalis contra negligentes fuit edita, non contra diligentes. cum itaq; hinc inde sint opiniones diuersæ circa presentem materiam, quid dicendum? pro determinatione huius difficultatis, quosdam premittam casus, in quibus tenetur ad confessionem peccato mortali obnoxius in actu. Primus ergo casus secundum Scotum, & alios Doctores, dicitur esse talis. cum imminet iudicium damnationis, vel misericordiæ, vt est in articulo mortis. Secundus casus, quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reuerentia specialis: vt cum vult communi-

care:

care: tunc enim secundum omnes Doctores non sufficit sola contritio ad dignè communicandum, sed sacramentalis requiritur confessio, nisi, ut vult Palud. quando necessitas vrget, & potens absoluere abest. Tertius casus est, cum aggreditur actus arduos, in quibus frequenter, & sepissimè imminet mortis periculum, vt in bello, aut in transitu per loca infidelium, vel latronum, aut nauigatione per aquas periculosas. Insuper quando sua conscientia dictat sibi statim esse confitendum: quia tunc eam deponere tenetur. ex his dicendum: quòd licet non videatur quibusdam statim esse confiteri necessarium; est nihilominus multum congruum iuxta illud sapientis. Non tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. & hęc sufficiant de tempore, quo tenetur homo cõfiteri.

DE CONFESSIONIS QVALITATE. Lectio LXXXIX.

ACturi hodierna die de confessionis qualitate primò: Insuper de eiusdem iteratione: prò intelligentia puncti primi notandum erit: quòd Dauid in secundo Psalmo penitentiali summariè ponit confessionis conditiones, dicens. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei. vbi innuit, quod confessio debet esse premeditata: ideo dicit: dixi, idest in corde meo disposui. Secundo debet esse aperta, non palliata: ideo dicit: confitebor, idest non tacebo: & non palliabo excusando, vel defendendo me. Tertiò debet esse accusatoria:

cusatoria: ideo dicit: aduersum me, idest contra me. Quarto debet esse verecunda: ideo dicit: iniustitias idest peccata, de quibus homo verecundatur. Quinto debet esse propria: ideo dicit: meas, nõ alienas. Sextò debet esse meritoria, nam sequitur, Et tu remisisti impietatem peccati mei. vt autem magis particulariter procedamus notandum erit: quòd confessio debet esse simplex, ita quod nihil admisceatur cum eis, quæ requiruntur ad peccatorum quantitatem. debet etiam humilis esse: nam valde humiliter se debet habere confitens in verbo, & signo. Insuper debet esse pura, idest cum recta intentione facta: & fidelis, idest vera, ita vt nihil falsitatis admisceatur. debet etiam esse frequens: frequenter enim est vtile per pęnitentiam resurgere vlterius. debet esse nuda, idest non inuoluta verborum obscuritate. deinde discreta, idest, quod maius est confiteatur cum maiori pondere. Et libens, idest facta non de necessitate, sed libera voluntate. & verecunda, quòd non sic debet intelligi, quod pęnitens debeat verecundari de confessionis actu, sed de peccatis, quæ confitetur: quòd est contra quosdam, qui in recitando peccata sua, quasi se iactare videntur de seculari aliqua vanitate. Et integra, idest facta sine celatione alicuius peccati, quod confitens tunc habeat in memoria, de quo alias non fuerit legitimè confessus. & hoc etiam dicitur contra diuidentes confessionem pluribus sacerdotibus, dicendo partem vni, & partem alteri. Et secreta, quia ibi agitur de secretis conscientiæ. Et lachrymabilis, lachrymis procedentibus ex peccati dolore. Et accelerata: multum enim est expediens peccatori, vt citò confiteatur, quia abyssus abyssum inuocat, idest vnum peccatum ad aliud inclinat. debet etiam esse fortis,

idest

idest, pęnitens debet esse ita constantis animi in confitendo, vt nihil propter verecundiam pertinens ad suæ conscientiæ purgationem omittat. Et accusans idest pęnitens: ita debet se ipsum accusare, vt in sui excusatione peccatũ suum in alium non torqueat: sicut Adam dixit: mulier, quã dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. debet etiam esse parata parere: pęnitens enim debet esse paratus obedire sacerdoti in susceptione, & expletione pęnitentiæ, quam rationabiliter ei iniungit. ex his conditionibus quędam sunt de necessitate, quędam de congruitate confessionis sacramentalis, & hęc pro primo puncto satis: in altero agendum venit de confessionis iteratione, vbi doctores aliquos videntur ponere casus, in quibus de necessitate salutis iteranda confessio est. Primus est propter sceleris enormitatem. V. g. quando aliquis habet aliquẽ casum, de quo suus non potest eum confessor absoluere, & remittit eum ad superiorem: tunc debet confessionem, quã fecerat inferiori, iterare, vt sciat, quæ pęnitentia sit ei imponenda, nisi fortè superior, quãtum ad casum illum, committeret vices suas inferiori. Secundus casus propter ignorantiam confessoris nescientis imponere pęnitentiam pro peccatis confessis. Tertius casus est propter contemptum satisfactionis, vt quando aliquis fuerit confessus de peccatis suis, & contempsit facere pęnitentiam sibi impositam, & excidit à memoria sua. Quartus casus est propter malitiam fictionis peccatoris, scilicet quando aliquis retinet aliquod mortale peccatum in confessione. & hęc de pollicitis.

DE

DE SATISFACTIONE.
Lectio LXXXX.

ACcedit vltima pars pœnitentiæ exponenda hodierna die, quæ dicitur satisfactio: de qua Gabriel verba faciendo dicit: quòd vno modo generaliter accipitur, & sic à Scoto describitur. Satisfactio est redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti: & dicitur redditio, quia non est absoluta datio. Dicitur voluntaria, quia si esset exacta violenter, non esset satisfactio, sed satispassio. Dicitur æquiualentis, quia satisfactio ad iustitiam commutatiuam pertinet, quæ exigit æqualitatem rei ad rem, tamen prout vtique sapiens determinabit: scilicet per essentiam, qui est Deus peccato offensus, & hoc importat nomen satisfactio. Dicitur etiam alias indebiti, quia si illud quod redditur esset aliàs, idest pro alio debitum, non correspondet illi, sed alteri. Consistit autem talis satisfactio, vt scribit Gabriel pro peccato regulariter magis in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntarijs, quàm in alijs actibus bonis non pœnalibus: culpa enim ordinatur per debitam pœnam: & ideo secundum diuinam iustitiam culpæ debetur pœna, & ita reddendo pœnam debitam pro peccato satisfacit. & dicitur regulariter, quia potest quis quandoque per actum bonum non pœnalem satisfacere pro peccato. nam Deus actum incensum charitatis acceptare potest pro punitione debita vni culpæ, iuxta illud 1. Pet. iiii. Charitas operit multitudinem peccatorum. Secundo modo satisfactio solet accipi strictè, vt distinguitur contra alias partes pœnitentiæ, quam Cortesius, persolutionem vocat, & sic eam describit Scotus.

Satisfactio est operatio exterior laboriosa, seu pęnalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatũ commissum à se, & ad placandam diuinam offensam, vel est passio, aut pęna voluntariè tollerata in ordine ad peccatum, vel peccati remissionem. ordinatur etiam, vt literis mandauit Gabriel ad placationem diuinæ offensæ, ad remissionem pęnæ, ad excisionem radicum peccatorum, & ad restitutionem minus iustè possessorum. & ita, vt patet intuenti ad plura dicitur ordinari, quæ adhuc duplex est, reconcilians, & Deum placans. & de illa dicitur, quod fieri non potest de vno peccato, & non de alio. vnde Aug. impium est à Deo dimidiam sperare veniam. & hęc satisfactio, qua quis satisfacit Deo ex deuotione, & in gratia, meritoria ab aliquibus vocatur. Alia pęna solutiua dicitur, quæ pęnam temporalem soluit, de qua Scotus loquendo ait: ꝙ fieri potest de vno peccato, & non de alio: vt patet in recidiuante, qui implendo iniunctam pęnitentiam post recidiuam satisfacit pro peccato prius dimisso absque satisfactione pro peccato ricidiuè. Secundum autem Aug. satisfactio pęnitentiæ est peccatorum causas excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere. excidere, idest remouere per dolorem, vt scribit Brulefer. & suggestionibus, &c. per quod innuitur firmum propositum de futuro.

Secundum Anselmum satisfacere est honorem debitum Deo impendere pro peccato. diffinitio Augustini respicit recessum à malo. ista verò Anselmi respicit accessum ab bonum. & hęc pro pręsenti.

AN

AN CONTRITIO CONFESSIO, ET SATISFACTIO SINT PARTES PAENITENTIAE.

Lectio LXXXXI.

Circa distinctionem predeclaratam aliquãtulum moraturi, duo quesita proponemus in presenti. quorũ primum: An illa tria numerata, scilicet contritio, confessio, & satisfactio partes penitentiæ dicenda. Insuper: An cõuenienter assignata. quantum ad primum, pro parte negatiua sic arguitur. simplici defectui simplex remedium debetur: at peccatum est simplex defectus, quare simplex debet sufficere remedium: tale penitentia est: non ergo illa tria, scilicet contritio, confessio, & satisfactio partes penitentiæ dicenda. Insuper: si forent partes, aut integrales, aut subiectiuæ: non integrales, quia sic totum non pronunciaretur de parte: at nunciatur, dum dicitur, conteri est penitere, & satisfacere similiter: non ergo integrales partes, neque subiectiuæ, quia in qualibet parte subiectiua totius ratio saluatur sine alia, nam Sortes dicitur perfectè homo dato quod plures in humana specie nõ essent: at perfecta ratio penitentiæ non dicitur saluari in vna sine alijs: ergo. preterea: si essent partes penitentiæ, vel vt virtutis, aut sacramenti: non primum, quia Virtus forma simplex est in anima, & indiuisibilis: non secundum, quia omne sacramentum est sensibile: at contritio non sic, quia habet esse in corde. denique fructus non videtur esse pars eius, cuius est fructus, nam pomum arboris non dicitur pars, sed fructus, & vltimum, quod expectatur: satisfactio non secus vltimum quoddam dicitur: non ergo penitentiæ pars. In

contrarium

contrarium se habet Magister in textu, qui dicebat ad pęnitentiæ perfectionem hęc tria exigi: pęnitentiæ itaque partes censendæ, scilicet, contritio, confessio, & satisfactio. cõtritio attribuitur Patri: quia maximę potentiæ est iustificatio impij: quòd fit per contritionem. Confessio Filio, quia fit per verbum, quod dicitur filius. Satisfactio, quæ pęnitentiæ bonitatem complet, Spiritui sancto, cui bonitas appropriatur. Nunc rationes diluendæ, vt ad alia festinemus completo hoc primo sermone. Dicitur ergo ad primam, quòd non sequitur, si peccatũ sit simplex, quod remedium simplex debeat esse: quia legislator iustè potest multas partiales pęnas statuere, tanquam vnam vindictam integram vni peccato correspondentes. & ita ratio prima de facili ruit. Altera ratio concedenda venit sub hoc sensu, quod pęnitentia, vt totum prędicetur de contritione diuisim, sed non adequatè: at coniunctim de tribus illis partibus adequatè: quare sine istis tribus partibus pęnitentia integra esse minimè dicetur. Tertia ratio concludit: quòd neque sint partes sacramenti pęnitentiæ, neq; pęnitentiæ virtutis, sed tantum actus imperati ab illa virtute: vnde pęnæ concomitantes dicuntur effectus remoti actus pęnitentiæ. Vltima ratio, quãtum ad opus exterius habet concedi: attamen pars eius, quod est puniri, nõ debet negari. Completo primo quęsito, in quo satis clarè patuit, quo modo contritio, confessio, & satisfactio dici debeant pęnitentiæ partes, accipiendo partem pro quocunque, quod requiritur ad pęnitentiam antecedenter, vel consequenter. Nunc speculandum erit: An scilicet hæ tres sint assignatæ conuenienter partes. Mihi sanè, quod nõ, apparet: nam contritio in corde ponitur, & ita ad interiorem dicitur pertinere pęni-

tentiam: Insuper confessio in ore, & satisfactio in opere, quæ duo vltima ad pęnitentiam spectant exteriorem, quæ sola sacramentum dicitur, cum sensui subiaceat: nõ ergo conuenienter hæ sunt assignatæ partes. Pręterea, in sacramentis nouæ legis gratia confertur: at in satisfactione aliqua gratia non confertur: quare nec pęnitentiæ pars censenda. Pro intellectu huius difficultatis secundæ pręmittenda erit illa distinctio de duplici parte, scilicet quantitatis, & essentiæ, vt habetur in quinto Metaphysicæ. exemplum secundi physicè loquendo, vt materia, & forma. Logicè verò, genus, & differentia. Exemplum primi, vt quantitas sacramenti, quæ se tenet ex parte materiæ: vnde superius dictum fuit: sacramenta consistere in rebus, & verbis. His ita pręmissis, de facili ruent rationes: nã prima currit essentialiter loquendo de contritione, siue secundum suam essentiam; habet enim hoc modo in corde esse, nec non dicitur pertinere ad pęnitentiam interiorẽ: at virtualiter ad exteriorem, inquantum implicat confitendi propositum, & satisfaciendi: altera ratio debet negari: quia satisfactio duobus modis potest considerari: vno modo in proposito, alio modo in executione: quibus duobus modis gratiam dicitur conferre nobis: primo scilicet, vt est in proposito: secundo in executione auget eam. In conferendo ergo, & in augendo nobis gratiam dicitur conferre, & hęc pro pręsenti lectione.

AN

AN VENIALE PECCATVM SINE MORTALI POSSIT REMITTI.
Lectio LXXXXII.

ADhuc duo alia quęsita percurrenda erunt, deinde ad subsequentem properabimus distinctionem. Solet ergo quæri primo: An veniale peccatũ sine mortali possit remitti. Insuper: An ludi: spectacula: militia: & negotia pęnitentiam impedire valeant. quantum ad primum, pro parte affirmatiua sic arguitur. Peccata quæ non sunt nexa adinuicem sic se habent, quòd, vnum sine alio dimitti potest: at veniale, & mortale sic se habent: ergo veniale sine peccato mortali poterit remitti. Insuper veniali finita pęna debetur, & mortali infinita: at illam homo in mortali peccato existens soluere potest: igitur veniale poterit remitti sine mortali. Pro intellectu huius quęstionis est sciendum: peccata connexionem non habentia ita se habere: quòd vnum sine altero possit condonari: quo state ad argumenta formata difficile non erit respondere. Dicamus igitur ad primum: quod veniale possit remitti sine mortali ratione prędicta. Ad secundum non secus respondendum: nam veniale peccatũ charitatis feruori opponitur solum, & mortale formaliter charitati: quare veniale sine mortali poterit dimitti. paucis sic enodata questione prima verbis: nũc circa secũdã versandum: vbi videndum: An ludi: spectacula, & huiusmodi impedire pęnitẽtiam valeant. mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quod nõ: primo de ludo: quia illud, in quo virtus cõsistere, potest, non impedit: at in ludo virtus cõsistit, vt tertio Ethicorum

dicitur: igitur ludus pęnitētiam minimè impedit. Pręterea: multa dantur alia peccata spectaculis grauiora, quæ pęnitentiam non impediunt: igitur nec pręnominata impedimenta ponenda. insuper illa, sine quibus Respublica conseruari nequit, operum pęnitentiæ impedimenta dici non debent: at sine negociatione, & militia cōseruari non potest, quia per militiam hostes Rempub. impedientes comprimuntur, & per negociationem necessaria procurantur: huiusmodi ergo non videntur impedire posse pęnitentiam. In contrarium se habet Magister in textu, nec non Greg. ergo. Pro dilucidatione itaque huius quęstionis secundæ est dicendum: aliqua vitanda esse à verè pęnitentibus de necessitate: aliqua verò de cōgruitate. illa sunt de necessitate vitanda, quæ mortale peccatum includunt. illa verò de congruitate, quæ sunt occasiones peccatorum. Pręterea, de ludis est distinguendum: nam quidam de se turpitudinem & culpam habent, vti ludi, qui à viris, & mulieribus agebantur in theatris ad luxuriam prouocantes. Alij sunt procedentes ex gaudio deuotionis, sicut fit, quando cum organis vnus dicitur versus Sequentiæ, & à choro alius. Alij sunt mediocres de se nullam turpitudinem habentes, quos Philosophus liberales vocat: & in his quis potest inueniri modus virtutis, seruatis tamen debitis circonstantijs. Circa spectacula similiter distinguendum, quia quędam sunt rerum turpium, & ad peccatum prouocantium, sicut inspectio ludorum theatralium. Alia verò sunt rerum ad deuotionem incitantium, vt inspectio historiæ passionis Christi, & Sanctorum. Alia sunt spectacula media, à quibus pęnitens plus se debet temperare. De militia autem, & negociatione, & cęteris

officijs,

officijs, quæ de propinquo habent peccatum annexum, sciẽdum est: quod si penitens à talibus vult abstinere, laudabile est: si autem nõ vult sufficit vitare peccata ipsis annexa. Per hęc responsio ad argumenta omnia patet, pręter quam ad secundum: ad quod dicendum: quod spectacula prohibentur pęnitentibus: aut quia sunt peccata, aut occasiones peccatorum: vel quia magis quàm alia distrahunt animum, quem debet homo habere collectum in Deum. Et hęc de pollitіcis.

TRIA PROPONVNTVR QVAERENDA.
Distinctio 17.
Lectio LXXXXIII.

VErsaturi in pręsentia circa decimam septimam in ordine huius libri quarti distinctionem, de continuatione primo verba faciemus: Insuper ad diuisionem properabimus. Quantum ad primum: videtur, quod hęc distinctio cum superiori habeat continuari in hunc modum: ex quo .n. Magister de pęnitentiæ partibus determinauit: nunc consequens est, circa determinata quęstiones tres mouere incidentes: iuxta quas diuidi hẽt p̃sens distinctio. nos circa primam versaturi, in ordine quinq; ponderabimus. propositionem primò. quęstionem vnam secundò. tres opiniones circa quęstionem primam tertiò. quęstionis determinationem quartò. concludemus quintò. circa primum, hęc pręmittenda venit propositio. in cordis vera contritione peccatum à Deo dimittitur, si votũ confitendi, & satisfaciendi firmiter concipitur.

cipitur. ad hanc insinuendam dubitat loco secundo Magister sent. An ad peccati remissionem confessio oris, & satisfactio operis: vel sola contritio sine his sufficiat. circa hoc tertio sunt tangendæ tres loco opiniones. quidam enim dixerunt contritionem sine confessione sufficere: ad quod confirmandum plures adducunt authoritates, per quas nituntur ostendere, quod solum propositum confitẽdi, & interior cordis gemitus ad peccati deletionem sufficiant. Unde, & leprosi mundati sunt, quãdo ostenderunt se Sacerdotibus. Insuper Lazarus prius suscitatus interius, quàm foras prodijt. Quidam uerò alij fatentur confessionem necessariam, nec sine ipsa peccatum dimitti, si adsit tempus illam faciendi. quidam alij sunt opinati, quod sine solutione alicuius pęnæ remissio queat fieri. his quarto quęstionis addenda venit determinatio loco: quæ est: quod sine exteriori confessione, & pęnæ solutione peccata deleantur per contritionem, & humilitatem cordis, & confitendi propositum, dummodo contemptus confitendi exterius, & satisfaciendi non adsit. at vbi facultas adest, proculdubio necessaria dicitur esse confessio, & satisfactio. authoritates autem supradictę ad cordis contritionem, & interiorem pęnitentiam referendæ. hinc dicẽdum: quod sicut peccati remissio donum Dei est: ita pęnitentia, & confessio, per quam peccatum deletur à Deo est. quare vltimò, vt tota concludatur determinatio, erit dicendum, quod antequam fuerit confessio in ore, si votum sit confessionis in corde, tunc peccatorum sequatur remissio. nec ob id confessionis necessitas secludenda, si tempus adsit: alioquin claues Ecclesiæ frustra viderẽtur institutæ, nec peccatori cõtrito daretur culpæ remissio. In sequenti

alias

alias duas huius distinctionis partes percipietis. hęc pro tanto dicta sint à nobis.

SI SOLI DEO CONFITERI SVFFICIT. TEX. Lectio LXXXXIIII.

Diuidebatur presens. Distinctio in segmenta tria: quorum primum hactenus explanauimus: alia verò duo in presenti explicanda supersunt: quæ in septem puncta principalia subdiuidi possunt. In quorum primo ponitur quesitum. In altero pars affirmatiua. In tertio negatiua. In quarto noua questio. In quinto pars negatiua. In sexto vnum notandum. In vltimo quarundam authoritatum verus intellectus. Quantum spectat ad primum, queritur: An soli Deo, & non sacerdoti confiteri sufficiat: vel etiam sacerdoti confiteri sit necessarium. Dubio proposito in primo puncto: superest secundo quasdã pro parte affirmatiua authoritates in medium afferre: quarum prima ipsius Psal. ita dicentis. Dixi cõfitebor Domino, & tu rem, &c. soli ergo Deo cõfessio facienda. preterea Ambr. loquens de Petro dixit: lachrymas eius lego, satisfactionẽ non lego: sufficit ergo soli Deo facta confessio. R*ursus Ioannes Chrysostomus. non tibi dico, vt te prodas in publicũ, neq; apud alios te accuses: sed obedire te volo prophetæ dicenti, reuela Deo vitam tuam. ante Deum ergo tua confitere peccata: apud verum Iudicem cum oratione, delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera, te misericordiam posse consequi. post partem affirmatiuam subsequitur negatiua tertio*

loco

loco videnda, quæ est: quod præter confessionem Deo factam oporteat confessionē facere sacerdoti, si adsit facultas. nam satisfactionis modus, & peccatorum reconciliatio ad Ecclesiæ ministros pertinent, quæ fieri nequeunt sine confessione, & erubescentia, quæ est in peccatorum confessione, & ad eorundem operatur remissionem. vnde leprosis fuit dictum, vt ora sua ostenderent sacerdotibus. Sacerdoti ergo facienda confessio, & non soli Deo, cui honor quidem, & gloria sit semper in secula: quia claues ligandi in terra, atq; soluendi nobis ministris tradidit. His quarto loco dubium de cōfessione addendū. solet enim quæri: An Confessio possit, vel fieri debeat laico. mihi sanè (vt partem tueamur negatiuam) quinto loco videtur esse dicendum, quod non. nam laico non est authoritas absoluendi concessa, sed sacerdoti: quare non laico, sed discreto sacerdoti facienda confessio. vnde Aug. dicit: qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem, qui sciat ligare, & soluere: ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quā stultus euitare noluit. Hic sexto nobis notandū datur loco inseruiens proposito: nam inquit Beda: leuia peccata socijs publicari posse, etiam si adsit copia sacerdotis: dummodo ex contemptu non prætermittatur sacerdos: grauiora autem sacerdoti confitenda. At Magistro videtur tutius esse, nec non perfectius, simul leuia, & grauia sacerdotibus confiteri peccata, quibus concessa soluendi, atq; ligandi fuit potestas. tandem, vt claudatur hęc distinctio vltimo loco quarundam præmissarum authoritatum intelligentia danda. dum ergo audietis Chry. dicentem: peccatorem in publicum non se debere

prodere

prodere, hoc ita intelligendum: quod non expediat coram multis hominibus suum publicare peccatum: sed sacerdoti tantum. ad illud verò Ambr. dicentis: lachrymas lauare delictum; hoc habet intelligi, si confessio saltem soli sacerdoti facta sit: & si non fiat publica confessio criminis. quod autem dicit, se lachrymas Petri legisse, non confessionem: ad hoc potest dici: quod ob id non excluditur confessio: multa enim sunt facta, quæ tamen non sunt scripta: vel forte nondum erat confessio instituta. quod autem Prosper inquit: quod sufficit, quod aliqui se ipsos puniant: intelligendum est hoc sine confessione publica: at non propter hoc excluditur confessio priuata, quæ sacerdoti fieri debet. quare tenendum: quod sine confessione peccatum non remittatur, si facultas adsit. necessaria itaq; confessio, quia pars pęnitentiæ est: insuper quia per confessionem sacerdos intelligit, qualiter debeat de peccato iudicare. deinde, quia per confessionem redditur peccator humilior, & cautior. & hęc de tota distinctione.

DE IMPII IVSTIFICATIONE. Lectio LXXXXV.

CVM multa dixerit Magister Sent. in prędeclarata distinctione de confessione, atque de contritione: quibus impius iustificari dicitur. Nunc meritò nobis propositum est, de impij iustificatione loqui. circa quam quidditas primo consideranda: insuper integritatis exigentia: tertio ordo concurrentiũ ad huiusmodi impij iustificationem. quantum ad primum: impij*

iustificatio idem esse dicitur, quod criminis remissio. vel sic. iustificatio est transmutatio de statu culpæ ad statum gratiæ. ab alijs dicitur sanatio mentis, vel cordis. Quot autem ad impij iustificationem requirantur, in hoc puncto secundo speculandum. Nā quatuor esse ponuntur. Infusio gratiæ: assensio animæ: compunctio culpæ: tandem remissio offensæ. An infusio gratiæ requiratur, audite: si enim culpa commissa contra Deum tollenda, cum ipsa natura se ipsa hoc nequeat: gratiæ igitur infusio necessaria erit. Insuper nulli peccatum dimittitur sine charitate, quæ vniuersa operit delicta: sed sine Dei gratia haberi non potest: quare ad impij iustificationem necessaria gratiæ infusio erit. assensio quoque animæ ad iustificationem requiritur. nam qui iustificari desiderat, oportet, quod in infusione diuinæ gratiæ acquiescat. Quia nisi p assensum, desiderium, & conatum acquiescat, nunquam gratia infundetur: eo quia talis tanquam inuitus, & inuoluntarius est indispositus. Hoc idem Augustini authoritate confirmari habet: qui ita dicit: qui creauit te sine te preueniente, non iustificabit te sine te, scilicet consentiente, & peccatum detestante, quantum in te est. Preterea: hoc idem bene fateri videtur dum inquit: donum diuinæ gratiæ absque consensu recipientis esse non posse. Rursus hec veritas confirmari à simili potest: vt enim ille, qui oculum clausum tenet, naturale lumen vel sensibile recipere non valet: ita ille, qui non se preparat, vel disponit ad gratiam, quod in se est faciendo, spirituale lumen, diuinæ scilicet gratiæ, in se recipere minimè potest: & ideo nec iustificari. infusio itaque gratiæ ad iustificationem impij necessaria primo, deinceps animæ assensio. Tertio culpæ displicentia, siue com-

punctio,

punctio, vel culpæ contritio requiritur ad hoc, quod peccator iustificetur. vnde apud Psal. dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & contritus est sacrificium, quo peccata soluuntur. Quarto & vltimo ad impij iustificationem culpæ, vel offensæ remissio requiritur: & hoc per rationem à iustificatione desumptā probatur: nam dicitur iustificatio transmutatio quędam de statu culpæ ad statum gratiæ, vel iustitiæ. In motu autem tria requiruntur: primum est motio mouentis; Secundum est motio mobilis. Tertium est consecutio finis. Ita in iustificatione impij tria sunt. Infusio gratiæ primò. assensio animæ secundò. contritio vel compunctio culpæ, ex qua sequitur remissio offensæ tertiò, & hęc de punctis duobus. In tertio quem ordinem teneant prędicta quatuor ad impij iustificationem cōcurrentia speculandum. Nam, vt intuenti patet, ordine temporis simul esse dicuntur; ex parte verò peccatoris iustificati, prius est culpæ remissio, quam gratiæ infusio: at ex parte Dei iustificantis e conuersò, quia prius est gratiæ infusio, quam culpæ remissio. vnde inter opera Dei iustificatio impij operatio maxima dicitur ex parte facti: licet creatio Dei sit opus maximum ex parte modi agendi. iusti verò glorificatio maius opus Dei, quam sit peccatorum iustificatio ex parte doni: nam maius est donum gloriæ, quam gratiæ. & hęc pro pręsenti lectione.

AN CONCVRRENTIA AD IMPII IVSTIFICATIONEM SIMVL, ETC.

Lectio LXXXXVI.

CIrca distinctionem presentem versaturi duo maximè principalia inquiremus; & primo: An concurrentia ad impij iustificationem simul sint: vel ordinem habeant, quo vnum aliud precedat. Insuper: An ante confessionem, & satisfactionem in contritione culpa remittatur. Quantum attinet ad primum: mihi videtur esse dicendum, quod sic. Nam huiusmodi sunt in eodem instanti; simul ergo. Antecedens patet: quia impij iustificatio fit per gratiam: at gratia infunditur in instanti: concurrentia itaque ad impij iustificationem simul esse dicentur in eodem instanti. Preterea: ad impij iustificationem ex parte hominis nisi contritio requiritur: & ex parte Dei gratiæ infusio: at nō est vera cōtritio, nisi sit gratia formata: sed gratia peccatori minimè datur, nisi contritus sit: quare huiusmodi ad impij iustificationem simul. ex alio latere cum ad iustificationem motus liberi arbitrij requiratur in detestationem peccati, nec non in dilectionem Dei, quæ frequenter gratiæ infusionem, & peccati remissionem precedunt: nō video, quo modo predicta simul esse dici debeant. Pro determinatione huius difficultatis primæ: supposito, quid sit iustificatio, quæ nil aliud est, quàm peccatorum remissio: quæ effectiuè est à Deo: à gratia verò formaliter: à fide, & charitate habitualiter, siue in habitu: & à mandatis Dei in vsu, siue in exercitatione diuinæ iustitie: consequenter secundò erit sciendum: ad impij iust.ficatio-

nem

nem ex parte peccatoris requiri peccati detestationem. Nam actus actiuorum non dicuntur esse, nisi in patiente bene disposito. His tertio ad impij iustificationem concurrentia maximè addenda duo: quorum vnum dispositionẽ peccatoris respicit: alterum verò gratiæ infusionem. Si de primo loquamur, nulli dubium, quin ordine naturæ dispositio, & tempore precedat. At disposita materia, in illa vltima dispositione agens supernaturale Deus, qui in instanti operatur, simul gratiam infundit, & culpam dimittit. Concurrentia ergo ad impij iustificationem simul sic: & non, esse dicentur. Nunc argumenta diluenda, & erit finis. ad illa duo prima igitur argumenta responsio patet: solum enim probant: quod ad iustificationem concurrentia, vt contritio, & gratiæ infusio simul sunt, quod iam fuit concessum. Argumentum verò in oppositum de motu liberi arbitrij dicitur: frequenter gratie infusionem precedere: maximè, quando peccati detestatio est insufficiens. Enodata iam questione prima: altera de contritione subsequitur, dum queritur de eius efficacia. Mihi etenim videtur: quod ante confessionem, & satisfactionem culpa in contritione nõ remittatur: quia vnum peccatum sine alio dimitti minimè potest: sed oportet, quod omnia simul dimittantur: at simul de pluribus peccatis nullus conteri potest: igitur in contritione plura non dimittentur peccata, neq; vnum tantũ, cum nequeat sine alio dimitti. Preterea: vt absolutio confitentis ad culpæ dimisionem ordinatur, vt patet ex forma absolutionis, ita satisfactio ad pene expiationem ordinatur: at in contritione ante satisfactionem non videtur pena expiari: igitur neque culpa ante confessionẽ. In oppositum se habet glosa sup illud Psal. Sacrificium

Deo

Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, &c. vbi dicit: quod contritio cordis est sacrificium, in quo peccata soluuntur. Pro determinatione igitur huius difficultatis secundæ duo premittenda: quorum primum, quid sit contritio. Alterum est: An culpa in contritione condonetur. Quo ad primum: contritio, vt alias dictum est: dolor est de peccatis voluntariè acceptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Ad cuius intellectum est sciendum: quod dupliciter dolor accipitur: vno modo pro displicentia voluntatis: alio modo pro passione sensitiuæ partis: quo secundo modo hic minimè sumitur, sed primo. quātum ad secundum est dicendum: peccatum ante actualem confessionem dimitti: si tamen in ipsa contritione adsit propositum confitendi, & satisfaciendi, alias non esset vera contritio. Nunc formatæ rationes diluendæ, deinde sermonem claudemus præsentem. quantum ergo pertinet ad primam dici potest: contritionem duobus considerari posse modis. vno modo, quātum ad sui principium: alio modo, quo ad sui terminum. voco contritionis principium cogitationem, qua quis cogitat sigillatim de peccatis, & dolet (& si non dolore perfecto.) terminus autem contritionis est, quando ille dolor perficitur, & gratia informatur: & iste dolor simul de omnibus sigillatim dicitur cogitatis. cum ergo ab aduersarijs dicitur: quod nullus simul conteri potest: hoc negandum: licet enim contritio, quātum ad sui initium specialem exigat distinctionem de singulis peccatis: attamen, quo ad sui cōsumnationem, & terminum vna dicitur esse generalis: in qua peccata omnia dimittuntur. Ad secundam rationē breui Respondetur: quod in contritione non solum culpa dimittatur:

tatur: sed aliquid de pena: vt suo loco patebit.

DE CONTRITIONE QVAESITA DVO. Lectio LXXXXVII.

QVoniam in calce superioris nostræ lectionis mentio facta fuit de pena: iccirco hodierna die duo quesita proponemus: querentes primo. An per contritionem aliquid de pena culpæ, seu peccato debita dimittatur. Insuper. An contritionis dolor debeat esse maximus. quantum ad primum: pro parte negatiua primo sic arguitur. vt euenit in humana iustitia, ita in diuina: quia humana dicitur ad instar diuinæ: at in humana nihil de pena dimittitur peccato debita, licet homicida penitentiam agat de suo peccato: igitur neque in contritione per peccati displicentiam aliquid de pena peccato debita dimittetur. Preterea: ad perfectam penitentiam requiritur contritio, confessio, & satisfactio: sed si per contritionem pena dimitteretur, tunc satisfactio locum non haberet: non igitur in contritione videtur, posse peccato debita pena dimitti. ex alio latere si non sic: tunc habens contritionem de suis peccatis gaudere minime posset: at oppositum euenit, pena ergo per contritionem quod dimittatur non negandum. Pro determinatione huius quesiti est sciendum: aliam non contrito peccatori penam deberi, & aliam ipsi contrito. Nam non contrito inferni pæna debetur, quæ perpetua est, iuxta illud Matthei. Ibunt hi in supplicium æternum. contrito autem temporalis pena secundum illud Matthei iiii. pænitentiam agite, &c. Insuper notandum: quod in vera

contritione

contritione simpliciter, & absolutè loquendo totaliter pęna non dimittetur: sed commutatur in temporalem, de qua pręsens quęstio procedit. His ita pręmissis, nunc ad rationes quid dicendum accedite: nam duobus primæ possum respondere rationi modis. primo similitudinem negando de Iustitia humana collata ad diuinam: & ratio est: quia peccatorum condonatio magis misericordiæ dicitur opus esse, quā iustitiæ: vel aliter dicendum: quod Princeps mortis pęnam alicui propter peccatū debitam relaxare possit, vel in aliam commutare, vti nos in proposito loquimur. Altera ratio curreret, si tota pęna in contritione dimitteretur: at quia nemini hoc potest constare, scilicet de dimissione totalis pęnæ, propterea satisfactio dicitur locum habere in confessione. declarato primo quęsito, solet quęri secundo. An contritionis dolor maximus debeat esse. Mihi (vt quibusdam faueam) videtur esse dicendum, quod non: quia quandoque contritus non tantum lachrymatur pro peccatis, sicut pro morte amici, vel pro lesione aliqua corporali: ergo. Pręterea: ille dolor, quo modo maximus, cum gaudij admixtionem habeat? at hoc euenit in contritione: non ergo, &c. ex alio latere dolor contritionis de malo est: igitur de maiori malo dolor debet esse maior: at peccatum maius malum est temporali quocunque: contritionis itaque dolor maior quocunque alio dolore. Pro dilucidatione huius quęstionis secundæ est sciendum: contritionis dolorem duplicem esse. quorum vnus displicentia voluntatis dicitur, in quo essentialiter consistit ipsa contritio. Alius est sensitiuæ partis, qui effectus vocatur contritionis, vt lachrymæ, &c. Insuper notandum: quod dolor contritionis primo modo captus ad duo comparari

parari potest: vel ad dolorem, qui de alijs rebus habetur: vel ad dolorem de vno peccato ad dolorem contritionis de alio peccato. si primo modo debet dici maior eis: cuius ratio ab Augustino assignatur dicente: quod dolor in amore fundatur: ex hoc enim, quod aliquid amamus, de eius amissione dolemus. Hinc de peccato commisso dolore ingenti afficimur, quia à Deo summo bono separamur. si verò dolor contritionis de vno peccato comparetur ad dolorem contritionis de alio: sic quilibet dolor maximus esse debet: sed sicut vnum peccatum grauius altero datur: ita dolor vnius cōtritionis maior dicetur dolore contritionis alterius: quamuis omnia peccata mortalia ęquè grauia sint, inquantum nos gratia priuant: quędam nihilominus grauiora dicuntur, inquantum pęnam maiorem, siue ampliore mmerentur. His ita positis, de facili argumentá ruent. Nam primum de lachrymante non primo habet concedi, sed secundario: quia immediatè, & per se lachrymæ tristitiæ effectus contritionis doloris esse dicuntur: secundario verò doloris sensibilis. Secundum argumentum de gaudio admixto contritioni non dimminuit, nec tollit dolorem, immò auget spe veniæ: quare cum tale gaudium non sit maximum, propterea argumentum formatum fuit nullum. & hęc de pollicitis duobus.

AN CONFESSIO AD SALVTEM NECESSARIA.
Lectio LXXXXVIII.

E*Xactissimè, quæ de cōtritione dicenda erant pertractauimus hucusq; Nobilis. Audit. Superest modo consequēter duo ad*

confessionem pertinentia hodierna die quęsita proponere. quorum primum est de necessitate confessionis: nam solet quęri. An ad salutem sit ipsa necessaria. Insuper. An peccator post peccatū statim conteri, ac confiteri habita sacerdotis copia teneatur. quantum ad primum pro parte negatiua sic arguitur. Deus homini salutem potest conferre: non igitur necessaria confessio. Assumptum patet: quia suam Deus sacramentis minimè potentiam alligauit. Insuper Ecclesia potest quem dispensare, ne confiteatur: non igitur necessaria. Pręterea: Magdalena, & Petrus, qui peccarunt saluati sunt, nec ob id inuenitur, quod sacramentaliter sua sint peccata confessi: igitur ad salutem non videtur necessaria esse. In oppositum se habet Boetius; qui libro de cōsolatione ait: si medicinā expectas, oportet, quod detegatur vulnus. At hominum vulnus est peccatum, pro salute ergo acquirenda, confessio vt necessaria facienda. Pro determinatione huius questionis prima duo videnda. Primum est: An confessio sacramentalis ad salutem sit necessaria. Insuper. An quis per Ecclesiam dispensari possit, ne confiteri teneatur. quātum ad primum breuibus dicitur: necessariam esse confessionem ad salutem acquirendam habita copia sacerdotis: cuius ratio est, quia omne remedium contra culpam ordinatum, cum qua minimè stat gratia de salutis necessitate est: at confessio sic se habet: ergo. quātum ad secundum dici potest: quod nullus possit dispensare, quin ille, qui mortaliter peccauit, suū confiteri teneatur peccatum. Nec id mirum, quia Pontifex, & omnes eo inferiores solum ministri sunt, & dispensatores sacramentorum institutorum per Christum, secundum illud Pri. Cor. iiii. Sic nos existimet homo, vt mini-

stros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. At minister legem institutam per legislatorem tollere non potest: ergo. Nunc ad argumenta Respondendum, & primo ad primum, quod concludit verum, loquendo de Dei potentia absoluta: at de ordinaria aliter dicendum. Ad secundum antecedens negatur ratione iam tacta in corpore quęsiti. Ad tertium potest dici: quod Magdalena, & Petrus non post Christi passionem peccauerunt: & ideo non ad confessionem tenebantur: vel sic: quod Christus, qui excellentiæ habuit potestatem, eis effectum sacramenti sine sacramēto dare potuerit, & de facto dederit. Explicata prima de propositis duabus quęstione: sequitur altera de peccatore. An scilicet statim post patratum peccatum conteri, ac confiteri teneatur habita sacerdotis copia. Mihi prima fronte, quod sic, videtur. Illud enim, quod sine termino debetur, dicitur deberi statim: at peccator, vbi peccauit, conteri, ac confiteri debet: nec est aliquis ad hoc certus terminus positus: igitur statim confiteri tenetur. Preterea: in sacramentis contemptus mortale peccatum est, vt Hugo de sancto Victore fatetur, & alij omnes: ergo mortaliter ille peccabit, qui non statim post peccatum conteretur, atq; confitebitur. In oppositum videtur se habere illud, quod in decretali omnis vtriusque sexus habetur. vbi preceptum ponitur de Confessione, & de Eucharistiæ perceptione: at qui ante Pascha non cũmunicat mortaliter non peccat: ergo, &c. Pro determinatione huius quęstionis secundæ est sciendum: aliquem ad contritionem teneri posse dupliciter. vno modo sub conditione: si velit esse in statu gratiæ, & salutis, & hoc modo non est dubium, quin peccator statim post peccatum conteri te-

neatur: quia sine contritione in statu salutis, & gratiæ non potest esse, & ideo qua ratione vult secundum: eadem ratione oportet, eum velle primum. Alio modo potest intelligi, aliquem teneri ad contritionem ex præcepto, ita quod, nisi cõteratur, peccat mortaliter tanquam præcepti transgressor, & hoc modo peccator regulariter non videtur teneri statim post peccatum conteri. De confessione autem actuali dicendum est: quod ad eam faciendam statim absolutè nullus obligetur. At tempore, quo imminet necessitas, confessio non dimittenda, licet præceptum de confessione affirmatiuum sit, & non obliget nisi pro tempore. talis autem necessitas in casibus quinque consistit. Primus est: quãdo homo Eucharistiam recipere habet, quia nullus quantumcunq; contritus sacerdotis copiam habens, absque confessione hoc sacramentum recipere debet. Secundus casus à primo dependet, & est Ecclesiæ statutum, siue præceptum: præcipit enim: quod Confessio vltra Pascha non differatur. Tertius est propter mortis periculum. Quartus casus, cum aliquis peccatum habeat, à quo nequeat absolui, nisi à superiore præsente. Quintus: quando quis ex scrupulo conscientiæ arbitratur, se teneri ad confitendum statim. His ita positis, ad argumenta nunc Respondendum, & ad primum primo sic. quod illud, quod sine termino debetur, statim debetur: confessio autem sacramentalis sine termino non debetur: quia quamuis ex sacramenti natura nõ sit præfixus certus aliquis terminus: nec etiam ex Christi præcepto: tamen generalis terminus dicitur præfixus, videlicet tempus vitæ præsentis, intra quem terminum peccator confiteri potest: nec dicitur astringi ad terminum aliquem certum, nisi in prænominatis

casibus.

casibus. Ad secundum dicitur: quod Hugo loquitur de illo, qui sine sacramento decedit de presenti vita: qui excusari minime potest à cōtemptu, nisi necessitatis articulus eũ excuset. & hęc pro p̄sẽnti.

AN SACERDOTI CONFESSIO, VEL ALTERI FACIENDA?

Lectio LXXXXIX.

DVo alia ad confessionem spectantia adhuc in presentia inquirenda nobis sese offerunt: quorum primum. An sacerdoti de necessitate confessio facienda, vel alteri. Insuper. An proprio sacerdoti, & non alij, etiam priuilegium, vel mandatum habenti. quo ad primũ: mihi videtur esse dicendum, quod sufficiat confiteri non sacerdoti. Nam confessio promulgata fuit à beato Iacobo sub his verbis. Confitemini alterutrum peccata vestra: cuilibet ergo fieri poterit confessio. Preterea: Ecclesiarum Rectoribus est preceptum, vt vultum pecorum suorum agnoscant: at quandoq; Rector nō est sacerdos: igitur confessio non sacerdoti poterit fieri. In oppositum dicetis vos: in veteri lege iudicium discernendi lepram à lepra cur ergo solis sacerdotibus datum? videtur ergo: quod confessionis iudicium ad solos pertineat sacerdotes. Pro determinatione huius quęsiti, scire debetis: quod confitens, vel copiam sacerdotis habet: vel non: si habet, tenetur de necessitate maximè in casibus superius positis confiteri. Si autem sacerdotis copia careat: tunc, dicunt quidam, quod laico cōfiteri teneatur, & hoc in signum humilitatis, nec non verecundię peccatorum suorum:

rum: quæ verecundia pars satisfactionis est maxima. Sed istud non videtur necessarium: quia cessante principali, cessat quoque accessorium: sed Confesfio principaliter fit propter absolutionem: quare si copia sacerdotis desit, tunc temporis pęnitens dicitur ab obligatione confesfionis absolutus: nõ ergo laico confessio facienda, nisi ex sola humilitate, vel ad habendum consilium, vel ad verecundandum propter Deum, quibus modis, tunc id vtile foret. His ita positis, ad formata argumenta, quid dicendum, audite. Primum enim ex suppositione diuinæ institutionis venit intelligendum: per quam confessio sacramentalis solis sacerdotibus facienda, quibus Christus potestatem dimittendi peccata dedit: vt patet Ioannis xx. quo supposito Iacobus confesfionem eis faciendam monuit. Ad secundum argumentum dicitur: curatum vultum subditi sui dupliciter cognoscere debere. vno modo quantum ad exteriorem conuersationem: An peccator sit notorius, an non. quantum cognitionem potest habere Rector non sacerdos. Alio modo quantum ad interiorem conscientiam in sacramento confessionis: quam solus debet habere sacerdos. & hęc de formatis rationibus. solet queri secundo. An proprio debeat fieri sacerdoti confessio, & non alij priuilegium, vel mandatam habenti. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum: quod proprio sacerdoti, si vultum subditi debeat cognoscere sui. Insuper ad idem glosa ordinaria Bernardi super illo capitulo Omnis vtriusque sexus. Expresfè dicit: quod prędicatores, & minores per priuilegium sibi concessum non possunt absoluere sine licentia parochialium sacerdotum: ergo. In contrarium sic arguitur: quia quicquid potestas potest inferior, nec non maximè

superior.

superior. Sed de licentia Episcopi potest sacerdos, audire confessiones: ergo à fortiori de licentia Papæ, vel de priuilegio sine curati licentia, quis poterit eius subditum audire. Pro determinatione huius quæsiti est primo sciendum: quod totius suæ diocesis ordinarius est Episcopus: qui potest in toto suo Episcopatu officium tale committere omnibus alijs puta sacerdotibus Secularibus, nec non Regularibus, immò, & monachis, quamuis hoc quidam negare videantur propter multa iura, quæ habentur. Si ergo hoc Episcopus potest, quanto magis Pontifex id poterit. Cum ergo isti, qui ex priuilegio prędicant, & confessiones audiunt, sicut Vicarij D. Papæ, & Episcoporum, eis confessi, non iterum tenentur confiteri sacerdoti suo Parochiali, quia tales sunt, quasi quidam particulares pęnitentiarij. Nec illud obstat dictum in illa decretali vtriusq; sexus: loquitur enim de sacerdote proprio, vt proprium diuiditur contra commune. vnde iste sensus est: quod confiteatur proprio sacerdoti, idest non alieno. His ita positis, Nunc ad rationes formatas respondendum, & primo ad primam: concedatur ergo ex ordine semel in anno, aliter non. Altera ratio ruit: quia summorum Pontificum glosa interprętationes minimè vidit: vel si sic: forsitan suam sequi voluit hac in parte opinionem. Nisi igitur aliquid obstet in contrarium, habenti mandatum, vel priuilegium confessio fieri poterit.

AN

AN CONFITENS, SED NON PAENITENS ECCLESIAE, PRAECEPTVM IMPLEAT?

Lectio C.

Tandem, finem vt imponamus pręmissæ distinctioni, quęstiones duas animaduersione dignas proponemus in præsenti: quorum prima. An Ecclesiæ pręceptum de confitendo semel in anno, confitens, & non pęnitens, implere dicatur. Altera est. An vni integraliter sit facienda confessio. Circa primum, vt versemur, pro parte affirmatiua sic primo arguemus. Statutum de confitendo semel in anno pęnale est, & ideo vltra quam sonent verba non se debet extendere: quare confitens, & non pęnitens, dicetur pręceptum Ecclesiæ implere. Insuper Ecclesia mandat, confessionem impenitentis recipi, vt habetur extra de pęnitentia, & remissione: Ecclesiæ igitur pręceptum à confitente, & non pęnitente impletur. Ex alio latere dicetis vos, si quis confiteatur, nec illum pęniteat, quomodo veniam delictorum suorum consequetur? videtur itaque, quod talis Ecclesiæ pręceptum nō adimpleat. Pro solutione sciendum: quod non pęnitens dupliciter sumi potest: vno modo pro dolente de peccato non sufficienter. Alio modo pro fictè dolente. Si primò modo, Ecclesiæ pręceptum, qui confitetur adimplere dicitur: quia de sufficientia doloris de peccato per certitudinem potest constare. Si secundò modo, durante fictione talis confessio huiusmodi ficto non valet, nec dicitur Ecclesiæ pręceptum adimplere, quia intendit quod semel in anno debeat confiteri homo cum suorum peccatorum contritione. His ita positis. Nunc argu-

menta

menta diluenda, & primo primum, deinde secundum. Dicamus ergo ad primum: quod Ecclesiæ statutum de confitendo semel in anno, siue sit solum exhortatorium, siue preceptorium, non debet à fidelibus salutem suã querentibus reputari penale: at salubre: quia si quid ibi sit penalitatis, totum medicamentum debet dici salutis: & ideo implendum, vt salutiferum. Ad argumentum secundum dicitur: quod Ecclesia mandat impenitentis confessionem recipi ad eius instructionem: non ad absolutionẽ: nec ad Eucharistiæ sumptionem, ante veram contritionem, & confessionem. Iam exposita questione prima, altera subsequitur de integritate confessionis: vbi pro negatiua parte sic primo arguitur. Confessio nonne fit propter absolutionem? certè sic: at euenire potest, quod ille, cui peccata cõfitetur sua peccator, eum de omnibus absoluere non possit, & hoc propter aliquem casum superiori retentum. Ergo confitens tali confessori omnia peccata confiteri non tenetur. Preterea: vt confitens videtur partem peccatorum posse manifestare suorum scilicet scripto: igitur à simili vni ministro poterit partem, & alteri partem detegere: & ita integraliter vni minimè, & eidem facienda confessio. Ex alio latere, cum peccator veniam de vno peccato sine alio consequi nequeat: igitur dicendum, quod confitens non debeat de vno sine alijs confiteri peccatis. Pro dilucidatione huius quæsiti hoc vnum supponatis velim: vni, & eidem cõfitenda esse peccata: quo stante de facili argumenta formata ruent. Nam primum concedi habet, quo ad quorundam peccatorum absolutionem, quam prelati secundum Ecclesiæ sibi retinent consuetudinem. ob id non tollitur confessionis integritas: quin scilicet vni, & eidem inte-

graliter confeſſio debeat fieri. Secundum argumentum currit de illo, qui alium non habet modum confitendi peccata ſua, quam per ſignum, vt patet de muto. At de habentibus modum alium ſibi poſſibilem non ita dicendum. & hęc pro pręſenti.

DE SACERDOTIS REMISSIONE.
Diſtinctio 18.
Lectio CI.

EXpeditis neceſſarijs, quæ pro maiori notitia dictorum Magiſtri Sent. in decima ſeptima diſtinctione declarata ſunt: conſequenter oratio noſtra vertetur ad decimam octauam in ordine huius libri quarti diſtinctionē dilucidandam: vbi primo continuatio conſideranda: inſuper diuiſio. quo ad primum: ex quo ſuperius ſumus loquuti vna cum Magiſtro de pęnitentia, quantum ad eius partes: conſequenter nunc determinandum venit de poteſtate diſpenſantium hoc ſacramentum habito nexu pręſentis cum ſuperioribus diſtinctionibus: modo diuiſio conſideranda venit: diuidi enim poteſt pręſens diſtinctio in ſecta principalia tria: ſcilicet in caput, corpus, & pedes. Nos verò circa duo principalia verſaturi, quatuor faciemus. nam dubium primo proponemus. Inſuper de clauibus loquemur. Tertio quorundam opinionem circa ſacerdotis remiſſionem adducemus. Denique difficultati occurremus. Quantum ad primum: quęri ſolet, cum in ſola contritione cum propoſito tamen confitendi peccatum condonetur, non ſolum quo ad maculam, verum etiam quo ad pęnæ reatum ante confeſſionem ſa-

cerdoti factā: quid ergo ſacerdos in ſua abſolutione dimmittat: & quid virtus clauium tunc temporis operetur. Dubio premiſſo in ſecto primo: Magiſter in ſecondo verba de clauibus facit in gratiam veritatis: inquit ergo in preſenti: intentionem non eſſe ſuam de clauibus temporalibus, ſiue corporalibus, ſed de ſpiritualibus loqui: quæ nil aliud eſſe dicuntur, quam diſcernendi ſcientia, & iudicandi potentia: quia iudex Eccleſiaſticus dignos recipere habet, indignoſq; à Regno Dei excludere, vt puta ab Eccleſia, vel ſacramentorum perceptione, quæ vis ligandi, & ſoluendi Eccleſiæ ſacerdotibus competit, & non hereticis: & hec de ſegmentis duobus. Supereſt tertium exponendum, vbi videndum: quid ſacerdos in abſolutione operetur, cum ſolus Deus culpæ maculam abſtergat, & à debito mortis eternæ abſoluat: an ſcilicet in abſoluendo à peccato culpam, vel etiam penam tollere poſſit. Circa hoc duæ extant opiniones, quas in textu ipſe Magiſter recenſet. Quibuſdam enim videtur: quod Deus animam à morte ſuſcitet: & ſacerdos deinde penæ reatum dimittat. vnde dicunt: Dominū prius Lazarum ſuſcitaſſe, & viuificaſſe: deinde Apoſtolis ſoluendum reliquiſſe. Alijs verò viſum fuit: quod ſicut ſolus Deus animam viuificat interiùs tollendo culpam: ſic, & reatum penæ eternæ relaxat. vnde beatus Aug. exponens illum Pſal. Beati, quorū remiſſæ ſunt iniquitates, &c. ſic ait: quorum tecta ſunt peccata, ideſt cooperta, & abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit aduertere: ſi noluit aduertere, neque etiam animaduertere, ideſt punire, ſed ignoſcere: ſolus ergo Deus peccata dimittit. Et quando Deus videt peccata hominum, tunc illa ad penam imputare dicitur. At quando faciem

auertit, illa ad pęnam minimè reseruat. D. Hieronymus super eodē Psalmo ait: Quibus Deus peccata dimittit, tegitne in iudicio reuelentur. Item Cassiodorus dicit. Qui grauia habent peccata, alijs Deus imputat: alijs per misericordiam non imputat. Quare ex his apertè ostenditur: quod Deus ipse pęnitentē soluit à debito pęnæ, maximè quando intus illuminat contritionem inspirando, quæ non est sine charitate: solus ergo Deus ille est, qui delet iniquitates, & peccata populi. & hęc de tribus punctis. Nunc quarto loco difficultati propositæ ita occurrendum. Nam Deus per se ipsum, & principaliter dicitur absoluere, & sacerdos ministerialiter. & licet apud Deū peccator per contritionem dicatur absolutus, tamen in foro Ecclesiæ non sic iudicatur: quare authoritate concessa sacerdotibus in facie Ecclesiæ peccator est absoluendus, vt magis abundè patebit in sequenti nostro sermone.

QVO MODO SACERDOTES LIGANT. TEX. Lectio CII.

HAec est tertia pars huius distinctionis, circa quā versaturi quatuor faciemus. Nam primò docebimus, quid sit soluere, & ligare, & quot modis sacerdotes ligent, & soluant. Insuper quęsitum proponemus. Tertiò illud soluemus. Quartò, & vltimo ex prędeclaratis iterum dubitabimus. quo ad primum: sacerdotes ligare dicuntur, quando satisfactionem pro pęnitentia imponunt. soluere verò cum de ea aliquid dimittunt. In primò opus iustitię exercent: & in secundò opus misericordiæ. Ex

quibus

quibus apparet, quid sit ligare: nam est pęnitentem obligare ad pęnam satisfactoriam, quod ad claues pertinet, vt perbelle docet Aug. qui dicit: quod pęnitentia sine arbitrio sacerdotis frustratur: & Ecclesiæ cõtemptibiles facit claues. Dicuntur etiam sacerdotes soluere, & ligare per excommunicationem: quando per Ecclesiæ sententiam à loco orationis, & Sanctorum communione, nec non à fidelium consortio cõtumacem pręscindunt, vt erubescat, & pudore sceleris cõuersus pęnitentiam agat. Tunc verò soluitur, quando pęnitentiam profitens communioni admittitur, & Ecclesiæ Sanctæ reconciliatur. At quam diu manet excommunicatus, tam diu dicitur gratia diuina priuatus, nec non protectione Angelica, ita vt derelictus liberius cadat in peccatum. Pręterea: Diabolus in eum potestatem habet: denique illi Ecclesiæ orationes non prodesse putantur: & hęc satisfactionem vilipendentibus pęna infligitur. Explanato iam puncto primo de quatuor propositis: alterum subsequitur, dum quęritur: quo modo secundum hos modos ligandi, atq; soluendi illud verum sit, quod Dominus dicit: illa esse in cęlis soluta, & ligata, quæ in terris sacerdotes ligauerunt, & soluerunt, cum ipsi quandoque ligatos, & solutos ostendant, qui non sunt coram Deo absoluti: Insuper cum interdum indignos ligare, & soluere dicantur. Dubio proposito, quid Respondendum tertiò docet loco Magister, dum inquit. Intęlligendum esse, quod tunc solutio, & ligatio sacerdotis diuino iudicio approbetur, quando clauis discretionis adhibita sit, secundum meritorũ exigentiam. vnde dum sacerdos in iudicando errat: tunc, qui ligatur, apud Deum iudicẽ ligatus non habetur: nisi contemnat Ecclesiæ sententiam. vnde secundum

cundum Origenem: interdum qui foras mittitur, intus est. Et qui foras est, interius retineri videtur. Explanatis iam tribus punctis quartum superest: vbi occasione huius queritur: quæ sit illa macula: & quæ interiores illæ tenebræ, à quibus Deus animam purgat cum pęnitentiam immittit. Huic difficultati, vt satisfaciamus, ita dicendum: quod illa macula non sit mala voluntas: quia iam transiuit: nec dici potest pęnitentiæ cõtemptus: quoniam illud est nouũ peccatum: dicatur itaque dissimilitudo, siue quędam elongatio à Deo: quæ tanquam macula inest animæ, à qua per pęnitentiam purgatur. quantũ verò ad tenebras interiores ita dicendum: quod hominis peccantis intellectus obtenebretur, & naturalia vitientur, nec non Dei gratia priuetur. Quæ priuatio gratiæ, & deterioratio bonorum naturalium mentis caligo interior est: à quibus omnibus homo per pęnitentiam curatur. Nam medici spirituales dicuntur in suo ministerio sacerdotes: quorum munus curare est: gratiæ autem viuificare. & hęc de tota satis dicta sint distinctione.

QVID SIT CLAVIS.
Lectio CIII.

PRO *maiori intellectu eorum, quæ in prędeclarata distinctione à Magistro sententiarum sunt dicta: quatuor per ordinem ponderabimus hodierna die: diffinitionem clauis primò. Quid sit ligare secundò, & quot modis contingat. Tertiò quo modo erret clauis. Quartò, num quis se ipsum absoluere possit. Pro intelligentia secti primi est sciendum: quod sicut in his corporalibus*

ralibus clauis dicitur esse instrumentum ad amouendum aliquod obstaculum. Ita in spiritualibus cum inueniatur obstaculum ingrediendi in Regnum celeste, ad illud remouendum spiritualis illa potestas sacerdotibus à Deo concessa clauis nuncupabitur. Quę sic diffinitur. Clauis est potestas ligandi, atq; soluendi, qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos debet à Regno excludere. In qua diffinitione quinque tanguntur. Authoritatis principium primò, cum dicitur. Clauis est potestas. Secundò subiectum ibi: iudex Ecclesiasticus, qui non solum ordinem debet habere sacerdotalem, qui sequitur caracterem: sed etiam iurisdictionem secundum potestatem superioris. Tertiò clauis actus duplex tangitur: scilicet excludere, & recipere ad similitudinem clauis materialis, cuius est aperire, & claudere. Quartò in diffinitione clauis tangitur discretionis iudicium in hoc: quod dignitas, & indignitas illius, in quem actus clauis exercetur, pensatur. Quintò eius obiectum, quando dicitur à Regno. vbi notandum: quod non dicitur ab inferno, sed à Regno: eo quia claues inferni Deus sibi soli retinuit. & hęc de primo puncto. Ligare verò secundo loco quid sit, audite. Nam largè loquendo est, non absoluere: vel ligare dicetur nil aliud esse: quàm ad pęnam remanentem obligare: nam sacerdos totam non habet remittere pęnam, sed aliquid de pęna. Istud autem aliquid, quod sacerdos dicitur remittere, non est determinatum in quantitate, sed in proportione. Si verò breuius velitis procedere, dicatis: sacerdotem virtute clauium tribus modis ligare. Primò quo ad culpam non absoluendo ab ea. Secundò quo ad pęnam sensus, pęna temporali ligando. Tertiò quo ad pęnam damni, ligando per sen-

tentiam excommunicationis. His duobus sectis tertium venit addendū de errore clauis: q̃ dicitur errare, cū sacerdos abutitur claue. V. g. quando absoluit non sui iurisdictioni subiectum: similiter, quando indignos absoluit. De errore verò clauis scientiæ alias verba faciemus. Tandem, vt sermo presens claudatur noster, speculandum erit: Num quis sacerdos se ipsum absoluere possit. Mihi, quod non, apparet: quia clauis potestas pro materia requirit aliquem sibi subiectum: at aliquis sibi ipsi non potest esse subiectus: ergo. Preterea: in iudicio temporali quis reus, & iudex esse non potest: igitur neque in iudicio spirituali. Nullus itaque se ipsum poterit absoluere. & hec pro presenti nostro sermone.

AN CLAVES IN ECCLESIA CONCEDENDAE. Lectio CIIII.

CIrca distinctionē premissam dubium de clauibus vnum animaduersione dignum proponendum. Quo exposito ad alia properandum. Queritur ergo. An claues in Ecclesia concedendæ. Quidam ad negatiuam declinantes partem ita ratiocinantur: Christi hoc peculiare est, scilicet Regni celorum claues habere: non igitur in Ecclesia sunt. Assumptum patet per illud Apoc. 3. Claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Solus ergo Christus. Preterea: Aug. authoritate contra Donatistas sic arguitur. à peccato nō absoluit nisi columba idest Christus: igitur, &c. tertiò sic. Clauis scientiæ, cuilibet ordinato confertur minimè: nam prius inuentus ignarus, se non inuenit scientem post

ordinationem, quam esset ante: non igitur claues in Ecclesiæ videntur esse. Insuper ad quid claues, cum cęli ostium sit apertum? malè igitur Magister Sent. de clauibus videtur fuisse loquutus. In oppositum se habet illud, quod Dominus dixit Petro Matthęi. vi: tibi dabo claues Regni cęlorũ. In Ecclesia ergo concedendę claues. Pro dilucidatione huius quęsiti est primo sciendum: vnam esse tãtum clauem secundum essentiam: at duas secundum actus, & officia. Insuper supponendum: duplicem dari clauem excellentiæ, & ministerij. Quibus pręmissis, ad rationes formatas nunc respondere non erit difficile. Prima ergo cõcedi habet de claui excellentiæ, non ministerij. Altera ratio desumpta ex Augustino debet intelligi de Christo principaliter, & de membris eius, quibus dignè fit peccatorum remissio ministerialiter. Ad tertiam de claui scientiæ est sciendum: quod per clauem scientiæ nos non debemus intelligere, aliquam dari scientiæ clauem, quo modo ratio formata videtur velle: sed authoritatem noscendi, idest inquirendi, & examinandi causam rei. Hęc ergo illa clauis est, quæ in susceptione ordinis sacerdotij confertur, non autem scientiæ. Ad vltimam instantiam dicitur: cęlum quidem de se apertum esse, at alicui clausum per peccatum: ad quod amouendum impedimentum in Ecclesia claues conceduntur. Laudetur ergo Deus, qui talem dedit benignitate sua potestatem sacerdotibus. & hęc satis.

KK DE

DE VI CLAVIVM ECCLESIAE.
Lectio CV.

EX quo vidimus in Ecclesia claues dari, quibus peccator habet absolui: consequenter in presenti de harum vsu loquendum: vt quid tenendum nos lateat minime. Presens itaque sermo noster in secta duo diuidetur: in quorum primo de clauium vsu loquemur. In altero de excommunicatione. quantum attinet ad primum: solet queri. An vsus clauium se extendat ad dimissionem culpæ, & penæ nec ne. Mihi primo aspectu videtur dicendum esse, quod se ad culpæ deletionem extendat: nam saluatoris apud Ioannem extat authoritas talis capite xx. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: vis ergo clauium ad perfectam culpæ condonationem se extendit. Insuper: nonne in penitentia gratia confertur ad peccati remissionem? at hoc penitentiæ sacramentum à sacerdote administratur, cuius dicitur dispensator: vsus itaque clauium ad culpæ dimissionem se extendit. Ex alio latere dicetis vos: solius Dei est gratiam dare: non ergo, &c. Pro determinatione huius quesiti, scire debetis: clauium duplicem dari vsum: quorum vnus est discernendi dignos ab indignis à Regno celorum. Alter dignos recipiendi, indignosque excludendi. Insuper in memoriam reuocare debetis vestram, in peccato mortali tria inueniri. Primum est deordinatio actus, in qua formaliter culpa consistit. Secundum est carentia gratiæ, quæ dicitur offensa, siue macula. Tertium est reatus penæ. quantum ad primum: claues non dicuntur ad talem culpæ dimissionem, siue maculæ aliquid operari:

rari: quoniam actus deordinatio tollitur p displicentiam natura absolutionem precedentem: quæ fit virtute clauium. quantum ad secundum, quod est carentia gratiæ, dicendum est: quod clauium authoritas se ad culpæ dimissionē extendat: & gratiæ collationem per modum ministerij: quo ad tertium nihil dicam: quia virtute clauium pęna ęterna peccato mortali debita in temporalem mutatur pęnam. Nunc argumenta soluenda, deinde ad subsequentem festinabimus quęstionem. Concedatur itaque primum ministerialiter: at non principaliter. Alterum quoque currit, quo ad culpæ remissionē ex officio ministerij: nam interius Deus operatur. Ad argumentum. In oppositum dicitur: quod debet intelligi principaliter. Explanato iam primo quęsito: alterum accedit, dum quęritur. An Christi sponsa, vt puta Ecclesia, vti debeat excommunicatione. Pro parte negatiua arguentes quidam ita aiunt. Nullus in hostis manus, nisi de illius salute desperetur, tradendus: sed de nemine in via est desperandum, quia corrigi potest: igitur per excommunicationem nullus in diaboli potestatem tradi debet. Præterea: vt fatentur omnes: excommunicatio maledictio quędā est: at nullus debet maledicere, vt Paulus ad Rom. Cap. 12. testatur. Quare Christi sponsa non videtur debere vti excommunicatione. Ex alio latere dicetis vos: cur ergo Christus apud Mattheum loquens de contemnente Ecclesiam dixit: sit tibi sicut ethnicus, & publicanus? videtur ergo: quod Ecclesia vti possit excommunicatione. Pro Responsione duo hic videnda. Primum est, quid sit excommunicatio. Secundum est pro qua causa debeat ferri. quantum ad primum: solet finiri excommunicatio à quibusdam sic. Ex-

communicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quo ad fructum, & generalia suffragia, siue temporalia, quæ sunt in conuictu ciuili, siue quo ad spiritualia, quæ propriè sunt Ecclesiæ suffragia: à quibus omnibus separatur excommunicatus: quia ei minimè licitum est communicare alijs, nec participare Ecclesiæ suffragijs, neq; sacramentis. & hęc diffinitio excommunicationi maiori competit. Pro quo autem ferri habeat, audite. Nam pro mortali solum debet ferri, nec pro omni, sed pro contumacia: & hoc totum ad salutem animæ dormientis in peccato: non autem ad perditionem. His ita positis, rationes formatæ de facili ruent, si dixerimus ad primam: nullum esse tradendum in hostis manum ad perdendum, sed ad flagellandum, & perficiendū, vt scilicet à culpa resipiscat. Concedatur ergo prima ratio primo modo: at hoc secundo modo nullá. Altera ratio expositione eget: nam maledictio duobus habet concipi modis. Vno modo vt consistit in optatione pęnæ: & tunc talis non dicitur licita. Alio modo ad delinquentis correctionem, & tunc nōn solum licita, verum sancta: sub primo sensu ratio bona: at hoc altero modo nulla. & hęc de pollicitis.

QVANDO HAE CLAVES DANTVR, ETC.

Distinctio 19.

Lectio CVI.

D*Ecimam octauam iam absoluimus distinctionem, accedit modo decima nona exponenda: in quá Magister, vbi ostendit clauium potestatem secundum se: consequenter*

quorum

quorum ſit claues habere hic vult determinare. Diuidatur igitur hęc diſtinctio in puncta nouem. In quorum primò, quando claues dentur, declaratur. In ſecundò obijcitur contra dicta. In tertiò Reſpondetur. In quartò dubium proponitur. In quintò quid tenendum diſtinctione declaratur. In ſextò notandum vnum de duplici benedictione. Inſtantia in ſeptimo. Solutio in octauo. In nono verò ſacerdotis qualitas tangitur. Pro intellectu primi puncti conſiderandum erit, quando, & quibus dentur claues. Nam vt norunt omnes per miniſterium Epiſcopi in promotione ſacerdotij claues dari dicuntur: ſimul enim cum quis ſacerdotij ordinem recipit, & claues. Nunc ſecundo loco ſolent obijcere quidam vna cum Magiſtro Sent. contra hanc determinationem, maximè quãtum ad ſcientiæ clauem dicentes: hanc non ſolum habere ſacerdotes: plures etenim non ſacerdotes ſcientiam diſcernendi habent: pręterea ea multi ſacerdotes carent: non igitur omnibus conferri videtur in tali ordine ab Epiſcopo ſacerdotibus ſcientiæ clauis. Huic difficultati tertiò loco Reſpondendo Magiſter ait. Hanc ſcientiæ clauem, quæ diſcernendi ſcientia dicitur, non omnes ſacerdotes habere. vnde in conſecratione ſcientiam non habentes, neque hanc clauem recipere dicentur. Non ſacerdotes verò quamuis ſcientiam diſcernendi poſſint habere: ob id clauem non dicuntur habere, cum ea claudere, vel aperire nequeant, quia officio ſacerdotij non funguntur. At ſi tales ad ſacerdotium promoueantur, tunc temporis claues recipere dicentur: quoniam etiam ante, habita ſcientia habentur: qua in parte non Probatur Magiſter, quia videtur velle, quòd ſcientia diſcernendi, vt notat habitũ ſcientiæ

ſit

ſit clauis, quod non eſt verum. Nam huiuſmodi habitus ſcientiæ clauis dici non debet, nec talis clauis ſuſcipitur in ſuſceptione ordinis, ſed illa, de qua alias diximus: quare hac in parte Magiſter dimittendus. Quarto loco quęrit Doctor de claue potentiæ: An omnes hanc dicantur habere ſacerdotes. Quidam ſunt opinati, quod non omnes eum habeant, ſed ſolum Doctrinæ imitatores ſimul, & vitæ Apoſtolicæ. Altera opinio eſt, quam approbat ipſe Magiſter: quod omnes ſacerdotes talem habeant potentiæ clauem. Licet ſolum dignè tali vti valeant authoritate: qui vitam, & doctrinam Apoſtolicam ſeruant: quare authoritates, quas prima adducit opinio pro ſe, non negant malos ſacerdotes potentiæ clauem habere: at ſolum dicunt, vti dignè eis poſſe, qui doctrina, & vita Apoſtolica prediti ſunt. & hęc de punctis quinque. In ſexto prēmiſſa illa duplici conſideratione de duplici opinione clauis potentiæ Magiſter nobis notandum tradit de duplici benedictione. Quędam enim ſolis dicitur conuenire ſacerdotibus ex officio. Alia verò, quæ iuſtis exhibetur hominibus. Ad quam inſinuandam ſeptimo loco ita inſtandum contra prędicta quædam authoritate, quæ videtur dicere: quod omnes viri ſancti benedicere habeant, & non ſolum ſacerdotes: cuius oppoſitum prędictum eſt in quadam authoritate. Nunc octauo loco ita Reſpondendum: quod alia ſit benedictio, quæ ſit ex merito ſanctitatis: quæ omnibus hominibus competit. Alia verò quæ ſolum ex authoritate ordinis, quæ ſolis congruit ſacerdotibus. Quam licet omnes dicantur ſacerdotes habere: ſoli tamen boni maximè eam dicuntur habere, quia ea rectè vtuntur. Nec ob id vita mala ſacerdotum ſubditos lędere valet, ſi bona faciunt, quæ ipſi dicunt.

sunt. Hinc subditi discant non multum sacerdotis discutere vitam, hoc enim ad verum spectat iudicem. Sed dicetis: cur ergo Dominus per prophetam malis comminatur sacerdotibus, quod maledicturus sit eorum benedictionibus? & specialiter illis sacerdotibus, qui viuificant animas, quæ non viuunt: & mortificant animas, quæ non moriuntur? videntur itaque hęc aduersari pręedictis. Ad hanc cauillationem tollendam erit dicendum: hoc intelligendum esse secundum quosdam de sacerdotibus pręcisis ab Ecclesia: vel etiam de illis sacerdotibus, qui sine scienta, & bona vita pręsumunt soluere, & ligare. Occasione cuius, qualis debeat esse sacerdos vltimo loco dicendum. Debet enim habere quinque conditiones: scilicet potestatẽ, scientiam, prudentiam, bonitatem, & sigillum. Primò potestatem ordinis: secundò potestatem iurisdictionis: tertiò potestatem, quo ad vsum. Deinde scientiam, vt valeat discernere inter peccatum, & non peccatum, inter mortale, & veniale: Insuper Prudentiam pęnitentem instruendo, interrogando, hortando, animando, ad spem, &c. & sobriè inuestigando. Quartò debet habere bonitatem in conscientia, quia si in mortali confessiones audiat, mortaliter hoc sacramentum administrando peccat. Quintò debet habere sigillum, & esse secretus: ita quod quocunque pręcepto ei facto etiam à Papa, non debet manifestare, quæ in confessione audiuit. & hęc satis.

AN

AN SOLI SACERDOTES NOVI TESTAMENTI HABEANT CLAVES.

Lectio CVII.

EXaminãda venit decima nona distinctio huius libri quarti in ordine: circa quam versaturi, duo quęsita in specie proponemus. Quibus declaratis, patebit aditus ad subsequentem vigesimam. Primo ergo solet quæri. An claues soli habeant noui testamenti sacerdotes. Insuper. An sacerdos quilibet vti claue possit in quemlibet. Circa primum. Pro parte negatiua sic arguitur. hostiarijs in sua ordinatione claues traduntur, nec sacerdotes sunt: noui igitur testamenti sacerdotes soli non dicuntur habere claues. Rursus excõmunicare, & absoluere ad clauium potestatem pertinere videtur: at multi non sacerdotes dicuntur excommunicare, & absoluere, vt electi, confirmati, officiales, archidiaconi. Ergo multi non sacerdotes habere dicuntur claues. D. Ambr. In oppositum se habet, dum ait: Hoc ius scilicet ligandi solis sacerdotibus esse concessum. Pro determinatione huius quæstionis est primo sciendum: veteris testamenti claues non habuisse sacerdotes: quia regnũ cælorum aperiri non potuit ante Christi passionem, merito cuius est sublatum impedimentum naturæ: quare ante Christi passionem, quæ facta est in nouo testamento alicui non debuerũt claues conferri: vsus tamen clauium, & potestas dicitur figuraliter pręcessisse in officio sacerdotum legalium. Quorum officium circa tria consistebat: scilicet in aperiendo, & claudendo hominibus mundis, & immundis secundum ritum legis materiale templum. In oblatione

sacri-

ſacrificiorum: & collatione ſacramentorum legalium: & in mundatione aliquarum irregularitatum, quæ ſecundum dicebantur incurrere legem. His ita poſitis, ad rationes modo reſpondendum, & ad primam primò ſic: quod traditio clauium, quæ fit in ordinatione hoſtiarij nō ſignificat traditionem clauium ſpiritualium, de quibus hic loquimur: ſed ſolum ſignificat traditionem poteſtatis ad executionem officij, ad quod ordinatur: quod eſt cuſtodia eorum, quæ ſub clauibus Eccleſiæ materialibus reſeruantur. Ad ſecundum dicitur: quod ex delegatione actus excommunicandi alijs à ſacerdotibus conuenire poteſt, non tamen talis actus directè clauium, & per ſe eſſe dicetur, ſed ſolum ligare, & ſoluere in foro pęnitentiæ: antecedit tamen, & diſponit ad vſum clauium: quare nulli mirum, ſi excommunicare alijs, quam ſacerdotibus poſſit competere. Explicata quęſtione prima: ſequitur altera, dum quęritur. An quilibet ſacerdos poſſit vti claue in quemlibet. Mihi primo aſpectu, quod ſic, videtur. Nam quæ virtus materialis poteſt in vnam materiam, poteſt etiam in omnē ſibi ſimilem. V.g. ignis poteſt comburere lignum aliquod aridum: ergo quodcunq; aliud ſimiliter diſpoſitum: à ſimili ſpiritualis poteſtas per quam ſacerdos poteſt abſoluere aliquem peccatorem, ſe extendet ad omnē abſoluendum: quare, &c. Preterea: quando Chriſtus dixit ſuis diſcipulis illa verba: quorum remiſeritis peccata, &c. ibi in verbis nulla limitatio fuit facta: omnis igitur ſacerdos dicetur ſua poteſtate quemlibet poſſe peccatorem abſoluere: ex alio latere: ſi iudicium ſeculare eſt ordinatum, multo magis debet eſſe ordinatum Eccleſiæ iudicium in foro pęnitentiæ. At illud non ſe ad quēlibet hoīem extēdit: igitur neq; hoc. Pro diluci-

datione huius quęstionis secundæ est primo sciendum: clauem multiplicem dari spiritualem: qua cęlum homini potest reserari. Una dicitur sana doctrina. Lucæ vndecimo ait saluator: Væ vobis legis peritis, qui tulistis clauem scientiæ. glosa. Authoritatem docendi ad veritatem saluificam: ipsi non introistis, scilicet malè viuendo: & eos, qui intrare desiderabant prohibuistis, falsa doctrina, vel malo vestro exemplo corrumpẽdo illos simplices. Alia caluis spiritualis est vera pęnitentia, quæ cęlum aperit. Matthęi tertio: Pęnitentiam agite, appropinquabit regnum cęlorum. Tertia clauis est sanguis Christi, & pęna. Vnde Ambr. ait. Sanguis Christi, clauis est Paradisi. Quarta clauis dicitur ipsa potestas collata à Deo supernaturaliter sacerdotali dignitati. & dicitur esse duplex iurisdictionis, & ordinis. Illa iurisdictionis materiam subiectam requirit, sicut Dominus seruum. Clauis verò ordinis non semper dicitur in actu habere materiam de illa verò scientiæ claui nil dicam: quia quandoque potest errare: & hoc duobus considerari potest modis: vel ex parte sacerdotis, vel ex parte confitentis. Ex parte sacerdotis, quando omittit necessaria inuestigare: Puta: an confitens sit contritus, an non: insuper dum non pertinentia ad hoc forum petit, vel dum superfluis abundat: quibus modis, & alijs peccat. Potest etiam contingere error ex parte confitentis: quia scilicet fictus sit, &c. His omnibus pręmissis, ad argumenta formata quid dicendum, audite: primum enim indirectè concedi habet: at directè, negatur. Nam ille solus directè potest, &c. cui cura animarũ commissa. Ad secundum Respondetur: quod quamuis in illis: verbis: Quorum remiseritis, &c. non sit limitatio de

personis

perſonis facta: attamen ex verbis deinde Petro dictis Io. Vlt. Paſce oues meas, &c. facta fuit reſtrictio: quod nullus poſſit ea, quæ ſunt curæ animarum in foro pęnitentiæ abſoluere, niſi Petrus, vel Petri ſucceſſor: vel ille, cui per ſucceſſorem Petri commiſſum. & hęc pro prę ſenti.

DE HIS, QVI IN FINE PAENITENTIAM AGVNT.

Diſtinctio 20.
Lectio CVIII.

EX quo Magiſter verba fecit de ſacramento pęnitentiæ, nec nõ de poteſtate miniſtrorum hoc ſacramentum diſpenſantium: propterea hic de quibuſdam conſequentibus tractandum. Diuidatur ergo hęc vigeſima Diſtinctio in puncta ſex. In quorum primo ponitur propoſito. In altero pro inſinuatione pęnitentiæ tempus ponitur. Notandum de pęnitentia iniuncta in prę ſenti vita tertio. Concluſio in quarto. Inſinuatio in quinto. Dubium denique cum ſolutione in ſexto. Quo ad primum, ſit hęc propoſitio. Et ſi ſerotina pęnitentia mortuo vitam valeat impetrare: periculoſum tamen eſt vſque in finem vitæ pęnitentiam differre, atq; procraſtinare. Pro cuius inſinuatione nunc loco ſecundo pęnitentiæ tempus declarandum: quod vſque in vitæ finem durare dicitur. Beatus tamen Aug. dicere videtur: quod illi, qui ſolum in fine vitæ pęnitent, in ſtatu ſecuro non tranſeunt de hac vita: quæ verba intelligenda ſunt de illis, qui non ex Dei amore, ſed timoris

morte pęnitentiam faciunt. Vel dicatis: Beatum Augustinum pro tanto securitatem siue certitudinem huic pęnitentiæ minimè dare, quia sit difficile in huiusmodi statu veram pęnitentiam agere: vt puta propter filios: propter vxorem: propter mundum: mortisq; dolorem: quæ omnia in illo statu solent de facili hominum à cõuersione ad Deum retrahere, vt norunt nimis hunc mundum diligentes. Non tamen negandum est: quin in fine vitæ suæ pęnitentiam agentes dignè valeant pęnitere. vnde pęnam, quam hic minimè soluunt, in purgatorio soluent, nisi tam vehemens esset contritio, vt ad delicti punitionem sufficeret. Hic tertiò notandum de pęnitentia aliquibus in pręsenti iniuncta, quam si non adimpleuerunt, in purgatorio punientur, nec non de illa non condigna pro peccato commisso sibi iniuncta: nisi vehemens occurrat contritio, quæ sufficienter in illis peccata valeat punire. At dicetis: quæ pęna contrito imponenda? hic D. Aug. respondendo ait: diuersimode secundum ipsum contritionis modum imponendam esse. His quartò additur hęc conclusio. Ab infirmis in periculo mortis peccatorum inquirenda est confessio, & pęnitentiæ pondus subleuandum eleemosynis, & amicorum orationibus. Pro cuius insinuatione hoc loco Magister docet, quid agendum sit cum illis, qui in fine pęnitent vitæ suæ. Morientibus ergo satisfactoria pęna minimè imponenda: nisi postquam conualuerunt: innotescenda erit tamen: alijs verò secundum liberũ arbitrium sacerdotis imponenda. Nec morientibus vnquã deneganda reconciliatio: alioquin hoc faciens sacerdos, illarum animarũ esset reus. Quid si non petat? Respondetur: quod sufficit, si prius reconciliationem petierit, licet modo nequeat

queat

queat propter infirmitatem: His denique additur dubium tale. An sacerdos inconsulto Episcopo publicum crimen, vel excommunicatum valeat absoluere. Respondetur ad hoc: quod non: nisi vltima necessitas cogat. Insuper non absente Episcopo debet sacerdos simplex cauere illo inconsulto excommunicatum absoluere, virginesq; consecrare. Quid si moriens nequeat sacerdotem habere? ad hoc dicendum: quod tunc temporis sufficit bonum habere propositum, quod sacerdotem petijt. tunc illa, quæ oblatio offeretur, non respuenda, sed recipienda. & hęc de tota distinctione, quam in sequenti examinabimus sermone.

AN SIT TOTALITER LIBERATVS, QVI COMPLET PAENITENTIAM SIBI commissam à sacerdote? Lectio CIX.

EXaminaturi vigesimam huius libri quarti distinctionem, de more nostro quęstiones duas proponemus, quarum prima. An ille peccator totaliter dici possit liberatus, qui pænitentiam sibi iniunctam à sacerdote implet. Insuper. An vnus pro alio satisfacere possit. quantum attinet ad primum: pro parte affirmatiua sic instatur. Vti pęnitens taxationem pęnæ debet acceptare per sacerdotem: ita Deus illa contentus esse debet, quia sacerdos arbiter est inter Deum, & pęnitentem: igitur, &c. Insuper: si sacerdos peccatori maiorem pęnitentiam imponeret, quam culpæ debeatur; tunc peccator ad satisfaciendum teneretur: non

secus

secus, si inuingat minorem, videtur, quod eã faciendo sit liberatus: nam Deus pronior dicitur ad miserendum, quam cõdemnandum: ergo. Pro intellectu huius difficultatis primæ est sciendum, quòd semper maior pęna pro maiori culpa sit imponenda. Insuper, quòd si pęna imposita non sit condigna pro solutione pęnæ debitæ culpæ, tunc peccator simpliciter liberatus dici debet minimè. His ita positis, ad rationes formatas, quid dicendum, audite: nam prima animaduersione digna est, licet enim sacerdos arbiter sit, habet tamen potestatem limitatam, scilicet quo ad culpæ remissionem, & pęnæ virtute clauium, quantum exigit pęnitentis contritio, nõ autem quo ad taxationem, vel pęnæ dimissionem pro arbitrio voluntatis. Ad secundam rationem dicitur, quòd quantum ad forum Ecclesiæ, peccator ad pęnitentiam faciendam sibi impositã obligatur, eamq; faciendo liberatur, siue sit condigna, siue non: attamen quo ad forũ Dei, nec sufficit minor, nec maior, quàm condigna requiritur: vnde si peccator, cui pęna imposita maior in duplo, quam sua exigat culpa, decederet, peracta sola medietate pęnitentiæ ad cęlum euolaret: nec residuum in purgatorio exsolueret ratione paulo ante tacta. Cõpleta prima paucis verbis q̃stione, subsequitur altera, dum quęritur. An vnus pro alio valeat satisfacere. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quod non, nam vnus pro alio nequit confiteri, igitur nec pro alio satisfacere: nec id mirum, quia hęc ad se inuicem ordinantur. Ex alio latere sicuti vnus homo pro alio ex amore debitũ potest soluere: igitur à fortiori videbitur, quod vnus pro alio apud Deum valeat satisfacere. Pro Responsione est notandum: quod iste pro quo vult satisfacere: aut viuus est: aut mortuus.

Si

Si viuus, aut ipse potest, aut non. si potest, dico, quòd viuus pro alio satisfacere non potest: diuina etenim iustitia exigit, vt qui peccat, satisfaciat, & hoc si per se potest, si autem non possit per se satisfacere, tunc dico, quod alius potest pro ea satisfacere. Sed ad hoc multa requiruntur, quędam ex parte illius, pro quo satisfit, quædam verò alia ex parte illius, qui satisfacit, quędam alia ex parte vtriusque. Insuper quędam ex parte operis satisfactorij. Ex parte illius, qui satisfacit, requiritur propinquitas, scilicet, quòd ille, qui satisfacit, propinquitate sit obligatus illi, pro quo satisfacit. V. g. si filius, pro Patre impotente vellet satisfacere: pręterea ex parte illius, pro quo satisfit necessitas exigitur, nec non impossibilitas, ita vt per se nequeat satisfacere. Nec id mirum, quia Deus non obligat ad impossibile. Vlterius ex parte vtriusq; charitas requiritur, charitas enim radix merendi est. Insuper ex parte operis maioritas requiritur, vt scilicet ille, qui vult pro alio satisfacere, plus faciat, quàm ille, pro quo debet satisfacere. Pręterea est sciendum, quòd ille, pro quo quis vult satisfacere, vel est mortuus, vel viuus; si mortuus, aut est in paradiso, & tunc non indiget, quòd aliquis pro eo satisfaciat, quia vt ait Beatus Aug. Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Aut est in inferno, & tunc secundum opinionem omnium Theologorum nihil, quod fiat pro eo, sibi proficit, quia in inferno nulla est redemptio: aut in purgatorio, & tunc potest satisfieri pro eo à viuis. & ita dicit Aug. in libro pro agenda cura mortuorum. vnde animæ defunctorum quatuor modis solui dicuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut orationibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut cognatorum ieiunio. His ita intellectis, ratio

de

de facili in oppositam partem adducta ruit, quia non est simile de confessione, & satisfactione: nam vna harum ad culpam ordinatur, vt confessio, altera verò ad debitam pęnam. & hęc satis.

DE PECCATIS, QVAE POST HANC VITAM DIMITTVNTVR.

Distinctio 21.

Lectio CX.

EX quo de pęnitentię tempore verba fecit Magister Sent. consequenter quęstiones quasdam circa determinata excitabit, & illas soluet. Ecce paucis nexus cum superioribus vna cum intentione authoris. Diuidatur modo pręsens distinctio in puncta octo, in quorum primo ponitur vna conclusio, quęsitum in altero, Responsio in tertio, instantia in quarto, propositio in quinto, dubium in sexto, solutio in septimo, Notandum demum de sacerdote in octauo. Quo ad primum hęc sit conclusio. Veniale peccatum post hanc vitam etiam remittitur, ad quam indagandam veritatē dubitat loco secundo Magister. An etiam post hanc vitam peccata aliqua dimittantur: pro cuius solutione tertio authoritate Domini vtemur loco ita dicentis, qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sęculo, neque in futuro, ex quo datur intelligi, sicut Sancti Doctores tradunt, quod quędam peccata in futuro dimittantur, quędam enim culpę in hoc sęculo relaxantur, quędam verò paruę in futuro. vnde Beatus Aug. dicit eos, qui ędificant lignum, fœnum, & stipulam, & qui peccata

venialia secum portant, per ignem purgatorij saluari, quo huiusmodi delicta cremabuntur: post hanc ergo vitam quędam peccata dimittentur. At quia hic sermo habitus est de purgatorij igne, propterea debetis scire: quod ille ignis quosdam tardius, quosdam verò citius purgabit, & purgat, secundum quòd aliqui magis, vel minus corporalia bona in hac pręsenti vita dilexerunt. unde dilectionis gradus per hęc tria notantur, scilicet lignum, fęnum, & stipulam. Illi tamen, qui superędificant aurum, argentum, & lapides preciosos, tàm ab igne æterno, quàm purgatorio securi sunt. His quarto contra prędicta instantia talis afferenda loco. si per lignum, fęnum, & stipulam venialia intelliguntur: cum nullus sine venialibus inueniatur, ergo nullus erit, qui huiusmodi non ędificet: & ita etiam viri perfecti, qui ędificant aurum, argentum, & lapides preciosos, lignum, stipulam, & fęnum ędificabunt, & quòd alij sunt, qui ædificant lignum, fęnum, & stipulam sicut imperfecti; qui quamuis Deum contemplentur, & proximum diligant, & opera bona faciant, tamen non dicuntur superędificare aurum, argentum, & lapides preciosos, per quæ prędicta tria intelliguntur. Nec id mirum, quia hęc tria excellenter minimè habent, at cum aliquo inordinato amore rerum temporalium. Insuper dantur quidam ædificantes aurum, argentum, & lapides preciosos, sicut perfecti, qui quidem sunt contemplationi Dei intenti, quæ per aurum intelligitur, & dilectioni proximi, quæ per argentum intelligitur, & cęteris bonis operibus, quæ per lapides preciosos intelliguntur. Isti ædificare dicuntur non lignum, fęnum, & stipulam; sed imperfecti, qui simul cum Deo cogitant, quæ sunt mundi, nec non

lignum, fenum, & stipulam ædificant, & cum talibus ædificijs transeunt, igneq; purgatorij cremabuntur, licet transitoriè, attamen grauiter puniuntur: hic etenim misericordia exhibetur; illic verò iustitia. & hęc de secto quarto satis dicta. In quinto ponitur talis propositio. Sicut per generalem confessionem, & veram contritionem veniale deletur, sic etiam mortale, cuius noticia non habetur, etiam si non recitetur. Ad quam insinuandam sexto dubitatur loco. An confessio prosit, si in ea singula peccata non exprimantur. Ad hoc de facili poterit sic Responderi septimo loco, quòd singula peccata mortalia, quorum quis memoriam habet, sigillatim exprimenda, at quorum memoriam minimè habeat, saltem generaliter confitenda; venialia verò, quia innumerabilia, tunc generaliter ea confiteri sufficiet. vnde in Ecclesia generalis solet fieri confessio per quam venialia remittuntur, & etiam mortalia, quorum memoriam non habemus. & vti pęnitens celare peccata non debet, quæ ipse fecit, & quorum memoriam habet, ita debet attendere, vt peccatum non confiteatur, quod non fecit, alioquin mentiretur, & sic peccaret. His vltimo loco Notandum tale addetur, quòd sacerdos omnibus debeat modis peccata confitentium celare, quòd si non fecerit deponendus. pęnitens verò animaduertat proprium non dimittere sacerdotem absque rationabili causa. & hęc satis.

AN

AN POST HANC VITAM ALIQVA PECCATA REMITTANTVR. Lectio CXI.

EXaminaturi predeclaratam distinctionem, breui vt procedamus, quesita duo percurremus: primo querentes. An post hanc vitam quo ad culpam aliqua condonentur peccata. Preterea. An veniale in damnatis pena puniatur æterna. quantùm spectat ad primū, negatiuè procedentes arguunt quidam dicentes; existentes in purgatorio de cæterò peccare non possunt, igitur nec resurgere. Consequentia patet, quoniam facilius dicitur esse peccare, quàm à peccato resurgere, ergo. Preterea, Gregorius nonne, ita dicit, quòd talis in iudicio quisque futurus sit, qualis de corpore exibit? igitur qui de hac vita cum veniali exit, in iudicio cum tali apparebit: quare malè Magister Sent. qui totum oppositum dixit in textu. Ex alio latere Gregorius quarto Dial. nec non Augustinus pertractans illud Apostoli: si quis ædificat lignum, &c. Chor. tertio in oppositum arguunt: propterea quid circa materiam hanc tenendum sit, apertè considerabimus, supponentes primo in peccato saltem mortali tria inueniri, quorum primum dicitur actus deordinatio, in qua macula consistit, sicut in deordinatione membri corporalis consistit turpitudo corporis. Alterum dicitur priuatio gratiæ, quæ offensa est: denique penæ reatus. Hec autem in veniali peccato videntur esse preter priuationem gratiæ; Insuper sciendum, quid sit peccatum remitti, quò ad culpam, vel maculam, nam tunc dicitur condonari quò ad ista, quando scilicet

actus voluntatis reordinatur per debitam displicentiam quò ad offensam, & hoc quando gratia restituitur. Quò verò ad reatum pęnæ, quando pęna, vel condonatur, vel soluitur. His tertio addendum, quòd culpa mortalis nullo modo post hanc vitam dimittatur, neque venialis, si cum mortali sit, venialis tamen sine mortali post hanc vitā potest dimitti. His pręmissis, formatæ rationes de facili ruent. Dicamus igitur ad primam: esse facilius peccare, quàm à peccato resurgere, quandiu liberum arbitrium sit flexibile ad utrunque: sed quando confirmatum est in bono, vt est in illis, qui sunt in purgatorio, tunc impossibile est peccare: benè facilè apparet, peccatum detestari, cum hoc sit bonum; in qua detestatione reordinatio voluntatis cōsistit, & venialis peccati, quò ad culpam dimissio. Argumentum itaque primum, siue ratio prima primo modo concedenda; at secundo modo nulla est. Altera in ordine secunda ex verbis Gregorij desumpta sano modo intelligenda: nam Gregorij dictum habet intelligi de qualitate, in qua status cōsistit, quæ non mutatur, nisi mutetur status, & talis est gratia, vel culpa mortalis, qualis enim quis de corpore exit, talis in iudicio apparebit secundum has qualitates, non ergo intelligendum est de ea, quæ statum non mutat, vt venialis culpa. Per hoc idem tacitè Responderi poterit ad illud glosæ super illud prima Canonica Io. quinto. Est peccatum ad mortem, &c. debet enim intelligi de peccato mortali, quod opponitur veniali. Explanata paucis, & enucleata quæstione verbis, altera subsequitur, dum quæritur. An veniale peccatum pęna debeat æterna puniri in damnatis. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum quòd non: & ratio, quæ me

mouet,

mouet, prima est, quia venialia mortali nō videntur peccato æquari. Preterea, Deus iustus est, nec pro eadem culpa dicitur vnum plus, & alium minus punire: cùm ergo in purgatorio veniale non puniatur, nisi temporali pęna: igitur in damnatis pęna æterna minimè punietur. In oppositum extat illud, quòd dicit Iob. In inferno nulla est redemptio, sed si peccatum veniale pęna æterna non puniretur in damnatis, tunc ibi aliqua redemptio esset: igitur, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ est sciendum: quòd veniale peccatum, cùm non inducat mortem, nec tollat gratiam, pro quo aliquis punitur in inferno: vel fuit quò ad culpam in præsenti vita dimissum, vel non; si non, communiter tenetur, quòd pęna æterna in inferno puniatur quò ad durationem. At dicetis, nonne veniale peccatum sine mortali potest dimitti? si sic: ergo pęna æterna non debet puniri. Respondetur, quòd veniale sine peccato mortali benè potest dimitti in statu viæ; at in termino non sic euenit. His ita positis, Nunc ad argumenta Respondendum, & primo ad primũ sic: qđ licet venialia intensiuè peccato mortali non dicantur æquari, attamen secundũ durationẽ sic. vel dicatis, venialia multiplicata, hic nõ dimissa, in damnatis ęqualiter, sicut vnum mortale peccatũ puniri. Quid si vnum tantũ veniale foret in damnatis? ad hoc dicitur, quòd ratione annexi adhuc pęna puniretur ęterna. Ad secũdum argumentũ dicitur, qđ propter status diuersos diuersimodè veniale habet puniri in purgatorio pęna temporali, & hoc ex iustitia Dei: in inferno verò pęna ęternali, & hoc pro iustis causis; atq; diuersis, inęqualiter aliqui puniri dicuntur, semper tamen ex diuina iustitia. Dum ergo iusti in purgatorio pęna tẽporali,

si .. temporaliter puniuntur, & damnati ęternaliter, nulla est iniustitia: at bene esset, si damnati veniali peccato dimisso punirentur ęternaliter, hic ergo pęna finita veniali culpæ debetur: at meritò annexi in inferno alia. vnde authoritas Iob. adducta in oppositum venit intelligenda, de pęna per se peccato mortali debita cui per se infernus ipse debetur, non autem veniali, nisi quatenus culpæ adiungitur mortali. & hęc pro pręsenti.

AN GENERALIS CONFESSIO QVID VALEAT. Lectio CXII.

QVoniam mentio facta fuit de genereli confessione in distinctione superiori, propterea duo alia excitare quæsita in pręsenti decreui, quorum primum, An generalis confessio quid valere dicatur: Insuper. An in quolibet casu peccata sibi confessa teneatur celare sacerdos. Circa primum, viam negatiuam tenentes, arguunt quidam primo sic. Confessio ad peccata manifestanda est ordinata sacerdotibus, quorum iudicio se supponunt peccata confitentes: at per generalem confessionem confitentis nequaquam peccata manifestantur, immò remanent adeò occulta sicut prius, quia in illis, quæ in generali confessione dicuntur, nō est quis, qui non peccet, igitur generalis confessio nihil valet. Vlterius, si valeret, hoc maximè esset ad venialium remissionem, sed non id dici potest, quare nihil valet. Minor vt vobis suspecta sic declaratur, nam si ad vnius dimissionem valeret venialis: ita, & alterius, igitur omnium, vel nullius, non omnium, quia post talem

confessio-

confessionē confitens dicere post et se nullum habere peccatum, quod est contra illud Io: primo. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, &c. igitur ad nullius dimissionem valet. Ex alia parte quia Ecclesiæ consuetudo minimè inanis est: dicendū itaque erit, quòd generalis confessio, quæ fit in completorio, & in prima, & quando sacerdos vult ad celebrandum accedere, vt purior accedat aliquid valeat. Pro dilucidatione huius quæstionis primæ tria supponenda. Primum est, quòd generalis confessio ad meritū valeat: secundum est, quòd ad uenialium dimissionem peccatorum: tertium: quòd ad mortalium oblitorum. Primum patet, quia omnis actus charitate informatus meritorius est; at confessio generalis actus uirtutis est, quia humilitatis, ergo meritorius, supposito, quòd sit charitate informatus. Quantum ad secundum est dicendum, quòd per generalem confessionem, aut homo uenit in specialem noticiam aliquorum peccatorum uenialium, & displicentiam, tunc temporis habet illorum, vel tempore recondatur de dictis, & factis tunc; quo in casu generalis confesio ad talium ualet proculdubio peccatorum dimissionem. At hic notandum, quòd duplex generalis confessio datur, vna sacramentalis, quando quis in secreto sacerdoti confitetur grauia peccata, quorum meminit, & alia uenialia in generali. Alia non sacramentalis, quæ fit coram omnibus in Ecclesia; vt in Prima, vel Completorio. Prima uirtutem uenialia remittendi peccata ex quatuor habet. V. g. ex confitentis contritione, ex confessionis humilitate, ex absoluentis oratione: tandem ex ui clauium. Secunda uerò solùm ex tribus virtutem habere dicitur, at non ex quarto, quia illi sacerdotis non adiungitur absolutio. Quò

ad

ad tertium est dicendum, quòd mortale peccatum, vel est totaliter oblitum eo quia se commisisse peccator non recordatur, vel est in particulari oblitus, non autem in generali, quia se patrasse mortale peccatum optimè nouit, licet quale fuerit ignoret. In primo casu generalis sufficit confessio: quia Deus ab homine non requirit plus quam possit, & ei possibile sit; at ei qui totaliter sit oblitus non est possibilis in speciali contritio, & confessio nisi in generali, quare illi sufficit. In secundo autem casu generalis non sufficit confessio, & contritio, sed conteri tenetur de oblito peccato tanquam de mortali, ex quo recolit illud mortale fuisse, quò ad genus peccati. Debet quoq; de negligentia dolere, propter quam peccatum commissum, est oblitus. Si verò illud sibi succurrat, tunc cõfiteri tenetur in speciali, quia ignorantia cessat, quæ cum speciali peccati confessione prius excusabat. His ita dispositis, ad rationes duas formatas tunc Respondendum, & primo ad primam sic, quòd sola sacramentalis confessio fit, vt per eam innotescat conscientia confitentis sacerdoti, & hoc fieri debet quotiescunquè sit possibile quò ad peccata mortalia saltem; at quò ad venialia nequaquam hoc de necessitate dicitur, quia non cadunt de necessitate sub sacramento confessionis. Generalis autem confessio, quæ fieri consueuit in Ecclesia in Prima, & Completorio sacramentalis est minimè, vnde ei non adiũgitur absolutio: valet nihilominus ad venialium modis quibus alias dictũ fuit deletionem. Ad secundam rationem Respondetur: quòd per confessionem, & contritionem generalem venialia dimittuntur omnia peccata; nisi fortè aliqua in confitentis affectu retenta, & tunc non dicitur simpliciter confessio, & generalis contritio, nec

hoc

hoc aduersari videtur illi Ioannis dicto, quia non intendebat dicere, quia sit momentum aliquod, quo homo esset sine peccato mortali, & veniali, sed quòd vita ista à nullo agitur, quin quandoque in aliquod veniale incidat. Explanato primo dubio, alterum examinandum accedit, nam solet quęri: An sacerdos in quolibet casu celare sibi peccata confessa teneatur? pro parte negatiua ego sic ratiocinor. Magis curandum est de propria conscientia, quàm de alterius fama: at si sacerdos in testem pro peccato aliquo sibi confesso adducitur, & iurare cogitur de veritate dicenda, hoc in casu ne se infamet, videtur, quòd sibi liceat reuelare confessum, non ergo in quolibet casu, quod in confessione audiuit celare tenetur. Deinde, quis per se ipsum peccatũ confessum manifestare potest, igitur illud idem poterit per sacerdotẽ internuncium: quare, &c. In oppositũ se habet illud Innoc. extra de penitentia, & remis. Cap. Omnis vtriusque sexus: caueat sacerdos verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem. Pro determinatione igitur huius questionis secundæ primo est supponendum, quòd confessionis celatio sit ex iure diuino, vti ipsa confessio. Insuper quòd in hoc nullus potest per aliquem dispensari ad penitentis peccatum manifestandum, neque à Papa. Nec id mirum, quia quod est à Christo institutum, ab alio nõ potest mutari, quare, &c. vltimo notandum, quòd de licentia confitentis communiter tenetur, quòd confessor nequeat, quæ in confessione audiuit, manifestare. His ita positis nunc ad argmenta formata respondendum. Ad primum ergo dicitur, quòd sciens quid per confessionem solum, si in testem adducatur, iurareq; cogatur de ueritate dicenda, potest sine conscientiæ

ſcrupulo dicere, ſe neſcire, quia cum loquatur, vt ſubditus (quia coactus non tenetur reſpondere, niſi de his, quæ ſcit, ut ſubditus) verum, quia audiens cõfesſionẽ nulli dicitur ſubditus, niſi Chriſto, cuius uicẽ gerit: iccirco coactus tunc dicere poterit; ſe neſcire, nec mentiri dicetur, quia quodam modo ſcit, & quodam modo non, vt hic homo neſcit: at ut Dei miniſter ſic. Ad ſecundum argumentum Reſpondetur, quòd verum concludit extra confesſionem, aliter non. Inſuper de posſibili ſic; at de conuenienti non: nam dando huic licentiam eſſet in pręiudicium ſacramenti. & hęc pauca vobis ſufficiant pro pręſenti.

SI PECCATA DIMISSA, ETC.
Diſtinctio 22.
Lectio CXIII.

EX quo determinatũ fuit de tẽpore pęnitentiæ, conſequenter Magiſtri propoſitũ eſt, de quibuſdam ſpectantibus ad eius effectũ loqui, id eſt de peccatorũ remisſione. Habita continuatione vna cũ intẽtione his paucis uerbis, nunc diuidi habet Diſtinctio pręſens in octo puncta, in quorũ primò extat dubiũ animaduerſione dignũ. In altero variæ circa hoc opiniones tanguntur. In tertiò excuſat ſe Magiſter ab hac quęſiti propoſiti determinatione. In quartò alterum quęſitum proponitur. In quintò ſoluitur inſtantia. In ſextò cum ſolutione propoſitio. In ſeptimò, & in octauo pręmiſſæ quęſtionis affertur vera ſolutio. Quantũ attinet ad primum, dubitari ſolet. An dimisſis in contritione peccatis, ſi homo poſtmodum

modum confiteri contemnat, vel in pristina peccata, vel in consimilia incidat, peccata prius dimissa redeant. Causa huius difficultatis orta videtur fuisse ex opinionibus diuersis. Quidam enim dicebant peccata semel dimissa per gratiæ perditionem, iterum ad pænam replicari, alijs veris placuit, huiusmodi iterum à Deo peccata non imputari: quare non sine causa, dubitat loco primo Magister, & in secundo puncto circa tale dubium diuersas tangit opiniones, nam quidam dicunt, ea redire, & pro suæ opinionis confirmatione, de seruo nequam parabolam adducunt, à quo vniuersum videtur debitum prius dimissum esse exactum. Preterea Ambr. ait, donate inuicem, si alter in alterum peccat, alioquin Deus repetit dimissa. Gregorius similiter ex dictis Euangelicis ait, quòd si ex toto corde non dimittimus, quod in nos delinquitur, & hoc rursum exigitur, quod iam nobis per penitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Item Aug. dicit: dimitte; & dimittetur tibi: nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid dimiseram replicabo tibi. His ergo testimonijs semel peccata dimissa redire videntur. Aliorum opinio est, quòd ante peccata dimissa non redeant iterum, nisi propter ingratitudinem, propter quam quis reus, vt ante constituitur, ac si pristina peccata redirent. Insuper non videtur iustum, quod quis semel iudicatus, iterum iudicetur, non ergo peccata semel condonata reuerti iterum dicentur. Ad hoc dici potest, quod non propter hoc, bis super eodem peccato quis iudicatur, sed quia non perfectè, pænituit, & ingratus extitit, condignè non persoluendo. Hinc inde diuersis circa presentẽ materiam opinionibus adductis, tertio loco Magister se excusat à determinatione huius questionis relinquens,

eius studium studioso lectori, eo quia vtraque opinionum doctores fauentes habeat. Nos propterea in sequenti quid de hac tenendum sit questione docebimus, & hęc de sectis tribus. In quartò queritur, cum sacramentum sit sacræ rei signum, quid in pęnitentia sit sacramentum, & quid res. Ad hoc vt ipse respondeat quinto loco, ita dicit, quòd exterior pęnitentia est sacramentum, & interior res sacramenti ad mentem aliorum. Hinc sexto instat loco sic. Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant: at pęnitentia non dicitur efficere interiorem, igitur nec erit sacramentum. Solutio secundum eorum opinionem talis datur, quòd sit hoc verum de sacramentis illis, quæ in noua lege sunt instituta, vt baptismus, confirmatio, & Christi corpus: pęnitentia verò non est talis, quia in primis parentibus fuit, & temporibus eorum instituta, sicut & matrimonium. Rursus alio modo instare quis poterit cum Magistro sic. Sacramentum debet pręcedere rem: at exterior pęnitentia interiorem minimè pręcedit: quare, &c. ad hoc respondendum, quòd etiam in aliјs sacramentis sępè res consueuit pręcedere sacramentũ, sicut è conuerso, vt in adultis contritis gratia ante baptismum confertur. His septimo talis addenda venit propositio loco tàm exterior pęnitentia sacramentum, quàm interior dicitur esse. Nec ob id duo sacramenta, at vnum completum. Hinc demum questionis premissæ secundum aliorum opinionem affert Magister solutionem dicendo, qui tàm exteriorem, quàm interiorem vnum autumant sacramentum esse pęnitentiam, idem est, ac si dicerent, non duo, sed vnum, vti species panis, & vini vnum est sacramentum completum. vnde exterior pęnitentia sacramentum est tantum; interior autem res,

& sacramentum; remissio vero peccatorum res solum: & ita tria in hoc sacramento, sicut in alijs sacramentis, inueniuntur. In sequenti dicta Magistri ponderabimus, hęc intantum.

AN DIMISSA PECCATA PER PAENITENTIAM IN RECIDIVANTE eadem redeant. Lectio CXIIII.

QVęstionem illam, quam insolutam dimittebat Magister Sent. hodierna die examinaturi, quatuor faciemus, nam primo dubitabimus. Insuper arguemus; tertio notanda apponemus; quarto, & vltimo argumenta diluemus. Solet ergo queri. An semel dimissa per pęnitentiam in recidiuante valeant eadem redire peccata. Doctores hac in parte loco secundo quidam pro parte affirmatiua in hunc modum ratiocinari vidētur, & primo authoritate Aug. contra Donatistas lib. 1. C. 5. Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio in illo seruo docet, eo quia Dominus dimissum debitum repetijt. Pręterea, vt seruus manumissus per culpam, quam committit in Dominum suum in pristinam seruitutem reducitur, ita à fortiori peccator à seruitute peccati liberatus, per culpam in quam recidiuat, & in Deum peccat, meritò in pristinam peccatorum seruitutē reducitur: quare semel dimissa peccata redire dicuntur. Multa alia solent formari argumenta, quæ omnia de facili diluentur ex positis in tertio puncto. Pro dilucidatione ergo huius arduæ

difficultatis supponendum in primis erit, neque de Dei potentia absoluta, semel peccata per pęnitentiam dimissa eadem numero reuerti; Deo enim authore, vt ait Beatus Aug. nemo fit deterior, neque de potentia ordinaria, quia disposuit Deus pęnitentis peccata post pęnitentiam esse tecta secundum Aug. exponentem illud Psalmi Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Insuper notandum venit, neque de facto, neque de possibili eadem semel dimissa in recidiuante peccata posse redire. Demum est sciendum, quòd semel dimissa peccata redire, quinque habet concipi modis: vel genere, vel specie, vel numero, vel specie pęnæ, vel obligatione pęnæ. His ita positis, vt magis veritas pateat, nobis duas proponemus conclusiones, quarũ prima est, nullo modo eadem numero semel dimissa per pęnitentiam peccata possunt reuerti. Altera conclusio eadem possunt redire peccata in specie, vel peccati, vel pęnæ quò ad obligationem. Nunc argumeuta formata diluantur, & erit finis presentis nostri sermonis. Primum ergo de illa parabola intelligatur de pęna, quæ exigitur à seruo illo, qui noluit dimmittere conseruo suo, quæ fuisset exacta ab eo propter principale delictum, & ita quantum ad pęnam id est concedendum. Ad secundum argumentum dicitur, quòd manumissus seruus propter ingratitudinem in pristinam reducitur seruitutem, non ex causa pręcedente, sed ex noua, nec in eandem cum priore numero, sed in similem: & ita eodem modo per sequentem culpam sequentem pænitentiam, reducetur homo in peccati seruitutem, non vt sit seruus, nisi ex actibus sequentibus, quare eadem numero dici minimè poterit; sed pręcedenti similis, & hoc meritò suæ ingratitudinis, quæ

ingratitudo nil aliud est, quàm obliuio beneficij cum contemptu, vt puta quando est locus, & tempus agendi gratias, & recognoscendi: & sic speciale peccatum est sub omissione. Secundum Bernardum ingratitudo est hostis gratiæ, inimica salutis, quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo: vnde ingratus ille, qui virtutibus plenus Deum omnino non nouit. ab alijs sic ingratitudo describitur, quòd sit actus omissionis, qui tribus fieri solet modis. Vno modo omittendo laudare eum, cui obligati sumus. Secundò malum pro bono reddendo. Tertiò infamando eum, siue diffamando, à quo bona recipimus. & hęc pro pręsenti sermone satis.

DE CAVSA ABSOLVTIONIS.
Lectio CXV.

VErsaturus in pręsenti, ad vberiorem doctrinā eorum, quæ dicta sunt in calce pręedeclaratæ distinctionis à Magistro Sent. circa absolutionē, quatuor perpendam, scilicet causam effectiuam, materiam susceptiuam, formam debitam, vel completiuam, tandem verba significatiua. Primo consideranda venit causa absolutionis effectiua, nam causam absolutionis à culpa duplex est, scilicet principalis, & effectiua instrumentalis, ac dispositiua altera. Prima causa absolutionis Deus est, qui principaliter, & effectiuè, & propria authoritate omnia peccata remittit: Isa. xliii. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. ratio autem cur solus Deus principaliter peccata dimittat, & absoluat, multiplex dicitur: prima est propter confidentiam erigendam. Secundo

cur di propter infinitam Dei omnipotentiam ostendendam, quia infinitum est peccatum, ideo infinita potentia requiritur, tertio propter Dei noticiam intimandam, quarto, & ultimo propter Dei presentiam exprimendam. Nam presentia summi boni omne malum excludit. Secunda causa instrumentalis absolutionis à culpa est ipse sacerdos, qui non effectiuè absoluit à culpa; sed virtute clauium instrumentaliter, & dispositiuè. vnde sacerdos vi clauium in confessionem gratiam non efficit, & ex consequenti à culpa non absoluit; at bene confitens in confessione, & absolutione disponitur ad hoc, quòd ei gratia infundatur, & à culpa absoluatur, si obicem non ponat. Est tamen sciendum, quòd sacerdos in absolutione, vt instrumentum operatur non mortuum, vt securis, at viuum, & animatum. Et hęc de primo puncto. In altero materia susceptiua congrua consideranda venit, nam sacerdos virtute clauium à mortali culpa, nec non à pœna aliqua temporali absoluit; non tamen à pœna æternali. quòd autem à mortali culpa absoluat per illud Io. patet. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. grandis certè, inquit Gregorius, honor, sed graue pondus istius est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ. At fortè dicetis, finita virtus effectum minimè infinitum producere potest, non igitur sacerdos à culpa, quæ infinita est, dicitur absoluere. Respondetur ad hoc, finitum, vt finitum, non posse agere in infinitum, vt principale agens; at, vt instrumentale principalis agentis, benè potest. Primo modo currit ratio; at secundo modo nulla est. Rursus dicetis vos: solus Deus peccata dimittit igitur: Nullus alius. Respondetur, quòd dictio illa exclusiua nõ excludit instrumentum

ab

ab operatore. vnde solus Deus peccata remittit principaliter, & effectiuè, & propria virtute; at sacerdos ministerialiter. Solus ergo Deus per modum authoritatis; per modum verò ministerij sacerdos. Insuper solus Deus efficit gratiam, dum effectiuè operatur ad culpæ remissionem, sacerdos verò dispositiuè. vnde, licet nequeat ad interiorem mundiciam creatura creatori cooperari effectiuè; saltem dicetur posse cooperari dispositiuè. Quare in proposito, quia pœnitentia non efficit gratiam, nihilominus per huiusmodi pœnitentiam homo ad hoc, quòd ei gratia infundatur, disponitur: & hęc pro secundo secto. In tertio declaratur forma debita, vel propria, vel completa sacramenti pœnitentiæ, quæ verba respicit illa; ego te absoluo. Sed hic notetis varias inueniri circa formam huius sacramenti opiniones. Nam quidam existimant, nos debere vti verbo deprecatiuo dicentes, quodcunq; petieritis esse soluẽda, erunt soluta; sed hęc est falsa opinio, quia habens claues non solùm rogat, vel petit, sed à peccato soluendum soluit. Multæ aliæ extant opiniones falsæ, quas recensere uelle nimis longum foret. Sit ergo hęc uera forma, ego te absoluo, &c. pro cuius confirmatione extat consuetudo Ecclesiæ, quæ non potest errare. Insuper illud Mathęi xvi. tibi dabo claues regni cęlorum, &c. at ingenio pollentes uideo, vos dubitare sic. Qui non ligat, ñon soluit: sed sacerdos non ligat, igitur nec dicere debet, ego te absoluo. Respondetur, quòd hoc facit sacerdos per ministerium, quod Deus per propriam authoritatem, ac directè gratiam apponendo. vnde sacerdos tanquàm Christi minister soluere dicitur à peccato, sacramentum gratiæ exhibendo; Insuper ligare non apponendo, vel non prębendo. Pręter hoc quidem

dem ligat, quando ad pęnam, quam iniungit, obligat: ſoluit quoque à pęna, quam in parte dimittit. & hęc de punctis tribus. In quarto, & vltimo verba formæ ſignificatiua conſideranda ſunt: duplex enim circa abſolutionis formam, ego te abſoluo, eſt opinio. Quidam enim opinantur, quòd dum dicitur, ego te abſoluo, idem ſit, ac ſi diceretur, ego te abſolutum oſtendo; ſed intellectus iſte falſus eſt, quia hoc modo in ſacramento nouæ legis non eſſet, niſi oſtenſio, vel ſignificatio; at hoc eſt falſum, quia nõ ſolùm figurant, ſed efficiunt. Dimittatur itaque huiuſmodi, vt futilis, & falſa opinio. Dicatis vos interim, quòd horum verborum germanus ſit ſenſus, ego te abſoluo: ideſt ſacramentum, vel miniſterium abſolutionis tibi impendo, vel confero. At fortè arguetis, quòd temerariè dicat ſacerdos, ego te abſoluo, ideſt ſacramentum abſolutionis confero, cum ſibi incertum ſit, an confitens interius abſolutus ſit. Reſpondetur ad hoc, quòd quamuis incertus ſit ſacerdos, num confitens à Deo ſit abſolutus, nihilominus aſſertiuè dicit, ego te abſoluo, quia certus eſt, quòd ſacramentum ei tribuit, quod peccatum remittere, & viuificare poteſt. Nam in eo gratia cõfertur, & culpa remittitur. Deinde ex ſignis confitentis de illius contritione iudicat: propterea aſſerit dicendo, ego te abſoluo. Benedictus ergo Deus, qui talem poteſtatem abſoluendi dedit ſuis ſeruis. & hęc ſatis.

DE SACRAMENTO VNCTIONIS EXTREMAE.

Distinctio 23.

Lectio CXVI.

EX quò de sacramento ingredientium, siue intrantium, vt puta de baptismo, determinauimus: Insuper de confirmatione, de Eucharistia, & pęnitentia, quæ sunt progredientium sacramenta: Nunc consequenter agendum est de vnctione extrema, quæ sacramentum exeuntium dicitur. Diuidatur itaque pręsens distinctio in punta sex. In quorum primo ponitur conclusio. In altero pro insinuatione vnctionis extremæ tangitur materia. In tertio notandum. In quarto institutionis causa. In quinto huius sacraměti ad alia conformitas. In sexto, & vltimo quęsitum cum determinatione. Quò ad primum ita Magister fatur. Extremæ vnctionis infirmorum, quæ fit in oleo consecrato per manus Episcoporum, tria genera sunt secundum mentem Doctorum. Pro cuius insinuatione secundo tangitur loco vnctionis extremæ materia, quæ est oleum per Episcopum cǒsecratum. Ex his tertiò genus triplex vnctionis colligitur. Est enim vnctio quędam principalis, quæ fit chrismate, & oleo scilicet mixto balsamo: & tali vnctione vnguntur Reges, & Pontifices in capite; confirmandi autem in fronte, & baptizandi in vertice. Datur alia vnctio, qua cathecumeni inter scapulas vnguntur. Tertia verò vnctio est illa, qua vnguntur infirmi. Prima vnctio nec est sacramentum, nec aliquid sacramentale, quia nec per se gratiam causat, nec ad aliquod sacramentum suscipiendum, vel perficiendum ordinatur. Secunda

ſacramentalis eſt; ſed non ſacramentum, quia ſcilicet ad ſacramentum ordinatur. Tertia, & vltima propriè ſacramentum eſt, & vnctio extrema, ſiuè ſacramentum, ſicut nomen ſonat, quia poſt id aliud non ſperatur. vnde ſolùm infirmis, & pericoloſe ægrotantibus, ita quòd de vita eorum deſperetur, debet dari, & ideo quandiù probabiliter ſperatur de euaſione, non debet dari, & eſt per ſe vltimum, per accidens tamen, vt ſi cõualeſcit, poteſt eſſe poſt ipſum aliud; at dicetis, quòd nam diſcrimen eſt inter has vnctiones prędictas? Reſpondetur, quòd primæ duæ ſimplici oleo fiunt benedicto, De inſtitutione autem huius ſacramenti nil quarto loco dicam, quia hoc Dominus Ieſus Chriſtus inſtituit per ſe, ſicut & omnia alia, nam ab eo virtutẽ, & efficaciam habent, & dum dicitur; hoc ſacramentũ fuiſſe inſtitutũ ab Apoſtolis, vti velle videtur Magiſter in texu; dicatis hoc intelligẽdũ fore inſtrumẽtaliter, & executiuè nõ principaliter, & authoritatiuè. & cũ dicitur, q̃d nõ legitur in Euãgelio, hoc nihil obſ'a', ſunt etenim multa alia, q̃ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur p ſingula, nec ipsũ, arbitror, mundũ poſſe capere. Cauſa verò inſtitutionis huius ſacramẽti duplex fuiſſe dicitur, iuxta duplicẽ ſanitatẽ, ſcilicet animæ, & corporis, vt in ſequenti magis abundè patebit. poſt hęc quinto loco huius ſacramenti conformitas ad alia ponenda: etenim in hoc ſacramento eſt aliquid, quod eſt ſacramentum tantum, vt exterior vnctio, & aliquid, quod eſt res ſacramenti, vt vnctio interior, ideſt peccatorum remiſſio, & virtutum appoſitio, & ideo ſacramentum hoc contemnere, vel negligere periculoſum eſt. His omnibus ſexto loco queſitum additur tale; An hoc debeat, & poſſit ſacramentum reiterari. Primo aſpe-

ctu

ctu si voluerimus intueri D. Aug. mentem dicemus, quod non. Nam iniuriam sacramento facit, qui sacramentum reiterat, non ergo, &c. ad hoc velim respondeatis dicentes, quòd Aug. tantùm de tribus loquitur sacramentis, scilicet de baptismo, confirmatione, & ordine, quæ nullo modo iteranda sunt. Alia verò iterari possunt, vt Eucharistia, pęnitentia, & matrimonium: quare unctio etiam iterabitur, si morbus iteretur. Dum enim morbus iteratur, non secus, & medicina; sed unctio etrema est, vt medicina; quare si si morbus iteretur, nec non, & medicina, idest unctio extrema. & hęc de tota distinctione.

DE EXTREMA VNCTIONE. Lectio CXVII.

NE, vt mus super farinam, videar velle dicta Magistri Sent. pertransire, operępretium esse duxi, septem in presenti de unctione extrema proponere enodanda. Quorum primũ sacramenti unctionis respicit materiam. Alterum formam. Tertium ministrum. Quartum effectum. Quintum eos, quibus sit hoc sacramentum dandum. Sextum partes corporis, in quibus fieri debeat. Tandem: An debeat iterari. Quò ad primum: materia sacramenti extremæ unctionis est oleum oliuarum ab Episcopo benedictum. & ratio, quare oleum oliuarum sit huius sacramenti materia, dicitur Christi institutio: qui istud fieri in oleo instituit, quando Apostolos misit oleo ungere infirmos, & sanare eos. & huic concordat promulgatio beati Iac. qui dicit: infirma-

tur

tur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto. est hic sciendum: quod quando in scripturis simpliciter oleum inuenitur, intelligi debet de oliuarum oleo, quoniam illud simplex est: alia autem non: sed inuenta fuerunt propter illius olei defectum, sicut oleum nucum, oleum lini, & similia, vel propter aliquam medicinam, vt oleum amygdalarum, vel laurinum, & similia. Quare tale oleum huius sacramenti materia, & non aliud. Confirmari hoc idem potest ratione proprietatis huius olei, quæ est, dolorem mitigare: ideo in vulneribus poni consueuit; & quia huius sacramenti effectus spiritualem dolorem, & corporalem mitigare est, vt infra dicetur: hinc oleum hoc, sanctificatum ab Episcopo, congrua materia extremæ unctionis: & hęc de primo pũcto. In altero detegitur extremæ unctionis forma, quæ respicit verba à sacerdote sic prolata. Per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, auditum, &c. sed hic sciendum: quod differentia est inter formas aliorum sacramentorũ, & istius: quia formæ aliorum sunt indicatiuæ, vt intuenti patet discurrendo per singulas formas: at forma istius sacramenti optatiua est, vt suscipienti patet. At dicet quis: quare in forma sacramenti huius magis utitur Romana Ecclesia optatiuo verbo, quam in alijs formis? dicendum est: quod ideo quia, vt patebit infrà, istud sacramentum non debet dari, nisi morti propinquis: qui iam in recessu sunt: & ideo, sicut moris est, quòd illis, qui sunt in recessu optetur salus: ita forma ista Ecclesia recedentibus ex hac vita optat salutem. & hęc de forma. Nunc tertio agendum venit de huius sacramenti

menti

menti ministro. Nam solus, & non alius debet dici minister presbyter, ad quem Christi corpus dispensare pertinet. Nec est instantia de baptismo, quia baptismus est maximæ necessitatis, ideo expedit, quod ministrum maximè communem habeat. At dicetis: num vnus debet esse presbyter, vel plures? mihi equidem videtur quod ex authoritate allegata plures debeant esse: quia dicit presbyteros in plurali. D. Thomas in presenti ait: quod si non possint haberi plures, sufficit vnus cum ministris: ita tamen quod semper presbyter inungat, verbaq; dicat. & si antequam perfecerit, moriatur, vel aliter impediatur, alius perficere debet illud, quod remanet perficiendum, scilicet sacramenti residuum extremæ unctionis. Consequenter oratio dirigatur nostra ad huius sacramenti effectum. Sicut enim euenit in infirmitate corporali, ita suo modo debet esse in infirmitate spirituali. In infirmitate autem corporali sic est, quod posito, quod aliquis curatus sit ab infirmitate, adhuc remanet in eo aliqua corporalis debilitas proueniens ex pristina infirmitate: & ideo duplici medicina eget. vna, quæ sit ægritudinis sanatiua, vel expulsiua, & alia, quæ sit debilitatis, quæ remanet, reparatiua. Sic est spiritualiter: nam spiritualis infirmitas est peccatum. vnde Psal. in persona peccatoris: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam cōturbata sunt ossa mea. Medicina illius infirmitatis sanatiua pęnitentia est: at postquam homo sanatus est ab ista infirmitate, adhuc remanet in eo debilitas quędam spiritualis, contra quam istud sacramentum ordinatur. vnde effectus istius sacramenti est sanatio istius spiritualis debilitatis. Est insuper alius effectus, quia per ipsum peccata veni-

alia

alia, & etiam mortalia oblita remittuntur, & gratia habita augetur, & noua confertur, si tamen dignè suscipiatur. Datur alius effectus ex consequenti, & est sanitas corporalis, si sit expediens animæ suscipientis: quæ omnia per authoritatē Iac. inductam probantur. Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus à languoribus suis, & si in peccatis sit remittentur ei. Quinto loco, quibus debeat hoc sacramentum dari, videndum, vt ergo ex prædicta authoritate colligitur, non videtur dari debere, nisi infirmis: quia dicitur: infirmatur quis ex vobis. Non tamen quibuscunque infirmis, sed solùm illis, qui sunt in periculo, & morti propinqui: qui cum deuotione ante petierint istud sacramentum, posito etiam quod sint phrenetici. Cum etenim istud sacramentum sit sacramentum exeuntium, dari propterea non debet, nisi exeuntibus, vel illis, qui iam parati sunt ad exitum ab hac vità. Quibus verò in partibus corporis istud fieri debeat sacramentum, sexto loco speculandum est. Purgata igitur materia, debet medicina applicari particulæ patienti: quare peccati materia iam per pœnitentiam purgata, sacramentum hoc, quod medicina est contra debilitatem derelictam, membris applicari debet. Quæ sunt sensuum organa, per quæ morbus in animam intrat. vnde inungi debent oculi, aures, os, pedes, & renes de hoc sacramento. Ita quod ad oculos dicatur, Per istam sanctam unctionē, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum. Ad aures, per auditum. Ad os, per gustum. Ad nares, per odoratum. Ad pedes, per gressum. Ad

renes, p ardorē libidinis: premittendo in singulis, Per istā sanctam unctionem. At dicetis: quid de ceco à natiuitate, qui non peccauerit per visum, vel etiam de surdo à natiuitate, qui non peccauit per auditum, vel de claudo, qui non peccauit per gressum, nunquid in illis debent inungi membris? Respondetur, quod sic. Quia licet cecus non peccauerit videndo: forte tamen dicetur peccasse visum inordinatè appetendo. Idem dico de surdo, & claudo. Arbitror insuper: quòd, quamquam aliquis membra non haberet, vt puta oculos, vel alia, in quibus fieri solet unctio: nihilominus in illis debet inungi locis circumuicinis ob rationem paulò ante dictam. Denique rimandum est: An sacramentum istud iterari debeat. Mihi apertè videtur esse dicendum, quòd sic, tū quia homo ad mortem multotiens potest infirmari: tum etiam quia in isto non character imprimitur sacramento. & hec de pollicitis satis.

AN EXTREMA VNCTIO SIT SACRAMENTVM.
Lectio CXVIII.

Percurrere volentes predeclaratam distinctionem, de more quesita premittemus duo, quorum primum. An unctio extrema sit sacramentū. Insuper: An oleum consecratum per Episcopum huius sacramenti materia censendum. Quantum attinet ad primum: audeo ad partem negatiuā declinando in hunc modum ratiocinari primò. Sacramenti principalis effectus spiritualis esse debet, quia remedium spirituale est: at unctionis extre-

mæ effectus corporalis, vt ex Iacobi authoritate colligitur : nõ ergo sacramentum dici debet. Deinde : quòd unum non est, neque sacramentum est : at unctio extrema vnum non est , quia plures requirit presbyteros, siue ministros : nec materia una, sed plures, neque una forma numero, quia pluries replicatur. Quare unctio extrema non unum dici poterit sacramentum. Ex alio latere , si vnctio extrema sacramentum non esset, exeuntibus de hoc mundo minime daretur : at in subsidium uitæ spiritualis confertur: sacramentum igitur. Pro determinatione huius questionis primæ, duo supponenda : vnum vergit ad sacramentum, quia unctio extrema sacramentum esse supponitur. Alterum verò ad eius effectum, qui est culpæ dimissio. Quibus sic positis, ad formatas de facili respondendum erit rationes. Dicamus itaque ad primam : unctionis extremæ duplicem assignari posse effectum : vnum principalem : alterum accidentalem : siue vnum ex antecedenti, alterum ex consequenti. Si primo modo nulla est ratio : si secundo modo habet cõcedi : sed tunc nihil contra nos concludit. Ad secundam dicitur : ex concursu illorum plurium fieri vnum vnitate perfectionis. & hęc de primo dubio. Solet quęri secundo. An oleum consecratum sacramenti huius materia sit. Mihi, quod non, apparet : nam balsamus est : non ergo &c. antecedens patet, quia hoc sacramentum hominem ad incorruptionis gloriam ordinat, at talis incorruptio per balsamum magis representatur, qui cũ oleo in chrismate ponitur, quã simplex oleũ : conuenientior ergo materia Chrisma. Pręterea : baptismi sacramentum dignius est unctione extrema : sed ad baptismum non requiritur materia consecrata : igitur neq; ad hoc sacramentũ oleum

consecra-

consecratum: quare malè Magister. In contrarium se habet illud Iac. Propterea pro decisione tria supponenda. Primum est: quod oleum est conueniens materia huius sacramenti. Secundum est: quod illud debet esse consecratum. Tertium est: quod illa consecratio fiat per Episcopum. His tribus præsuppositis, ad argumenta primum: quod incorruptio gloriæ non est res contenta in hoc sacramento: nec per sacramentum immediatè facta: & ideo non oportet, quod materiæ sanctificatio ei correspondeat: propter quòd non expedit balsamum imponi in huius sacramenti materia: quia balsamus propter odorem famæ claritatem designat, qua minimè egent exeuntes de hoc mundo; at solum conscientiæ nitore, quæ sufficienter per oleum designatur. Ad secundum similitudo neganda venit de baptismo, & extrema unctione: quia sicut non est de necessitate baptismi, quòd minister sit ordinatus: ita consecratio materiæ non dicitur de baptismi necessitate. è contrario verò in sacramento vnctionis extremæ euenit: vt dictum est.

AN VNCTIONIS EXTREMAE PROPRIVS MINISTER SIT SACERDOS.

Lectio CXIX.

PRedeclaratis quæsitis duobus alia duo in præsenti addenda: quibus explanatis ad subsequentem properabimus distinctionem. Quæritur ergo primò: An sacramenti unctionis extremæ proprius minister sit ipse sacerdos. Insuper. An sanis dari, conferriq; possit hoc sacramentum. Quantum ad primum:

pro parte negatiua sic arguitur. Huius sacramenti forma deprecatiua est, vt patet ex verbis Iacobi, orent super eum: at deprecatio boni laici plus videtur valere, quàm sacerdotis mali: igitur laicus bonus magis hoc sacramentum ministrare poterit, quàm malus sacerdos. Preterea: solus Episcopus huius sacramenti minister esse videtur, quia solus ipse chrisma consecrat: non ergo proprius huius sacramẽti minister ipse sacerdos. In oppositum se habet illud Iacobi. Indicat p̃sbyteros Ecclesiæ, &c. Pro decisione ergo huius difficultatis primæ tria videnda: primum est: An aliquis non sacerdos dispensator esse possit huius sacramenti. Insuper: An omnis sacerdos, An solus Episcopus. Tertium est: quali forma debeat vti huius sacramenti minister. Quantum ad primum: dicitur, quòd nullus laicus sacramentum dispensare potest, nisi maximæ necessitatis sit, sicut baptismus: at vnctio extrema non sic se habet: ergo. Quò ad secundum dicitur: quod nõ solum Episcopus, quia sacramentorum administratio sibi non reseruatur, nisi illorum tantum, quæ constituunt suscipientem in aliquo gradu semper populum: vt V.g. sunt ordo, & confirmatio. Tertium iam patuit superiùs: & ideo his positis, ad argumenta forma nunc respondendum, & primò ad primum: quod habet concedi de oratione priuata, quæ meritis personæ priuatę innititur, & ideo melior esse potest, si fiat à laico, qui bonus sit, quàm si fiat à malo sacerdote. At oratio publica, quæ fit à ministro Ecclesiæ, & meritis Ecclesiæ innititur, dici debet melior oratione priuata cuiuslibet priuatæ personæ: sic primum ruit argumentum. Ad secundum Respondetur: quod vsus chrismatis in confirmatione pertinet quidem ad solum Episcopum, qui gradus

per

per confirmationem acquiritur super communem populum: at per olei vsum in vnctione extrema talis non acquiritur gradus: & ideo eius dispensatio omni conuenit sacerdoti: non autem soli Episcopo. Declarato iam primo quęsito, superest secundum, dum quæritur. An hoc sacramentum sanis dari debeat. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quod sic. Nam vt omnibus Ecclesiam intrantibus confertur baptismus. Ita vnctio extrema omnibus dari debet exituris: at aliqui citò exituri, vt decapitandi: quare his debet dari. In oppositum extat illud Iac. dicentis. Infirmatur quis ex vobis, &c. Pro decisione tria illa superius declarata supponenda. Primum est: quod omnibus hoc sacramentum debeat dari infirmis. Insuper, quod in determinatis partibus. Tertiò, quod aliquando reiterari possit. His ita positis, ad instantiam primo loco adductam de facili erit respondere: quod intrantes Ecclesiæ statum nullum aliud remedium habent, nisi baptismum: & ideo omnibus tàm sanis, quàm infirmis, tàm pueris, quàm adultis communis esse debet. At exituri de vita p̄senti, si sint sani, remedium aliud scilicet pęnitentiæ habent: ideo vnctione extrema, quæ quasi pęnitentiæ in supplementum est, minimè egent. Infirmi verò tali remedio indigent: quare ipsis solum hoc sacramentum est conferendum. & hęc de his, quæ circa explanatam poterant excitari distinctionem satis.

DE

DE ORDINIBVS, ETC.

Distinctio 24.

Lectio CXX.

SVperius de sacramentis, quæ ordinantur ad vnius personæ remedium, determinatum fuit: hìc verò de sacramentis in totius Ecclesiæ remedium ordinatis agendum, & primò de sacramento ordinis, quod ad Ecclesiæ gubernationem, nec non spiritualem multiplicationem ordinatur. In præsenti itaq; sermone tria contemplabimur: numerum ordinum, & causam primò. Tonsuræ clericalis quidditatem secundò. Ostiarij, & lectoris ordinem tertiò. Quantum ad primum: septem dicuntur gradus esse, siue Ecclesiastici ordines: scilicet ostiarij, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, & sacerdotes, quorũ omnia officia Christus in semetipso ostendit: & Ecclesiæ hos ordines seruandos reliquit. Sunt autem septem propter septiformem Spiritus Sancti gratiam: cuius gratiæ, qui non sunt participes, ad gradus Ecclesiæ indigni accedunt: qui verò priusquam ad hos gradus accedant, hanc gratiam habent, in promotione ipsa ampliorem accipiunt: ex quo huius sacramenti patet effectus. Hi autem ordines ob sui dignitatem dignos requirunt ministros. Ex quo suscipientium conditio patet. & hęc de primo puncto. In altero de clericali Tonsura agendum, quæ hos precedit ordines. Tonsura ergo propriè loquendo non est ordo, sed benè ad ordinis susceptionẽ dispositio secũdum Ricar. Ordo enim sacramentum est: at Tonsura non, sed quid sacramentale: & signum, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur,

scilicet,

*scilicet, vt hoc signo in religione vitia resecentur, & crinibus car-
nis nostræ, quasi criminibus exuamur, atq; inde innouatis sensibus,
vt comis rudibus, enitescamus. vnde corona illa clericalis regalem
dignitatem significat. Quia verò in summitate capitis nudatio fit,
hinc mentis erectionem ad Deum per contemplationem significare
dicitur. Cuius vsus initium à Nazareis habuit: quorum ritus
Paulus, & Christiani imitati sunt. Omnes verò in ordinibus
constituti clerici vocantur, quia in sortem Domini, & heredita-
tem sunt admissi. Cleros enim gręce sors, vel hereditas latinè dici-
tur; vel quia omnes diuino seruitio sunt mancipati. Postea de his
ordinibus sigillatim tractandum tertio loco est: vbi ab ostiarijs in-
cipiendũ: qui sunt primi inter ordinũ gradus: de quibus quatuor
considerabimus. Figuram primò. Nam in veteri sunt figurati te-
stamento per ianitores: qui templum custodiebant, ne in illud im-
mundus ingrederetur. Secundò nominis rationem siue officium.
Nam ostiarij dicuntur: quia ostij templi præsunt: vt dignos reci-
piant, indignosq; excludant. Tertiò ordinandi modum: quia in
eorum ordinatione eis claues dantur ab Episcopo cũ verborum
forma determinata, scilicet: Agite tanquam Deo rationem reddi-
turi pro rebus, quæ clauibus recunduntur istis. Quartò institutio-
nem: quia Christus hoc exercuit officium, quando vendentes, &
ementes de templo eiecit. vnde & ipse dixit. Ego sum ostium. &
hęc de ordine primo. De secundo verò ordine Lectorum consequē-
ter loquuturus sex tangam. Nominis rationem primò. Nam à le-
gendo dicuntur: qui etiam pronunciatores vocantur; quia procul
auditorum aures eorum vox adimplet. Secundò officium: quoniam*

ad

ad eos Prophetias, & Psalmos legere, & eadem populis prędicare pertinet. Tertiò ordinandi modum. In ordinatione enim librum diuinarum lectionum ab Episcopo accipiunt cum certa verborum forma: scilicet Accipe, & esto uerbi Dei prolator: habiturus, si fideliter adimpleueris, partem cum his, qui benè Dei uerbum administrauerunt. Quartò conditionem: quia, qui ad hunc ordinem assumitur, scientia literarũ instructus esse debet: & distinctè legat: ita vt sic auditoribus prodesse possit. Quintò institutionem: quia hoc officium Christus adimpleuit, quando legit Esaiæ dictum: Spiritus Domini super me: vt habetur Lucæ vi. Vltimò prefigurationem: quia prefiguratum, & nunciatum fuit hoc officium in Prophetis, quibus dicitur clama, ne cesses: quasi tuba exalta uocem tuam. & hęc de pollicitis satis.

DE ORDINE EXORCISTARVM. TEX. Lectio CXXI.

DVos in hesterna lectione aperiebamus ordines, quorum primus ostiarij, alter lectoris. Nunc quatuor alij dilucidandi, vt quamprimum finis imponatur huic distinctioni. Diuidatur ergo presens sermo in secta quatuor, iuxta ordines enodandos quatuor. Quorum primus exorcistarum est, de quibus quinque determinanda. Nominis ratio primò. Nam dicuntur exorcistæ, quasi adiurantes. Officium secundò: quoniam ad eos pertinet per exorcismos suos Demones ab obsessis fugare. vnde spiritibus immundis imperantes, mundi esse debent. Tertiò ordinandi modus:

modus: quia exorcismorum librum ab Episcopis recipiunt, cum verborum forma determinata: scilicet Accipite, & potestatem imponendi manus super energuminos, & cathecuminos habetote. Hic notetis, quod energumini illi dicuntur, qui obsessi à Demonibus mẽtis sensum perdiderunt. & dicti ab en, quod est intus: & erge, quod est labor: & mene, quod est defectus: & noys quod est mens: quasi intus laborantes ex defectu mentis. Quartò institutio: quoniam Dominus hoc officio usus est, quando saliua oris sui tetigit aures, & linguam surdi, & muti, & multos alios Demoniacos sanauit. Quintò figura: quia à Salomone videtur ordo iste primitus descendisse: qui quendam exorcizandi modum inuenit, quo Demones adiurati ab obsessis pellebantur cordibus. vnde hoc officio mancipati exorcistæ apud Iudeos sunt vocati: & hec de primo puncto. In altero accedit acolythorum ordo declarandus, qui quinque continet consideratione digna. Primũ respicit nominis rationem. Nam Acolythi dicũtur grecè, & Ceraforarij latinè, eo quia cereos portent ad letitiæ signum demonstrandum, & ad verum lumen figurandum, scilicet Christum. Secundò officium. Nam ad eos luminaria portare pertinet, & preparare, subdiaconisq; ministrare in vrceoli vini, & aquæ preparatione pro Eucharistia. Tertiò ordinandi modum: quia candelabrum cum cereo, & vrceolo in ordinatione accipiunt. Quartò institutionem: quoniam Christus hoc fuit officio vsus, cum dixit: Ego sum lux mundi. Quintò figuram: quia huius figura precessit in veteri testamento, in his, qui lucernas candelabri continebant. His tertiò addendus venit subdiaconorum ordo: de quo consideranda sunt quatuor. Primò nominis

minis ratio. Nam subdiaconi dicuntur: quoniam diaconorum subiacent preceptis. Hi in veteri testamẽto sunt figurati per Nathinneos: de quibus dicit Paral. Esdra, quod erant ministri leuitarũ. vnde Nathinnei dicũtur, quasi Domino in humilitate seruientes: quod subdiaconis conuenit: qui sunt leuitarum ministri. Secundò officium: quia calicem, & patenam portant, propter quod munditiam habere debent, vt illud impleant: Mũdamini, qui fertis vasa Domini sacerdotibus: & leuitis ministrant, ornamentorumque altaris curã specialem habent. Tertiò ordinandi modus: quoniam patenam, & vacuum calicem accipiunt, & vrceolum cum aqua, & manutergium. Quartò institutio: quia Christus hoc officio dicitur vsus fuisse: quando lintheo se precinxit: & mittens aquam in peluim discipulorum pedes lauit, & lintheo tersit. Tandem vt sermo noster presens claudatur, nunc loquendum est de ordine Diaconorum: qui in sexto loco ponitur ad perfectionem, quæ in eis esse debet. De quibus per ordinem quinque consideranda. Primò nominis ratio: quia de tribu Leui nomen traxerunt: hinc Leuitę dicuntur, Grecè verò Diaconi, & ministri. Secundò officium: quia ipsis sacerdotibus in sacramentorum dispensatione assistunt, atque ministrant: noui enim testamenti officium predicandi habent. Similiter Leuitæ, quia leuo humero stolam portant, nec nõ huius presentis vitæ labores. Tertiò institutionis Diaconi conditio. Apostoli enim elegerunt septem viros plenos Spiritu Sancto. vnde septem esse solent in Ecclesiis principalibus: qui etiam per septem Angelos tuba canentes in Apocalypsi significantur. Quales autem esse debeant, Apostolus ad Timotheum docet: quia anteq̃ ordinentur

probari

probari debent, vt scilicet sic ministrent nullum crimen habentes. Quartò ordinandi modus: quia Episcopus in ordinatione manum eis imponit. Nam & Apostoli Diaconibus, quos elegerũt oratione premissa manus imposuerunt. Ponit etiam stolam supra leuum humerum. Insuper Diaconi textum Euãgelij in ordinatione accipiunt. Quintò, & vltimò institutio: quia hoc officio Christus vsus fuit, quando post cenam sacramentum sui corporis, & sanguinis discipulis dispensauit: & quando Apostolos dormientes ad orationem inuitauit. & hec de pollicitis dicta sint satis.

DE PRESBYTERIS.
Lectio CXXII.

LOquuntur hodierna die de septimo ordine, scilicet p̃sbyterorum, quatuor principalia ponderabimus. Primò sex circa ordinem hunc. Secundò differentiam horum ordinum adinuicem. Tertiò ordinis quidditatem. Quartò notandum: & ita uigesima quarta claudetur Distinctio. Quantum ad primum: pro intelligentia ordinis presbyterorum sex perpendenda. Nominis ratio primò. Dicuntur enim presbyteri, idest seniores, propter honorem, quem acceperunt, & dignitatem. Insuper sacerdotes, vel quia sacra dant, vel quia in sacris duces sunt: vel quia sanctificant. Antistites etiam dicuntur, quia ante alios stare debent, nec non morum prudentia, & conuersationis maturitate in populo precellere. Insuper officium. Nam ad sacerdotes sacramentum corporis, & sanguinis conficere pertinet; orationes dicere, donaque Dei

benedicere. Tertiò ordinandi modus. Nam eis in ordinatione manus inunguntur: patenam cum hostijs; calicem cum vino accipiunt: stolamq; vtrunq; latus quæ continet: quia contra aduersa, & prospera armis iustitiæ induti, siue muniti debent esse. Quartò figura: quoniam hic ordo in filijs Aron figuratus fuit, & lxxii. discipulis, quos ipse Christus designauit: quorum vices presbyteri in Ecclesia tenent. Inter Apostolos tamen vnus extitit Princeps scilicet Petrus: cuius successor est Pontifex summus, qui etiam Papa, idest Pater Patrum dicitur. Quintò conditio. vnde Apostolus ad Timotheum, qualis eligi debeat presbyter, docet: vbi nomine Episcopi presbyterum designat. Sextò officium: quia Christus vsus est tali officio in ara crucis, quando se ipsum obtulit. vnde fuit ille sacerdos, & hostia, quando post cęnam panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum mutauit. & hęc de secto primo: in quo sex illa pręmissa considerata sunt. In altero horum ordinum differentia tangitur. Nam quidam sacri dicuntur, & quidam non: ex quo differētia patet: & hęc pro puncto secundo. In tertio quod, quid est ordinis, ponitur his verbis. Ordo est quoddam signaculum, quo, & per quod spiritualis potestas, seu officium ordinato tribuitur. & ibi ponitur potestas quo ad ordines propriè dictos: officium verò quo ad ordines communiter dictos. His tribus pręde claratis, addi quartum potest notando tali contentum. Quędam nomina dantur: quæ non ordinē, sed dignitatem, vel officium nominant: sicut Episcopi, Pontifices, Archiepiscopi, & Metropolitani. Episcopus enim, aut Pontifex ille est: qui alijs intendere habet. vnde Episcopus dicitur à scopin gręcè, quod latinè intendere dicitur.

Insuper

Insuper grecè Episcopi speculatores vocantur: eò quod in Ecclesia Dei habeant speculari mores, & vitam populorum infra se positorum. Pontifex est princeps sacerdotum, quasi via sequentium: ipse enim summus sacerdos nuncupatur, quia sacerdotes, & leuitas efficit. De ordine verò Episcoporum nil dicam, quia, vt omnes norunt, quadripartitus est: scilicet in Patriarchis: Archiepiscopis: Metropolitanis, & Episcopis. Patriarcha grecè summus Patrum interpretatur: quia Apostolicũ tenet locum. Archiepiscopus verò summus est Episcoporum: & dicitur ab archos, quod est princeps. Metropolitanus à mensura ciuitatum, quibus preminet. Sint ergo ministri Christi maiores, qui precellunt ordinis dignitate optimæ vitæ, vt plebs eis commissa eorum imitatione semper proficiat. & hęc de tota distinctione.

AN ORDINANDI IN MODVM CORONAE HABEANT TONSVRARI.

Lectio CXXIII.

PRemissa huius vigesimæ quartæ distinctionis interpretatione, singula ferè dicta Magistri rimaturi, quęsita pro presenti proponemus tria. Quorum primum; An clerici coronandi. Insuper; An corona debeat sacramentum dici. Tertiò; An in coronæ susceptione fiat temporalium abrenunciatio. Quantum ad primum: extant rationes quędam in oppositam partem se habentes: quarum prima desumitur ex Hier. Cap. 49. vbi comminatur Dominus his, qui in comam attonsi sunt: non ergo ordi-

nandi

nandi corona ornandi. Preterea: Paulus ad Gal. Cap. vltimo sic ait. In Christo Iesu, nec circuncisio aliquid valet, neque preputium, sed noua creatura. Nihil ergo capillos in lege noua tondere proderit: quare ordinandi nequaquam tonsurandi. Deinde: illud, quod est signum stultitiæ, clericus non videtur conuenire, sed ea tantum, quæ honestatis, & sanctitatis sunt: non ergo, &c. quod autem ita sit, patet: quia aliàs stulti signaculo coronæ consueuerunt signari: clerici igitur minimè debent tonsurari. Ex alio latere consuetudo Ecclesiæ in oppositum se habet. Nam hoc signo coronæ ordinandos consignare consueuit: quare, &c. His ita positis, rationes formatæ de facili ruent. Nam prima desumpta ex Hier. habet intelligi de illis huiusmodi tonsuras obseruantibus ad Demonum cultum, non autem ad cultum diuinum. Iure ergo illis Dominus minabatur. Altera, quæ ex verbis Pauli ad Gal. formabatur intelligenda venit, quantum ad iustificationem primò, & per se: at non quantum ad distinctionem. Remotio itaque capillorum hoc secundo modo facienda, non primo modo. Tertia ratio, & vltima, qua dicebatur, quod corona stultitiæ signum sit: hoc habet concedi coram mundo: at non corã Deo. vnde Paulus ad Cor. Nos stulti propter Christum. Clerici ergò ordinandi signaculo coronæ coronandi. Exposita iam questione prima altera accedit, dum queritur; An huiusmodi corona, quæ fit clericis, sacramentum nuncupanda sit. Mihi prima fronte, quod sic, videtur: nam est sacræ rei signum, vt puta eleuationis mentis ad celestia: igitur, &c. Preterea in spiritualibus corporalia fieri solent propter spiritualia: talis ergo capillorum consignatio propter signationem spiritualem fiet: sed

sed signum exterius, cui correspondet interius, sacramentum dicitur: in clericis ergo sacramentum corona. In oppositum se habet Ecclesia septem gradus distinguens, quos omnes corona antecedit: non igitur in aliquo ordinis gradu ponenda: quare nec sacramentum. Nunc argumēta soluenda, & primò primum: quod sic venit intelligendum. Quod corona sit signū distinctionis, non collationis alicuius potestatis spiritualis. Vel dicatis: coronam quidem esse signum, sed non efficax rei signum: quoniam quid aliud preter distinctionis signum amplius non addit, idest spiritualem potestatem. Ad secundū argumētū vt respōdeatur, ita dicendū erit: corporalia fieri ꝓpter spiritualia bifariā cōcipi posse: vno modo ꝓpter spirituale officiū: alio modo ꝓpter aliquid aliud, quod ibi figuretur. Corona fit ꝓpter spirituale figuratiuè: at nō collatiuè: & hoc, quia ibi non cōfertur aliqđ spirituale officiū: quare corporalia quādoque fieri dicentur in signum collationis spiritualis potestatis, & quandoque in signum figurationis, sed non collationis. Explicatis hactenus duobus quesitis: tertium, & vltimum pro presenti accedit sub his verbis. An in susceptione coronæ temporalium abrenunciatio fiat. Pro parte affirmatiua ita ratiocinandum. In tali coronæ susceptione solet dici: Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. Clericus ergo Dei hereditatem petens in susceptione coronæ temporalia debet abrenunciare. Preterea: Hugo de S. Victore ita fatur. Aliam terram non debet clericus nisi Deū habere, & ea, quæ ad Deum spectant: non itaq; bona temporalia, siue possessionem: quare in susceptione coronæ abrenunciatio facienda, ad Dei hereditatē habendam. Ex

alia

alia parte multis in locis videtur colligi posse: clericum temporalia bona habere posse. Nam Hierem. qui fuit de ordine sacerdotali in principio dixit, Ananael posside agrum meum. Ergo. Pro determinatione huius difficultatis tertiæ velim vos scire: nec de iure diuino, nec humano ad temporalium abrenunciationẽ clericum cogi: at de bono, & æquo sic. vnde abrenunciare perfectionis quidem est, sed non necessitatis. His præmissis, nunc ad formatas rationes quid dicendum sit, accipite. Verba etenim primæ rationis adductæ dupliciter intelligenda sunt: vno modo quantum ad rationem dimissionis, ac priuationis iuris, ita vt ius suum dimittat, ac iure suo priuetur: alio modo ratione affectus: primò modo illa verba Dominus pars hæreditatis meæ, &c. non sunt accipienda: at secundò modo sic: quare ratio ruit. Altera ex Hugone excerpta hoc modo similiter intelligenda, scilicet quantum ad affectum, nõ quo ad ius proprium: loquendo de clericis sæcularibus. & hæc pro præsenti.

AN ORDO SIT SACRAMENTVM. Lectio CXXIIII.

Hodierna die circa distinctionem istam quæsita alia duo proponemus: quorum primum ad ordinem pertinebit: alterum verò ad numerum ordinum. Quo ad primum: quæri solet. An ordo sacramentum sit. Insuper. An septem tantum sint ordines. Circa primum versantes quidam in hunc modum argumentari solent. Vnum non est sacramentum: ergo neque sacramentum. Assumptum patet, quia ordines sunt plures. Præterea: sacramen-

mentum. Assumptum patet, quia ordines sunt plures. Preterea: sacramentum spirituale medicamentum dicitur: at ordo non sic: ergo. Minor patet: quia sanis, non infirmis conferri debet: quare, &c. ex alio latere, si sacramentum non esset ordo, homo non fieret sacramentorum dispensator per talem ordinem; at fit: ergo. Ad euidentiam presentis questionis, significata diuersa premittemus ordinis. Nam datur ordo parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens, qui dispositio dicitur secũdum Aug. xix. de Ciuitate Dei. A Bonauentura verò ordo triplex ponitur: scilicet secundum potentiam; secundum antecessionem, & secũdum originem. Ordo secundum potentiam dicitur, quorũ vnum superius est ad inferius: & hoc dupliciter esse potest: vel in loco: vel in dignitate. Qui nimine in diuinis cadit. Ordo autem secundum antecessionem dicitur esse eorum, quorum vnum est altero prius, & hoc dupliciter: aut quia antecedit duratione siue tempore, aut prius naturali intelligentia, siue cognitione: & hic ordo non est in diuinis, quoniam equalitatem, & simultatem talis ordo tollit, quorum vtrunque in diuinis perfectum est. Ordo autem secundum originem, siue secundum emanationem producentis est ad productum: & iste est in diuinis: quia ibi est producens, & productum. Quandoque etiam Ordo solet summi pro modo viuendi Religiosorũ: quo modo plures esse dicuntur ordines, vt sancti Francisci, &c. His additur ordo naturæ ad suum effectum? de quibus hic nos loqui nequaquam intendimus, sed de ordine vt est sacramentum. His itaque in hunc modum positis, ad formatas rationes nunc Respondendũ. & primo ad primum sic: quod ordo sit vnum sacramentum vnitate perfe-

 ctionis:

ctionis: nec mirũ, si plura concurrant, quia ordinata sunt ad vnius perfectionem. Ad secundam rationem dicitur: ordinis sacramentum spirituale medicamentum esse, non illius, qui ordinem suscipit, quia sanus esse debet: attamen est communitatis: quia per ordinem efficitur homo dispensator sacramentorum, per quæ gratia spiritualis confertur. At dicetis: Scotus nonne dicit: quod Ordo propriè loquendo, non est sacramẽtum? si sic: quo modo ea, quæ dicta, erunt vera? Respondetur: quòd sacramentum, si sumatur pro sensibili signo, hoc modo ordo cum sit gradus spiritualis sacramentum non poterit dici. At sumentes sacramentum pro signo inuisibili, hoc modo sacramentũ dicetur. Explanata quęstione prima, altera accedit de numero ordinum, quęritur enim. An septem tantum. Quo in ordinum numero diuersificantur Doctores canonistæ, & Theologi. Nam canonistæ dicunt, q̃d sunt nouem, scilicet Psalmistatus, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Ep̃atus. & ratio fortè ista est, quæ Doctores canonistas mouet: quia in quolibet ordine specialis potestas, vel officium traditur: ergo ibi ordo specialis. Doctores verò Theologi multi tenent, quod non sunt nisi septem, quia ponunt, quod Psalmistatus nõ est ordo, nec etiam Episcopatus. Quorum motiuum septiformis Spiritus Sancti gratia est. Arguunt pręterea, pro confirmatione opinionis primæ quidam sic dicentes: in cęlesti hierarchia sunt ordines nouẽ: ergo, & in pręsenti debent poni nouem, quia Ecclesiastica hierarchia à cęlesti exemplata dicitur. Pro dilucidatione huius quęsiti viam communem sequentes, septem ordines esse dicemus, non plures. Quo stante ad rationes

formatas

formatas leuè erit respondere:. Pro intellectu ergo primæ, velim vos memoriæ hanc triplicem ordinis distinctionem tradere. Ordo enim tripliciter capitur. vno modo vt est nomen officij, & sic Psalmistatus dicitur ordo. Secundò modo, vt est nomen dignitatis, & sic Episcopatus ordo dicetur. Alio modo, vt est nomen cuiusdā specialis potestatis: & sic non sunt nisi septem tantum. & isto modo iura, & opiniones Doctorum concordari poterunt. Ratio ergo primo loco formata, vt paulo ante, dixi intelligatur; at nō secundo modo, quia tunc septem tantum. Quorum numerus sufficienter sic potest haberi. Nam omnis ordo, ideo dicitur ordo, quia ad Christi corpus ordinatur, prout in Eucharistiæ sacramento continetur. Potest ergo, vt dicit beatus Aug. magis de propinquo ordinari ad hoc sacramentum, vt puta ad Christi corpus consecrandum, & sic est presbyteratus: vel ad dispensandum, & ecce Diaconatus, cuius antiquitus erat Christi sanguinem dispensare. Vel ordinatur ad materiam, de qua conficitur, presbytero presentandam, vel preparandam, & sic est Subdiaconatus, cuius officium est hostiam, & calicem cum vino, & aqua ad altare preparare. Vel ordinatur ad huiusmodi materiam ad altare apportandam, & sic est Acolythatus: cuius est pyxidem cum hostia, & vrceolos cum vino, & aqua ad altare portare. Vel ordinatur ad Diabolum effugandum, ne homines à susceptione huius sacramēti impediantur: & sic est Exorcista, cuius est Demones adiurare. Vel ordinatur ad dignos admittendum, & indignos excludendū: & sic est Ostiariatus, cuius est ostium Ecclesiæ custodire, ne inimici intrent, idest indigni. Horum aūt ordinum quidam minores vocantur, & non sacri, scilicet,

Lectoratus, Ostiariatus, Exorcistatus, Acolythatus. Alij tres, sz. Subdiaconatus Diaconatus, & Prebyteratus maiores, et sacri vocãtur. Nunc superest secunda ratio diluenda de cęlesti hierarchia, à qua licet Ecclesiastica dicatur exemplata, non tamen eam in omnibus imitari potest: & sic ruit allata ratio, finiturquè pręsens noster sermo.

DE ORDINATIS AB HAERETICIS.

Distinctio 25.

Lectio CXXV.

D*Eterminabamus superius de sacramento ordinis: consequenter nunc agendum de conferentibus, & suscipientibus hoc sacramentum. Diuidatur ergò presens distinctio in secta quinque principalia. Quorum primum respicit quęsitum: Argumenta ad vtranque partem alterum: Propositionem tertium: Simoniacæ heresis triplicem distinctionem quartum: Suscipientes sacros ordines vltimum. Quantum ad primum: queri solet. An sacramenta ab hereticis secundum formam Ecclesiæ celebrata sint vera, & rata nec ne. Insuper. An heretici ab Ecclesia pręcisi, sacros ordines conferre possint. Iterum. An ab eis ordinati debeant reordinari? hanc quęstionem tanquam ab alta specula cernens Magister Sent. difficilem admodum, ac perplexam esse fatetur, propter Doctorum diuersitatem circa eam diuersa opinantium. Quidam enim ad partem declinant negatiuam: alij verò ad partem affirmatiuam, vt in secundo intelligetis secto. Pro parte negatiua*

gâtiua extat opinio Gregorij prima ita dicentis: Arrianorum cõsecrationem sacrilegam esse: nõ ergo hęretici possunt ordinare, nec ab eis ordinati in suis ordinibus suscipiendi, sed tantum ad laicam communionem, dixerunt quidam. Altera opinio fuit Cypriani, qui dixit. Sacramenta hęreticorum inania, & sacrilega esse. Hieronymus quoque dicebat. Quæ offeruntur ab hereticis contaminata esse, & Deo odibilia. Leo Papa similiter opinabatur idem dicendo non esse rata sacrificia extra Ecclesiam, nec vera. Altera subsequitur opinio contraria primæ, quæ videtur sustinere: ordines ab hęreticis tradi posse: & ordinatos ab eis iterum ordinandos minimè esse. D. enim Aug. dicere videtur, quòd sicut ius baptizandi habent, ita & ordinandi. At hic notetis: hereticos quidem ius baptizandi habere, sed ad sui perniciem: catholici verò ad salutẽ. Pręterea: Gregorius dicere videtur pro confirmatione huius opinionis secundæ: ordinatum semel nunquam reordinari debere: ergo, &c. cum itaque hinc inde diuersæ extent circa difficultatem hanc propositam opiniones, vt ex prędictis de facili colligi potest: quid tenendum perplexus apparet Magister. Dicamus ergo nos: Hęreticos pręcisos, nec non Episcopos Simoniacos ordines posse conferre, nec non sacramẽta alia: seruata tamen Ecclesiæ Sanctæ Romanæ debita forma. Sed dicetis nonne huiusmodi vt pręcisi ab Ecclesia, extra Ecclesiã esse dicuntur? Responderi ad hoc potest: quòd sic, & quod non corporaliter quidem verum est: at intentionaliter minimè: intendentes facere, quod Sancta Romana Ecclesia intendit. Nec etiam extra Ecclesiam, quò ad potentiam, esse dicuntur: nã remanet in eis potestas, characterq; animæ impressus,

&

& indelebilis. Quòd si non intendant id, quod docet Ecclesia Sancta, tunc temporis illorum irrita, & vana erunt sacramenta ab eis collata, & sacrilega, tum respectu malæ intentionis, tũ etiam respectu effectus, qui nullus esse dicetur. His duobus punctis tertium addendum hac propositione contentum. Pro collatione sacrorum ordinũ dantes, & accipientes pecuniam Simoniaci sunt, & pro tali delicto ambo eadem debent pęna puniri, vnde Simoniaci propriè emptores dicuntur à Simone mago denominati. At ex dictis dubitabitis vos dicentes, quid agendum, de ordinatis à Simoniacis ignoranter? ad aures Magistri Sent. dicitur, quòd misericorditer in ordine habeant sustineri. Enodatis hactenus tribus punctis. Quartum accedit, quòd triplicem Simoniacæ hęresis complectitur distinctionem. Quidam enim dicuntur Simoniaci Simoniacè à Simoniacis ordinari. Quidam alij Simoniaci Simoniacè à non Simoniacis. Tertij verò, qui non Simoniacè à Simoniacis ignoranter ordinati misericorditer tolerandi. Vltimò determinat Magister de suscipientibus ordines quantum ad ętatem, dicens: quòd Subdiaconus ante decimum quartum annum, Diaconus ante xxv. annum, Presbyter ante trigesimum annum ordinari non debet loquendo secundum consuetudinem vetustiorem sacrorum Canonum.

DE SIMONIA.
Lectio CXXVI.

IN *expositione premissæ distinctionis de multis sermo fiebat, vt puta de hereticis, pręcisis, atque Simoniacis: quorum duo prima,*

prima aliàs cum ſint ſatis abundè dilucidata: iccirco in preſenti noſtro ſermone ſolum circa tertium verſabimur: agentes primo de Simonia: deinde de Simoniaco. Quantũ ad primum: Paulus Corteſius, Dominus Prepoſitus, & alij Doctores verba de Simonia facientes, conſueuerunt finire Simoniam per actum interiorem, & exteriorem ſic dicentes. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale: vel ſpirituali annexum. Qua in diffinitione quinque notantur. Primum ibi voluntas: quæ vt habetur apud Ariſt. lib. ſecundo de anima, dupliciter accipi poteſt: vno modo pro ipſa potentia: Alio modo pro ipſo actu voluntatis. Primo modo in allata finitione non debet ſumi, quia ſic de ſe bona eſt: ſed pro actu voluntatis. Omne enim peccatum actu voluntatis comittitur. Inſuper ſecundum ibi notatur: ſtudioſa, ideſt deliberata: vt enim peccatum ſit mortale, & damnatione dignum, rationis deliberatio requiritur. Tertium ibi: emendi, vel vendendi, vbi actus exterior tangitur. Quartum ibi: ſpirituale, quod tripliciter capitur: eſſentialiter, vt gratiæ, & virtutes: cauſaliter: vt ſacramenta actualiter, ſeu effectiuè vt predicare, corrigere, viſitare, orare, celebrare, & huiuſmodi, qui actus ſpirituales ſunt. Quintum ibi: ſpirituali annexum, quòd dicitur dupliciter. Vno modo vt à ſpiritualibus dependens: vt habere Eccleſiaſtica beneficia. Secundò modo dicitur ſpirituali annexum: quia ad ſpiritualia ordinatur: ſicut ius patronatus, quod ordinatur ad preſentandos clericos ad beneficia, & ſacra vaſa, quæ ad ſacramentorum vſum ordinantur: & ſic patet, quod quid eſt Simoniæ. At dicetis: libenter ſciremus, quotuplex ſit Simonia. Reſpondeo:

quod deplex est: vna mentalis non expressa, quæ minimè punitur ab Ecclesia. Altera expressa, quæ foro ipsius Ecclesiæ quo ad pęnā subiecta est. Ab hac cauere debent homines, & maximè ministri Ecclesiæ, ne in mortale peccatum incurrant, tentantes spiritualia pro temporalibus vendere: ne cum illis in perditionem sit pecunia. Ob id nego minimè: ministros aliquid temporale posse recipere pro labore: dignus enim est operarius mercede sua. At intuitu commodi principalis, si bona spiritualia conferantur Simonia committitur. & hęc de puncto primo. In altero de Simoniaco agendum. Nam à Simonia Simoniacus quis dicitur, vitio Simoniæ laborans. & talis de iure excommunicatus est, vt vult Gerson tractatu de Simonia. Qui ergo nolunt Simoniaci dici: sint procul à munere triplici, scilicet à manu, à lingua, & ab obsequio. Nam in talibus respectus ad munera siue à manu, &c. erit Simonia. Quæ quā maligna, nostis. Nam tentat, quod suum non est, neq; in sua potestate vendere maledictus Simoniacus: inde de facili in hęresim incidit: ob quam ęternali pęna dignus fit. Rogitemus nos igitur Deum, vt tantum sapere tribuat intellectui nostro: ad hoc maledictum Simoniæ vitium maximè euitandum. & hęc satis.

AN OMNIS EPISCOPVS ORDINES CONFERRE POSSIT.

Lectio CXXVII.

E*Xaminaturi prędeclaratam distinctionem ad aures Theologorum de illis primo, qui ordines conferre possunt verba facienus:*

faciemus: Insuper de impedimentis contingere valentibus circa ordines. Quo ad primum: solent nonnulli percontari, & quęrere: An omnis Episcopus ordines possit conferre. Insuper; An puer, vel mulier ordinari possint. Quantum ad primum, negatiuè sic primò arguitur. Instrumentale agens non videtur agere, nisi principali sit agenti coniunctum: at hęreticus Christo minimè vnitus, quia infidelis: non ergo Episcopus, si sit hęreticus, & ab Ecclesia pręcisus ordines sacros conferre poterit. Insuper huiusmodi, vt hęreticus, &c. à peccatis quem nequit absoluere: igitur nec ordines conferre. Consequentia clara est: quia promouere aliquem ad ordines plus dicitur esse, quàm absoluere. Quare, &c. Pro determinatione huius difficultatis primæ, tria supponenda sunt: primum est: quod omnis Episcopus omnes valeat ordines conferre. Secundum est: quòd Eucharistiæ sacramentum in specie queat conficere. Tertium est: quòd ex ordine Episcopali, habeat ex officio omnium, vt primò supposuimus, administrationē sacramētorum. His ita cōstitutis, quid dicendum sit ad rationes formatas, audite. Nam prima currit de intentione speciali Episcopi hęretici, & ab Ecclesia pręcisi. At si de intentione Ecclesiæ voluerimus loqui, tunc dicendum: quod formata prima ratio sit nulla. Nam licet principali agenti non sit vt instrumentale agens coniunctum: attamen ratione fidei Ecclesiæ dici poterit Christo vnitum: intendendo, quod Sancta Mater intendit Ecclesia, & iubet facere. Altera ratio neganda, nec sine causa. Nam non est simile de ordinatione, & de absolutione à peccatis, & à sententijs: posse enim alium ordinare, Episcopo dicitur conuenire, ratione consecrationis Episco-

palis: quæ nec amittitur, nec amitti videtur per quamcunq; culpam, siue sententiam: propter quod Episcopus hęreticus, & ab Ecclesia pręcisus alium ordinare poterit: sed à peccatis, & à sententijs, Episcopo absoluere non conuenit: nisi ratione curæ, vel iurisdictionis, quæ per superiorem potest auferri: quare similitudo nulla dicitur fuisse argumenti formati secundi. & hęc de prima quęstione. Nunc superest, vt loquamur de impedimētis, quæ circa ordines contingere possunt. Quęritur ergo; An mulier, vel puer ordinari queant. Pro parte affirmatiua quidam in hunc modum ratiocinari solent. Quæ sunt eiusdem speciei, actiones quoque eiusdem agentis recipere poterunt: at vir, & mulier, puer, & adultus sic se habent: ergo, &c. Pręterea: nonne ad idem tendit illud, quod dicitur de diaconissa? ergo, &c. Ex alio latere quia ordinibus dicitur officium docendi annexũ esse: sed pueris, & mulieribus non conuenit docere: pueris quidem ob rationis defectum: mulieribus propter interdictum Apostoli Tim. ii. Mulierem docere in Ecclesia non permitto: neque dominari in virum: quare, &c. Pro decisione huius secundi quęsiti est sciendum: ordinis sacramētum sex necessaria requirere: sexum scilicet virilem. vnde mulier non dicitur susceptibilis ordinis: non enim, vt vult Ricardus mulier debet tonsurari: turpe enim est (inquit Apostolus) mulieri tonderi. Viri itaque solum sunt ordinandi. Requiritur & baptismus pręcedens, qui etiam est fundamentum cęterorum sacramentorum. vnde si aliquis non baptizatus ordinaretur, nihil reciperet. Insuper potestas ordinantis, quia qui non est Episcopus, ordines conferre minimè potest. Rursus intentio recta, vt scilicet ordinatus

tus intendat facere, quòd facit Ecclesia. Preterea materia, seu sacramentũ, vt libri traditio, & similium cum forma verborum. Deinceps tempus, & ętas secundum aliquos. vnde paruuli excluduntur ratione defectus ętatis, & rationis, licet quidã opinentur, quòd ętas sit de congruitate, non autem de necessitate huius sacramenti. Scotus tenet, & benè: quod puer non habens discretionem, ordinis sacramentum non potest recipere: quia talem gradum nequit cum debita reuerentia recipere. His ita positis, ad duo formata prius argumenta nunc Respondendum: dicamus ergo, primum habere veritatem, quando agens ex necessitate naturæ agit: at non quando voluntariè, vel vt instrumentum agentis voluntarij, sicut est de illo, qui sacramenta ministrat. Nam non agere dicitur, nisi secundum formam impositam à principali agente. Ad secundum dicitur: quod Canones vocant Diaconissam non ab ordine Diaconatus, sed à benedictione: quia illi cõpetit legere Homeliam in matutinis, non autem Euangelium in missa, vel ministrare circa altare, vt Diacono conuenit. Hinc discite obiter: quod canon Presbyterã vocat viduam, quæ res quasdam Ecclesiæ habet custodire, vt suo loco dicemus. & hec pro presenti.

AN SPIRITVALIA VENDERE SIT LICITVM. Lectio CXXVIII.

DE Simonia licet multa superius sint à nobis dicta: pro maiori tamen eorũ intelligentia, adhuc duo in presenti inquirenda. & primò. An spiritualia temporali precio

vendere, vel emere liceat. Deinde; An Simonia tribus illis committi dicatur modis consuetis: videlicet per munus à manu, à lingua, & ab obsequio. Quantum attinet ad primum: arbitror esse dicendum, quod sic. Nam Regnum cęleste spirituale est, & licitè emi potest: ergo spiritualia, &c. antecedens patet authoritate Gregorij dicentis: Regnum cęlorum tantum valet, quantum habes: ergo. Pręterea: nonne orationes publicę, & priuatę, nec non Ecclesiasticum officium spiritualia sunt? certè sic: at pro his licitè temporalia accipiuntur: temporali itaq; precio spiritualia emi poterunt. Denique actus spiritualis prophetizare est, & prędicare, & huiusmodi alia facere: atqui pro his temporalia accipi consueuerunt: ergo, &c. Ex alio latere Gregorius in oppositum se habet in registro? quare, &c. Pro decisione huius difficultatis primę supponendum erit primò: quod nunquam de iure, nec licitè spiritualia vendi possint, nec emi. Talis enim venditio de se illicita est, & Simoniaca: quare, &c. de facto verò hac in parte nil dico: quia hoc modo per essentiam spirituale minimè vendi potest. Quo stante argumenta adducta facillimè ruent. Nam primum ex Gregorij authoritate desumptum habet intelligi nō propriè loquendo, sed impropriè. Propriè enim Regnum cęlorum non venditur, quia Deus nil recipit à nobis: at dicimur illud bonis mereri operibus: quod meritum vocat Gregorius emptionem, vt iam diximus impropriè. Ad secundum dicitur primo intuitu pro spirituali temporale non esse accipiendum: at secondario scilicet pro sustentatione quid temporale sic: quare si primo modo sumatur argumentum nullum dici debet: at secundo modo, sic. Ad tertium potest dici:

quod

quod munera bonis exhibeātur prophetis magis ad ſuſtentationem eorum, vt liberè ſpiritualibus vacare poſſint: quàm ad prophetiæ munera emendum. & hęc pro queſtione prima. Altera accedit dum queritur. An illis tribus prenominatis modis Simonia committatur. Mihi ſanè aſpectu primo videtur, quod nō: vt enim ſuperius diximus ſola voluntate cōmittitur: ergo. Deinde: Simonia traxit originem, nec non denominationem à Simone: at ille ſolam pecuniam obtulit: quare dicendum: quod p ſolum munus à manu Simonia committatur. In oppoſitum extat illud, quod Vrbanus Papa dicit: & in decretis habetur: vbi tres ſupranominati modi conſueti expreſſè Simoniæ cauſa dicuntur, vt puta munus à manu: à lingua, & ab obſequio. Pro Reſpenſione ſciendum: q́d Simonia, vt eſt peccatum, ſola voluntate committitur abſque quocunq; exteriori opere, ſicut & cętera peccata. Nam omne peccatum eſſentialiter in actu voluntatis conſiſtere dicitur: at talis Simonia iuris pęnā nō inducit, quia ſola pęnitentia purgatur. Simonia verò quæ iuris pęnā inducit illis tribus fieri dicitur modis: ſcilicet p munus à manu, à lingua, & ab obſequio. His ita poſitis, ad rationes p parte negatiua formatas nunc reſpondendū. Prima. n. eſſentialiter loquēdo habet cōcedi formata ratio: quo modo Simonia, vt peccatū ſola voluntate cōmittitur. At vt iuris pęnā inducit negatur: quia ſic illis tribus fieri habet modis. Altera ratio corruit ſi in ſpecie conſideretur: at cōmuniter bona. Licet ergo emptiones, & venditiones cōmunius fiant mediante pecunia: poſſunt etiam fieri alijs modis, qui per pecuniam poſſunt compenſari. & hęc pro pręſenti. In ſequenti Deo fauente vigeſimā ſextā in ordine aggrediemur diſtinctionem.

DE

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Distinctio 26.

Lectio CXXIX.

AGebamus superius Nobilissimi Audit. de ordinis sacramento, quod ad Ecclesiæ spiritualem multiplicationem pertinet. Consequens modo est verba facere de matrimonio ad naturalem multiplicationem spectante, & diuidi habet tractatus iste in quinque partes: in quarum prima agitur de matrimonio in se. In altera de eius causa efficiente. In tertia de eius fine. In quarta de eius bonis. In quinta, & vltima de eius causis materialibus, vt puta personis contrahentibus. Pars prima durat à principio istius distinctionis vsq; ad vigesimam septimam, de qua suo loco agendum. Nunc versaturi circa primam, quinq; perpendemus iuxta illa, quæ nobis in presenti pollicetur Magister Sent. conclusionẽ primò; Probationẽ secundò; Notandum tertiò; Quorundam errorem cum reprobatione quartò. Propositionem cum probatione quintò. Quo ad primum: sit hęc conclusio. Coniugij sacramentum (sicut & alia sacramenta) à Deo est institutum. At in paradiso ante peccatum solum ad officium, vt genus non pereat humanum. Secundariò verò in remedium. Ad quam secundo loco conclusionem probandam, ita dicemus. Tunc temporis fuisse institutum, quando Adam dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis: & caro de carne mea. Postea in remedium, vt Matth. 19. dicitur. Quos Deus coniunxit, homo non separet: in remedium inquam, scilicet contra concupiscentiam, dum illam refrenat, vt medicamẽ-

tum: vel vt carnis vitium cohiberetur, vt inquit Palud. vnde Apost. ait. Vnusquisque habeat suam vxorem propter fornicationem: & per hoc matrimonium dicitur ab alijs differe sacramētis: quia sex alia sunt instituta solum in remedium: at matrimonium non solum in remedium, verum etiam in officium fuit institutum. Duplex ergo eius institutio. Differt autem prima, vt norunt periti à secunda: quia prima fuit facta in paradiso: secunda extra paradisum. Rursus prima ad officium naturæ multiplicandæ: secunda ad remedium concupiscentiæ. Deinde prima fuit in necessitatis præceptum: secunda verò voluntaria à tempore multiplicati generis humani. & accipienda est secundum indulgentiam: pro cuius intellectu tertio accedit loco de indulgentia notandum. Nam hoc nomen indulgentia tripliciter sumi posse videtur. Quandoque enim pro remissionem: quandoque pro concessione: deniq; pro permissione, vt in proposito: nam coniugium indulgetur, idest conceditur, nec talis coitus prohibetur. His quartò accedit error quorundam peruersorum nuptias damnantium, & detestantium, contra quos sic insurgit Magister Sent. dicendo. Taceant in hoc errore perniciosè perseuerātes Tatiani sic appellati. Coniugium enim res bona est, quia à Deo institutum. In cuius rei signum in Cana Galileæ nuptijs interfuit Christus, easque miraculo commendauit aqua in vinum conuersa. Qui etiam postea virum dimittere vxorem prohibuit, nisi fornicationis causa. Insuper Apost. ait: Virgo non peccat, si nubat. Constat ergo rem bonam esse matrimonium, alioquin non esset sacramentum. Tandem ponenda venit hęc propositio. Electorum Ecclesia, nō solum iungitur Christo spiritualiter,

sed

ſed etiam verè, & corporaliter. Pro cuius inſinuatione eſt ſupponendum: quod coniugium ſit ſacramentum, & ſacrum ſignum rei ſacræ ſcilicet coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ in conformitate naturæ, & vnionis in charitate. Quæ duo matrimonium carnali copula cõſummatum perfectè ſignificant. Eſt tamen matrimonium perfectum: in quo conſenſus eſt animorum ſine carnali copula, licet quidam auſi ſint dicere, quod non. Num verò res ita ſe ſe habeat, quid Aug. dicat, audite: ait enim ipſe, quod in nuptijs plus valet ſanctitas ſacramenti, quàm fecunditas ventris. vnde ſolet coniugium dici ſignum ſpiritualis coniunctionis, & animorum dilectionis, qua inter ſe coniuges vniri debent. vnde Apoſt. ait: Viri diligite vxores veſtras, vt corpora veſtra. & hęc ſatis.

DE MATRIMONII MVLTIPLICI CONSIDERATIONE.

Lectio CXXX.

IN gratiam prędictorum, inutile minimè erit hodierna die tria contemplari. & primò quotuplex ſit matrimonium. Inſuper quot modis nuptiæ ſumantur. Tertiò; An matrimonium ſit ſacramentum. Quo ad primum: Matrimonium triplex eſſe dicitur (vt ſcribit ſanctus Bonauentura) quoddam eſt initiatũ, quoddam ratum, quoddam conſummatum. Matrimonium initiatum illud dicitur: quod initiatur deſponſatione de futuro: ratificatur deinde in conſenſu de pręſenti, & conſummatur in copula carnali Matrimonium ratum illud dicitur: quod inſeparabile eſt. Matrimonium

monium verò consummatum illud, quod consummatur, vt paulo ante diximus, in carnali copula. At dicetis: audiuimus aliàs dari matrimonium legitimum, & non ratum, insuper ratum, & non legitimum, tandem legitimum, & ratum: quęso nobis hęc aperias. Dico ergo; illud esse matrimonium legitimum, & nõ ratum, quod legali institutione, vel prouinciæ moribus contrahitur, quod tamen separabile dicitur. Ratum verò matrimonium, & non legitimum illud est, quod fuit contractum inter fideles, qui sacramentum baptismi susceperunt contemptis solemnitatibus, quæ adhiberi debent secundum Ecclesiæ consuetudinem, & Patriæ morem, vt matrimonium clandestinum: quod tripliciter dicitur. Vno modo quia contrahitur sine pręsentia testium. Alio modo, quia non adhibitis solemnitatibus consuetis, quamuis contractum sit in pręsentia testium. Tertio modo, quando fit sine pręmissa denuntiatione. Hic tamen notandum: clandestina prohiberi matrimonia secundum Ric. & Concilium Tridentinum. Tandem matrimonium legitimum, & ratum illud dicitur; quod est contractum inter fideles, qui baptismi sacramentum susceperunt, & non sunt illegitimæ personæ ad contrahendum, & solemnitates debitas secũdum Ecclesiæ consuetudinem, & Patriæ morem adhibuerunt. & hęc pro puncto primo. In subsequenti de nuptijs loquuturus, velim sciatis: quòd in scriptura tres leguntur nuptiæ, quas Pater fecit filio suo. Primò fuerunt nuptiæ incarnationis, in quibus verbum vniuit sibi hominem in vnitate suppositi. De quibus Io. Verbum caro factum est. Secundæ nuptiæ fuerunt reconciliationis: in quibus Christus vniuit sibi totam Ecclesiam in vnitate mystica. Tertiæ nuptiæ fuerunt

glorificationis, quæ facta sunt in die Resurrectionis, vbi Christus corpus gloriosum recuperauit. Quæ perficientur nobis in die Resurrectionis: vbi nos resurgemus induti stola gloriæ: de quibus Apost. Gaudete, & exultate, quoniam venerunt nuptiæ agni: & sponsa ornauit se: de quo latius Iacob de Valentia scribit. hæ nuptiæ, de quibus hactenus sumus loquuti spirituales dicuntur, vt Christi coniunctio cum Ecclesia, quæ hic inchoatur in via, & consummatur in Patria. Vel inchoatæ, quando vt iam diximus, humanam naturam vniuit cum diuina in vtero virginali in opere incarnationis. Sunt insuper nuptiæ Christi ad hominem, quæ inchoantur per fidem, & baptisma, ratificantur per charitatem, consumanturquè per gloriam. & hęc de sectis duobus adamussim. Superest videre; An matrimonium debeat dici sacramentum. Pro parte negatiua quidam sic ratiocinantur dicentes. Omne sacramentum formam dicitur habere distinctam à materia: at hoc in matrimonio non dicitur esse, quia verba viri suum exprimentia consensum non sunt magis forma, vel materia quàm verba mulierum: Ergo matrimonium non est sacramentum: In oppositum arguitur: omne enim remedium contra peccatũ est sacramentum. At matrimonium sic se habet: ergo sacramentũ. Deinde, si matrimonium sacramentum non esset, tunc temporis matrimonij causa purè temporalis esset, & ad Iudicem secularem pertineret, & non ad Ecclesiasticum: at oppositum euenit: quare matrimonium dici debet secundum rei veritatem sacramentum. Hoc itaque cum sit absolutè tenendum, superest, vt rationibus occurramus ad primam primo dicentes: quod concedenda sit strictè loquendo: at largè lo-

quendo nulla. Nam matrimonium est sacræ rei signum, & ita sacramentum. Ad argumentum alterius partis primum, venit glossa da maior. Nam non omne remedium contra peccatum dici debet sacramentum: Quia si indigenti pecunia detur, ne furetur, ipsi quidem in remedium dicitur: ob id pecuniæ collatio non dicitur sacramentum. Sola ergo illa sacramenta, quæ in remedium sunt ordinata ex institutione diuina per virtutem supernaturalem eis collatam, vel assistentem. Ad alterum argumentum dicitur: quod matrimonium est sacramentum, vt aliàs fuit dictum: sed dato, & non concesso, quod nullo modo esset sacramentum, adhuc eius cognitio spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, quia ad conscientiam solam hoc totum pertinet. & hęc pro pręsenti.

QVID SIT CONIVGIVM.
Distinctio 27.
Lectio CXXXI.

DE matrimonij institutione erat sermo in hesterna lectione nostra: consequenter in pręsenti de eodem agendum, quantum ad eius causam efficientem. Et circa hoc quatuor in specie erunt ponderanda. Conclusio primò. Quidditas matrimonij secundò. Causa efficiens tertiò. De sponsalibus distinctio quartò. Quo ad primum: sit hęc conclusio. Quicunque alicui per matrimoniũ legitimè copulatur, sine alterius cõsensu ab eo minimè separatur. Pro cuius intellectu loco secundo quod quid est matrimonij considerandum: diuersimodè enim solet describi. Nam secundum

cundum Scotum: matrimonium est vinculum indissolubile inter marem, & mulierem ex mutua translatione potestatis corporum suorū se inuicem facta, ad procreandam prolem debite educandam. vel secundum Aug. lib. de Virginitate beatæ Virginis ita erit dicendum: qđ sit legitima societas inter virū, & fœminā: in qua ex pari consensu semetipsum alteri debet. vel secundū Magistrū hic: quod sit viri, mulierisq; coniunctio maritalis inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Ibi coniunctio, vt Brulefer scribit pro carnali coniunctione non debet capi, sed pro animorum coniunctione, quæ sola de præsenti verborum fit prolatione: vt potè: Ego accipio te in meam: & ego te in meum. Vbi loco generis coniunctio ponitur, cætera verò pro differentijs. Et dicitur matrimonium secundum Isiodorum, quasi matris munium, idest officium, quia dat mulieribus esse matres. vnde Aug. in libro contra Faustum ait: matrimonium ideo dicitur, quia non ob aliud debet mulier nubere, nisi vt mater fiat. Nam circa prolem magis officiosa est, quam Pater, inquit beatus Thomas. Vocatur etiam alijs nominibus matrimonium, scilicet, nuptiæ, coniugium, connubium. Nuptiæ secūdum Ricar. eo quia nubentium capita velentur. & hoc, vt mulieres cognoscant, se semper viris forè subiectas ait Paulud. dicitur etiam coniugium, quia communi iugo coniungantur, ratione effectus, qui proles dicitur. Insuper matrimonium, quasi matris munium idest officium, eo qđ matri incumbit officium nutriendæ prolis vel quasi: Matrē muniens, quia per ipsum prole munitur: vel quasi matrem monens, scilicet ne derelinquat virum. Nuptiæ verò secundum Paulud. dicuntur à nube: vt sicut nubes

tempus

tempus offuscat, & turbidum reddit, sic nuptiæ nuptam offuscare dicũtur, vt quo ad lasciuos gestus, corporalesq; contractus omnibus obscura, & turbida reddatur, preter quàm viro suo Connubium autem, quasi simul nubium: & coniugium quasi simili cõsensu iunctum. At hic notetis: quòd prędicta diffinitio data per Magistrum non conuenit vniuersaliter omni matrimonio, sed solum matrimonio fideli, & consummato per subsequentem copulam carnalem. & signum in hoc sacramento est verbum, vel nutus: & hoc est signum principale: minus verò principale carnalis copula. Signatum in hoc sacramento est coniunctio Christi cum Ecclesia. Et actus exteriores, quibus personæ matrimonium contrahentes se mutuò obligant, sunt sacramentum tantum, ait Thomas Argen. At gratia à Deo data personis legitimè contrahentibus, ac etiam coniunctio Christi cum Ecclesia, per matrimonium figurata, sunt res sacramenti tantum: at ipsa perpetua personarum contrahentium mutua obligatio sacramentum est, & sacramenti res. Nam respectu actuum exteriorum, quo sunt sacramentum tantum, ista obligatio res sacramenti est: sed respectu coniunctionis Christi cum Ecclesia, quam significat, & respectu gratiæ, quam efficit, sacramentum est. His notandum vnum secundum Scotum addite de matrimonio: de contractu matrimonij, & sacramẽto, quæ tria differunt. Nam matrimonium illud, vt supra dictum: contractus verò matrimonij est maris, & feminæ mutua corporum translatio suorum pro vsu perpetuo, ad procreandam prolem debitè educandam. Sacramentum matrimonij expressio certorum verborum maris, & feminæ ad seinuicem signantium, traditionem mutuæ potestatis corporum

ad prolem, &c. ad coniunctionemque mutuam animorum gratiosam. & hęc de punctis duobus. In tertiò efficiens causa matrimonij tangitur, quæ mutuus consensus per verba de presenti expressus dicitur. An res ita se se habeat audite Isiodorum primò dicentem: consensum facere matrimonium. Rursus Nicolaus Papa dicit: sufficiat solus secundum leges eorum consensus. Insuper Io. Chrysostomus. Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas. Item Ambr. non defloratio virginis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Ex his ergo apparet, quod consensus, idest pactio coniugalis matrimonium facit, licet non sit secuta copula carnalis. Verum quia nonnulli ante carnalem copulam sponsalia esse volebant, non coniugium: & alias dici sponsas, & alias coniuges sponsas, & non coniuges: quia sponsus inuita sponsa monasterium possit eligere, at coniugatus non: propterea quarto loco Magister Sent. de sponsalibus distinguit dicens: quod sponsalia de futuro coniugium non faciunt: at sponsalia de presenti benè connubium faciunt. Concedatur ergo illorum opinio loquendo de sponsalibus primo modo: at altero modò minimè. & hęc de tota distinctione: quam suo loco examinabimus, Deo duce.

AN CONSENSVS MATRIMONIVM CAVSET. Lectio CXXXII.

Consueuerunt sacri Theologi examinare volentes verba Magistri circa distinctionem hanc in dubium reuocare duo. Quorum primum matrimonij causam respicit efficientem.

entem: Alterum verò matrimonij solutionem. Quęrunt ergo primò; An per verba de presenti consensus expressus matrimonium causet, vt in textu Magister asserebat. Insuper; An ad ingressum Religionis connubium soluatur. Quantum ad primum: quibusdam visum est: quod consensus de presenti non causet matrimonium: quia si propositum causa dicitur propositi: sic etiam oppositum causa oppositi. At dissensus qui opponitur consensui, matrimonium soluit minimè: ergo consensus non causat: quare malè Magister. Insuper: veluti homo homini per matrimonium obligatur: ita per votum homo Deo obligatur: at ad voti obligationem interior promissio sufficere dicitur sine verborum expressione: ergo ad matrimonij obligationem sufficiet sine expressione verborum interior promissio: & ita non rectè se gessit hac in parte Magister. Deniq; vt omnes dicunt: in Religionis professione quoddam spirituale matrimonium contrahi solet: atqui professio per verba de futuro, dicendo Ero obediens: Matrimoniũ igitur carnale non per verba de presenti; sed per verba de futuro debet cõtrahi. In contrarium se habet Magister in textu: quare pro determinatione huius difficultatis primæ, erit primò sciendum: in sacramento matrimonij duo, sicut in alijs sacramentis esse. Quędam de sacramenti necessitate: & quędam de solemnitate. In matrimonij substantiam est consensus per verba de presenti expressus: quæ verò ibi ad solemnitatem, & decorem, sunt predictæ solemnitates, sine quibus matrimonium quidem verũ dicitur, quantum ad virtutem, licet non quãtum ad honestatem. His ita positis, Respondetur modo tribus formatis argumentis: & primo ad primum, dum dicitur: quod propositio

positio

positio allata de opposito in opposito, &c. habet veritatem quando ibi sit assignare aliquid, vt causa sufficiens: non solum efficiens, sed conseruans: consensus verò qualitercunque expressus, matrimonij causa sufficiens non dicitur, nisi supposita institutione diuina, quæ non concurrit cum dissensu ad matrimonium dissoluendum, sicut cum consensu ad construendum: ideo non valet. Ad secundum negatur similitudo: quia in prima obligatione Deus cor intuetur: & ideo sufficit ibi actus interior: de obligatione autem matrimonij, quæ fit homini, qui videre non potest nisi, quæ exterius patent. Propterea preter consensum interiorem, eius expressio requiritur per verba exteriora, vel signa vicem verborum gerentia: quare de voto, & matrimonio nulla, vt dixi, est similitudo. Ad tertium Respondetur: quod professionis obligatio fit per verba de pręsenti: vt cum dicitur: Facio professionem: sed obligatio ad actus futuros per verba de futuro: vt cũ dicitur, Promitto, quod tibi obediens ero: sub quo sensu formata fuit illa ratio in ordine tertia: quæ sub primo nulla. Explanata satis exactè prima in ordine de duabus propositis quęstione: altera subsequitur, dum quęritur; An ad Religionis ingressum soluatur matrimonium. Quidam ad partem affirmatiuam declinantes sic arguunt. Illi qui spiritu Dei aguntur non dicuntur sub lege esse (vt ad Gal. v. dicitur) at Religionem ingredientes videntur Dei spiritu duci: non igitur legi matrimonij subiacet ille, qui Religionem ingreditur. Multo plura essent dicenda circa hanc pręsentem materiam: at quia breuitate gaudent moderni: iccirco quędam pręmittam, & quid tenendum dicam suppono ergo primo: matrimonium duobus dici solui modis; vno

modo

modo, quo ad vinculum: alio modo, quo ad torum. Quantum ad primum potest dici, quod matrimonium, vel est per copulam carnalem consumatum, vel non: si non: per ingressum religionis sic soluitur. Si autem matrimonium sit de consensu vtriusque consumatum aliter dicendum seruatis seruandis. Nunc ad argumentum formatum satisfacio breui, dum dico: quod ille, qui religionẽ ingreditur post consumatum matrimonium sine consensu alterius, spiritu sancto, qui est spiritus veritatis, non ducitur: quare falso nitebatur supposito. & hęc de pollicitis satis. In sequenti ad alia nostra vertetur oratio.

SI CONSENSVS DE FVTVRO, ETC.
Distinctio 28.
Lectio CXXXIII.

HAec est prestantisſimi Auditores vigesima octaua distinctio explicanda: cuius pendentia primo consideranda: Insuper diuidenda. Quo ad primum: ex quo Magister loquutus est de causa efficiente matrimonij: consequenter nunc verba facturus est de qualitate consensus, qui matrimonium facere dicitur. & hęc de pendentia huius à precedenti. Diuidi modo habet in segmenta sex. Quorum primum propositionem continet. Alterum dubium cũ determinatione. Tertium instantiam. Quartum conclusionem. Quesitum in ordine quintum. Responsionem sextum. Accipite nunc primum, vbi hęc propositio habetur. Non tenet matrimonium, quod per consensum de futuro contrahitur:

 licet

licet etiam iuramento fuerit stabilitum. Ad quam insinuandam Magister Sent. loco secundo excitat dubium. An scilicet consensus de futuro iuramento firmatus verum faciat matrimonium. Primo aspectu videtur esse dicendum, quod non: per talia enim verba solum futurus promittitur consensus, nõ presens exhibetur: Insuper per iuramentum nil aliud fit, quàm confirmatio promissionis super contracto faciendo: quare non ibi verum matrimonium. At dicetis: si alter, vel vterq; sic promittentium ad copulam aliam transierit: num verum matrimonium fit? ad hoc dici potest, quod sic: nec impediri, neque dissolui debet per precedentem sponsionem. Precedens verò mendacium, vel periurium penitentia erit corrigendum. At ingenio pollentes vos video vna cum Magistro Sent. tertio loco contra predicta argumentari, ac instare dicentes: legem quandam contrarium asserere. Si sic: ergo cum iuramento videbitur illud verum esse matrimonium cum consensu futuro. Ad hoc vos respondere in hunc modum doceo. Legem scilicet illam intelligendam fore de iuramento adhibito verbis de presenti: vel quod post iuramentum, non autem ante debeat fieri: & hec de tertio secto pro presenti. In quartò ponitur hec conclusio. Illis verbis, quibus matrimonium cõtrahitur, consensus copulæ carnalis, & coniugalis minimè exprimitur. Pro cuius insinuatione, cum via dubitandi sit maximè idonea ad veritatem indagandam, hinc quinto querit loco Magister Sent. in quid consensus debeat esse faciens matrimonium. An in cohabitationem? Si sic: tunc soror, & frater essent coniuges: si verò in carnalem copulam: in illud absurdum incideremus: quod inter beatam Virginem, & Ioseph non

fuisset

fuisset matrimonium, seu coniugium. Quęsito proposito Magister vltimo loco respondet dicendo: quod ille consensus in coniugalem debeat esse societatem: in cuius societatis signum mulier non de capite, nec de pedibus formata fuit: ne vel Domina, vel serua videretur: sed de latere, vt duo in carne forent vna, & in animorum consensu. & hęc pro pręsenti.

AN CONSENSVS DE FVTVRO CVM CARNALI COPVLA SEQVENTE ad matrimonium sufficiat? Lectio CXXXIIII.

A Vestigijs ne videar recedere meis, hodierna die circa predeclaratā distinctionem quęsita duo proponam: & primò. An consensus de futuro cum carnali copula sufficiat ad matrimonium. Insuper; An consensus de pręsenti conditionatus matrimonium faciat. Quantum attinet ad primum, pro parte negatiua ratiocinantur quidam in hunc modum. Posterius causa prioris esse minimè dicitur: at copula carnalis sic se habet: igitur, &c. idest matrimonium tale nullum erit. Ex alio latere quia in textu Magister Sent. in oppositum se habet: iccirco pro dilucidatione huius difficultatis primæ duo supponenda sunt: quorum primum respicit consensum, qui fictus esse non debet: quia ex consensu ficto nunquam fit matrimonium. Nam consensus fictus non est consensus, sicut nec homo pictus dicitur homo. Secundum est: quod post contracta sponsalia, vir, & mulier si cōueniant cum

intẽtione exhibendi, quod in ſponſalibus promiſſerunt, ſic eſt verũ matrimonium: & ſecundum Eccleſię iudicium: & ſecundum conſcientiæ quoque. His ita pręmiſſis, ad rationem negatiuam adductam reſpondendum ſic: quod ſequens copula non faciat matrimonium, niſi quatenus ſignum pręſentis conſenſus, aliter non. Explanata breuibus verbis queſtione prima: altera ſupereſt, dum quęritur. An conſenſus de pręſenti conditionatus faciat matrimonium. Mihi primo aſpectu videtur, quod non: quia huiuſmodi certus non eſt: at conſenſus debet eſſe certus: ergo. Pro intellectu huius difficultatis ſecundæ notandum erit: quod conditionum appoſitarum in matrimonij contractu: quędam dicuntur eſſe contra matrimonij ſubſtantiam: vt ſi alter dicat alteri: contraho tecum, ſi prolis generationem euites, quod eſt contra bonum prolis. vel cõtraho tecum, ſi ſterilitatis venena procuraueris, vel quid aliud huiuſmodi, & tunc nulla dicitur eſſe obligatio (ait Bonauentura) vel donec inueniam aliam honore, vel facultate meliorem, quod eſt cõtra matrimonij ſignificationẽ, vt ait Ricardus, aut ſi ad adulterandam te tradas, quod eſt contra bonum fidei: & ſic ſub talibus conditionibus nullum eſt matrimonium. Dantur quędam aliæ conditiones ſecundum Ricar. quæ minimè ſunt cõtra matrimonij ſubſtantiam: & iſtarum quędam ſunt turpes, aut impoſſibiles, ſub quibus contractum matrimonium conditionibus tenet: quia pro nõ adiectis habentur, vt ſi dicatur: contraham tecum, ſi furatus fueris, vel ſi Deum offenderis: quæ conditio ſecundum Bonauenturam pro non adiecta habenda eſt. Quędam verò aliæ ſunt conditiones honeſtæ, & poſſibiles: & harum quędam de pręterito (vt

ſi di-

si dicatur) contraho tecum si maritus tuus mortuus est : quędam de pręsenti (vt si dicatur) contraho tecum , si tu es virgo : & sub istis conditionibus , & consimilibus matrimonium contractum tenet existentibus rebus in conditionibus appositis , aliter non. Quædam sunt aliæ de futuro conditiones(vt si dicatur) contraho tecũ, si patri tuo , vel patri meo placuerit : & tunc iudicandum est, sicut de sponsalibus sub conditione contractis. His ita positis , nunc ratio superius formata de facili soluetur. Nam dici potest : quod conditionatus consensus conditione pręterita , vel pręsente , vel futura necessaria ita certus sit , sicut non conditionatus : quia conditio apposita certa est : nec aliquã à sensu certitudinem tollit , siue sit turpis , siue impossibilis : cum habeantur non pro adiectis. Consensus autem conditionatus conditione contingente futura,non causat matrimonium, sed sponsalia. & hęc de pollicitis.

COACTIO CONSENSVM CONIVGALEM EXCLVDIT.

Distinctio 29.
Lectio CXXXV.

ENodaturus vobis in pręsenti meo sermone distinctionem in ordine huius libri quarti vigesimam nonam : nexum inprimus ob oculos vestros ponam : Insuper ad diuisionem accędam . Ex quo ergo Magister de causa efficiente matrimonij determinauit superius , consequens modo est loqui de impedimentis causæ efficientis. & circa hoc quatuor pollicetur : conclusionem primo.

primò: Probationem secundò: Notandum tertiò: & corollarium quartò. Quantum ad primum: hęc conclusio ponenda venit. coniugalis consensus oportet, quod non sit coactus, sed voluntarius. Huius rei causa de facili reddenda in hoc puncto secundo. Nam consensus, vt matrimonij causa, defectiuus minimè esse debet: alioquin tunc consensus appellari non deberet. Vt enim consensus per coactionem extortus matrimonium neutiquam facit: sicut testari videtur Vrbanus Papa scribens Sanctio Regi Aragonum in hunc modum. De neptis tuæ coniugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione confirmasti, hoc æquitate dictante decreuimus: vt si illa virum illum omnino (vt dicitur) renuit, & in eadem voluntate persistit, vt viro illi prorsus deneget nupturam: nequaquam eam inuitam, ac renitentem eiusdē viri cogas copulari coniugio. Inter ergo renitentes fieri minimè posse matrimonium constat. Hic tamen tertio notandum venit loco: quod si post talem coactionem, subsequens consensus interuenerit: & simul cohabitent, nec contra matrimonium reclament, tunc cōsentire videntur: & ita subsequens consensus suplet, quod pręcedens coactio tulerat. Hinc corollarium tale colligitur: quod qui in vitæ principio coniunguntur, si non discedant opportunitate habita, cōsentire videntur. Rursus: quemadmodum in nuptijs, ita etiam in sponsalibus debet consensus esse voluntarius. Vnde qui manifestè non contradicunt consentire videntur: & ideo talis tacitus consensus matrimonium non soluit: sed priora etiam sponsalia confirmat, vt videre est in hac perbreui, facili, vtiliquè admodum à nobis paucis declarata distinctione. & hęc pro pręsenti nostro sermone.

sermone. In sequenti necessaria non omittemus, quando Magistri dicta examinabimus.

AN COGI VOLVNTAS POSSIT. Lectio CXXXVI.

DVO animaduersione digna nobis examinanda occurrunt circa predeclaratam distinctionem quesita: quorum primum. An consensus possit esse coactus: vel ipsa voluntas cogi queat ad consensum, vel ad quemcunq; aliũ actum. Insuper. An ad matrimonium sufficiat coactus consensus. Quo ad primum: affirmatiuè sic arguitur. Per demonstrationem ad consentiendum alicui cõclusioni intellectus videtur posse cogi: igitur, & voluntas: consequentia patet, quia potentia nobilior videtur esse intellectus: quare si primum verum, non secus, & secundum: & ita ad consentiendum sibi alicui proposito poterit cogi ipsa voluntas. Preterea: quando duo motus contrarij sunt, si vnus naturalis est, alter dicitur violentus, vt patet in physicis, & in motu lapidis sursum, atq; deorsum. à simili in actibus contrarijs voluntatis, si vnus voluntarius, alius contrarius erit violentus: at successiuè voluntas contrarios habet actus, quia quandoque vnum volumus: deinde oppositum. Igitur, &c. Preterea: omne quod sub tristitia cadit violentum dicitur: at cum tristitia multa nos volumus, vt patet de his, quæ nobis nolentibus accidunt: igitur voluntas videbitur cogi posse, ac violentari. Ex alio latere illud, quod est maximè liberum, cogi nequit: sed voluntas est maximè libera:

non

non ergo, &c. Pro determinatione huius difficultatis primæ distinguendum erit primò de coactione, & de actibus voluntatis: deinde descendemus ad solutionem quæstionis. Circa primum est sciendum: quod voluntatis actus duplex datur: vnus ab ea immediatè elicitus, vt velle, & nolle: alius imperatus ab ea, vt sunt actus potentiarum, qui voluntati subijciuntur: vt percutere: currere: & sic de similibus alijs. Datur quoque coactio duplex: vna simpliciter, vt cum aliquid in contrarium suæ inclinationis cietur, vel ab ea impeditur. V.g. dum lapis sursum mouetur: vel ne deorsum descendat impeditur: & hęc compulsio nuncupatur. Alia coactio secundum quid datur: quæ impulsio dicitur. Loquendo ergo de coactione simpliciter, & de actu à uoluntate imperato: dicendum, qđ uoluntas cogi possit: quia omnis potentia, cuius actus habet esse in materia cõtrarietati subiecta, impediri potest: at hoc euenit in proposito: ergo. Loquendo verò de actu uoluntatis elicito: uoluntas cogi minimè poterit: nisi velimus accipere coactionem pro impedimento actus. At strictè, & propriè accipiendo coactionem, nullo modo uoluntas cogi potest, quia impedimentum actus nunquam uiolentiam includit, vel coactionem, nisi maneat inclinatio rei ad actum. Non enim lapis uiolentari diceretur, si deorsum descendere prohiberetur: nisi in eo maneret inclinatio ad talem motum. Ita de uoluntate dicendum, quod cogi nequeat quantumcunque impediatur ab actu uolendi, nisi in ipsa maneat inclinatio ad actum uolendi: & uoluntas nõ dicitur habere terminatam inclinationem ad aliquod uolitum tantum: quare nullo modo cogi poterit, quo ad actum elicitum. His ita positis, rationes modo soluendæ, & primò

prima,

prima, circa quā uariæ sunt opiniones. Nam quidam uoluntatem intellectu nobiliorem autumant: quidam alij intellectum. Nos pro pręsenti litem hanc dimittentes ad formam rationis dicimus: aliud esse necessitari, & aliud cogi: ratio formata de intellectu primo modo habet concedi: at secundo modo nulla est. Secunda ratio currit, & ueritatem habet, quando rei inclinatio est ad unum determinatè, & secundum modum determinatum: vt lapidis deorsum inclinatio: at uoluntatis inclinatio ad aliquod uolitum non est determinata, sed indeterminata ad omne illud, quod sibi ostēdi potest per intellectum: iccirco cogi non potest. Ad tertiam rationem dicitur: quod non omne triste est uiolentum simpliciter: at sufficit quod sit uiolentum secundum quid per impulsionem, quæ ex timore maioris mali est: sicut est uelle merces in mare proijcere mortis timore: & hanc coactionem posuimus in uoluntate respectu actus eliciti: actus autem exterior simpliciter coactus esse potest: qui etiam tristitiam inducit in actu à uoluntate elicito, quatenus est contra eius naturalem inclinationem: est etenim tristitia de his, quæ nobis nolentibus accidunt, vel simpliciter, vel secundum quid. & hęc de prima quęstione. Solet quęri secundò. An coactus consensus ad matrimonium cōtrahendum sufficiat. Mihi primo aspectu uidetur, quod sic. Nam Augustinus ait: quod coacta uoluntas est uoluntas: ergo. Aristoteles quoq; Ethicorum tertio dicit: uoluntarium mixtum plus habere de uoluntario, quam de inuoluntario: igitur consensus coactus magis voluntarius, quam inuoluntarius iudicandus erit: & ita matrimonium non impedire potest. Pręterea: coactione sufficiente uoluntas cogi non potest: nisi per blanditias, aut

per minas, quæ matrimonium non excludunt: ergo neq; consensus coactus. Ex alio latere oppositum legitur extra de sponsalibus ca. cum locum, &c. Pro decisione itaque huius difficultatis secundæ est notandum: qđ datur duplex metus: unus qui cadit in constantem uirum: & alius, qui non cadit. His suppositis, ad argumenta duo formata respondeo, & ad primum sic dico: quod coacta uoluntas sit uoluntas de se, & in se: at non in conspectu Ecclesiæ: quæ presumit: quod talis corde non consentiat, & ideo iudicat ibi non matrimonium esse. Ad illud philosophi non secus potest dici. Nam licet uoluntarium mixtum magis sit uoluntarium, quàm inuoluntarium: Ecclesia tamen talem cõsensum iudicat non sufficere ad matrimonij contractum. Ad illud de minis, & blanditijs dicitur: qđ similitudo non tenet: quoniam inductio per minas consensum dirimit: at inductio per blanditias auget. & hęc pro presenti.

DE ERRORE, QVI EVACVAT CONSENSVM.

Distinctio 30.

Lectio CXXXVII.

AGebamus superius de impedimento coactionis: consequenter in presenti pertractandum venit de impedimẽto erroris. Diuidatur ergo presens distinctio in secta octo: in conclusionem primò. In insinuationem secundò. In instantiam tertiò. In propositionem quartò. In quesitum quintò. In conclusionem sextò. In quorundam errorem septimò. Et in vnũ notandum octauò. Quo ad primum: sit hęc cõclusio. In matrimonio contrahendo

hendo quatuor errores possunt contingere: quorum duo dicuntur ipsum soluere. Pro cuius insinuatione Magister Sent. loco secondo proponit primò, quod error matrimonium valet dissoluere: non quidem qualitatis error, vel fortunæ: sed conditionis, atq; personæ. Conditionis, vt quando putatur esse liber, qui seruus est. Similiter error personæ matrimonium dicitur impedire: sicut si quis hanc nobilem mulierẽ in matrimonium petit, & sibi ignobilis alia detur. Sicut etiam, si quis emat aurum, & sibi detur auricalchum: non est venditio, sed deceptio. Ita in proposito est error personæ: quando putatur hic homo, & est alius. Error autem conditionis, quando qui liber, vt paulò ante diximus putatur, seruus est. Error fortunæ: quando diues creditur esse, & est pauper. Error qualitatis, quando creditur pulcher, qui turpis est: vel quando creditur bonus, qui malus est. Contra quæ tertio instat loco Magister dicendo: de Iacob. vt habetur Genes. 29. vbi legitur, quod per errorem ad Lyam accessit: error ergo personæ nõ videtur matrimonium excludere. Ad hanc instantiam, vt respondeat Magister dicit: hoc mysticè factum, siue gestũ fuisse: nec illud matrimonium per illum errorem fuisse: at per consensum, qui accessit deinde. At dicetis: non videtur saltem à fornicatione excusari posse: quia accessit ad eam credens vxorem suam, cum non esset. Respondetur ad hoc: quod excusari dicitur, quoniam affectu maritali accessit, eamquè cognouit: illa similiter vxorio affectu debitum persoluit. & hęc de sectis tribus. In quarto ponitur hęc propositio. Etsi inter Mariam, & Ioseph perfectum coniugium fuerit: tamen Maria licitè in sua virginitate permanere proposuit. Pro intellectu cuius, loco

quinto Magister quęrit: in quo Maria, & Ioseph consenserint, quando inter eos matrimonium celebratũ fuit. Secundum beatum Augustinum videtur esse dicendum: quod Virgo beata proposuerit virginitatem seruare, nisi Deus ei aliter reuelaret: ipsum tamen votum ore non expressit, virginitatem suam committens diuinæ dispositioni. Consensit ergo in copulam maritalem, siue in coniugalem societatem, ex familiari Spirius Sancti consilio. Insuper dicendum est, secundum beatum Aug. quod implicitè, licet non explicitè in copulam carnalem consensit: non illam appetendo, sed diuinæ dispositioni in vtroque, scilicet virginitate, & commixtione obediendo. Expressit insuper cum viro labijs votum: & ita vterque in virginitate permansit. Illud tamen matrimonium sanctitate fuit perfectum, nec non quantum ad veritatem: & quantum ad illa tria bona, quæ ibi fuerunt: scilicet fides, proles, & sacramentum. Proles enim fuit Christus: fides, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium. & hęc de quinque punctis. In sexto extat hęc conclusio. Causa principalis contrahendi matrimonium est prolis procreatio. Secunda fornicationis vitatio. Dantur aliæ causæ minus honestæ, vt viri, vel mulieris pulchritudo, vel abundantia pecuniæ, & diuitiarum. Rursus assignari videntur posse aliæ causæ honestæ: sicut inimicorum reconciliatio, & pacis reintegratio, & alia huiusmodi. Hinc septimò quorundam error amouendus: quidam enim in tantum ignorauerunt, vt dixerint matrimonium propter causam minus honestam non contrahi: at in oppositum Magister dicit: propter huiusmodi causas non impediri, quin matrimonium sit, & bonum: quia malicia,

licia, vel peruersa intentio alicuius, sacramentum nõ maculat, nec eius honestatem impedit: vt aliàs satis abundè dictum fuit. His vltimo notandum additur loco de beata Virgine: cuius intentio, & Ioseph quędam causæ sunt speciales: nam prima fuit: vt Virgo viri solatio, & auxilio sustentaretur. Secunda fuit: vt partus Virginis Diabolo celaretur. Tertia fuit: vt Ioseph esset testis castitatis beatæ Virginis, vt eam posset defendere ab infamia suspitionis: ne vt adultera lapidaretur. & hęc de distinctione tota trigesima satis dicta.

AN ERROR MATRIMONIVM IMPEDIAT. Lectio CXXXVIII.

MOraturus aliquantisper circa prędeclaratam distinctionem, quęsita duo vobis hodierna die proponam. Quorum primum. An error matrimonium impediat. Insuper. An Virginem beatam matrimonio copulari decuerit. Quantum ad primum: sic arguitur. Baptizatus ille est, qui ab vno credit baptizari, & baptizatur ab alio: similiter qui vnum baptizat credendo alium baptizare: ergo illud matrimoninm erit, si quis cum vna contrahat credens contrahere cum alia. Preterea: error in fide maximus est: at talis non impedit matrimonium: ergo neq; personæ error. Minor patet exemplo: nam si aliqua cõtrahat cum hęretico, quē catholicum credit, matrimonium tenet: nullus ergo alius error matrimonium impedire valet. Denique in emptione, & venditione, quæ fieri solet: si detur aurum ęquiualens auro non

impeditur

impeditur venditio, siue iste contractus: ergo neq; matrimonium, si vna pro alia muliere dètur. In oppositum se habet lex ciuilis, & veritas ipsa. Quare prò decisione huius difficultatis est sciendum: quod error impedit matrimonium: sed non quilibet error, sed personæ, ac conditionis. Quo stante: nunc rationes diluendæ: quarum prima neganda, quia similitudo nulla. Nam baptismus efficaciam suam ex opere operato hẽt, propter quod sufficit, quod baptizatus intendat baptizari, & baptizans baptizare. At matrimonium quędam obligatio est voluntaria contrahentium, habens suam efficaciam ex consensu eorum: quare, &c. ad secundam rationem de fidei errore potest dici: quod error in fide non sit contra essentialia matrimonij, sicut personæ: nisi ille error disparitatem cultus causaret, sicut si Iudeus cum Christiana contraheret, vel vice versa: at mulier contrahens cum hęretico nesciens illum hęretium esse, cum sint eiusdem cultus, quo ad obligationem: talis error nõ dicitur contra essentialia matrimonij propter communem baptismum. Ad tertiam rationem dicitur: quod pecunia in contractibus accipitur quasi aliarum rerum mensura, & non quasi propter se quęsita. At in re quęsita propter se error si inueniretur cõtractus impediretur, vt in proposito loquimur de matrimonio: & sic ruit tertia ratio. Dilucidata prima his paucis verbis quęstione: quęritur deinde. An beatam Virginem copulari matrimonio decuerit. Mihi videtur quod non. Nam consensus in carnalem copulam virginitati derogat: non ergo decuit beatam Virginem, quæ virginitatem vouerat matrimonio copulari. Deinde Hieronymi authoritate sic arguitur. Vouentibus virginitatem non solum nubere: sed velle

nubere, damnabile est: nō ergo beata Virgo post votum debuit nubere. In oppositum se habet illud, quod dicitur Matthęi. i. in textu. Cum esset desponsata, &c. Pro determinatione igitur difficultatis secundæ, supponendum est primò: quod votū vouit beata Virgo. Insuper, quod absq; pręiudicio virginitatis nubere potuit. Quibus duobus suppositis: ad rationes nunc soluendas accedo, & ad primam dico: quod consentire in carnalem copulam sine certitudine expressa de non carnali copula subsequutura derogat virginitati, in illis, qui votum fecerunt. At beata Virgo per Spiritum Sanctum fuit certificata: quod inter ipsam, & Ioseph non sequeretur carnalis copula: ideo sic contrahere matrimonium non fuit in pręiudicium voti sui. Ratio altera hoc eodem modo intelligenda. & hęc satis.

DE BONIS MATRIMONII.
Distinctio 31.
Lectio CXXXIX.

ERat sermo superius de causa efficiente, & finali matrimonij, quæ ipsum constituunt: hic verò determinandum de bonis matrimonij, quæ sunt causæ matrimonij actum honestantes. Diuidatur itaque presens distinctio in puncta quinque. In quorum primo ponitur de bonis matrimonij conclusio. Insinuatio in secundo. Propositio in tertio. Instantia in quarto. Solutio tandem in quinto. Ad secti primi considerationem accedo, & hanc conclusionem pono. Communiter loquendo triplex bonum

est in matrimonio. Scilicet fides, proles, & sacramentum. Hanc vt insinuet Magister Sent. loco secũdo ista tria declarat, dum ait: ad fidẽ pertinere: vt vir ad aliam non accedat: nec mulier alium virum admittat. Insuper ad prolem: vt amanter suscipiatur, religioseq; educatur. Ad sacramentum verò vt coniugium non separetur. Sed dicetis: videmus nos quandoque fieri separationes ex aliqua causa: igitur coniugium separari poterit? quo ad thorum, & corporaliter: vt respondeamus hoc non negandum: fiunt enim in hunc modum separationes, aliter nòn. His addite vnum considerati one dignum: quod quamuis bonum prolis, & bonum fidei aliquando in matrimonio deficiant hominum peruersorum malicia, non ob id bonum illud, quod est sacramentum deficere dicitur. & licet multi adinuicem contrahant incontinentiæ causa, dummodo ibi perpetuus sit contractus, nec generatio prolis vitetur: verum illud dici debet matrimonium. Iacobus de Valentia de matrimonij bonis verba faciens, quatuor bona annumerat propter quæ matrimonium institutum fuisse ait. Primò propter bonum mutui obsequij. Secundò propter bonum fidei. Tertiò propter bonum prolis, vt Gen. secundo patet. Quartò in remedium libidinis. Sic etiam alia sacramenta instituta sunt in remedium. Nam baptismus datur ad originale peccatum delendum. & confirmatio ad robur, & ad resistendum tentationibus. Pœnitentia ad delendum actuale peccatum iam perpetratum. Extrema vnctio ad venialia delendum, & oblita. Matrimonium verò ad remedium, ne actus venereus, & libidinosus debitè cõmissus inter coniuges ad mortale peccatum imputetur. His tertio accedit hęc ꝓpositio. Qui venena sterilitatis

apponunt,

apponunt, non coniuges, sed fornicarij existunt: & si post animæ infusionem abortiuum procurent, se homicidas esse non dubitent. Si principium sit, vt iam dixi, animatũ, aliter non. & hęc de punctis tribus. In quarto instantia affertur contra prędicta bona matrimonij, quæ à culpa coniugatos non videtur excusare. Nam Apost. actum videtur coniugalem secundum indulgentiam concedere, dum dicit: hoc autem dico secundum indulgentiam. Tunc sic: vbi indulgentia, ibi culpa: non ergo maritalis concubitus à peccato excusat. Pro solutione quinto est sciendum loco: duplicem dari indulgentiam: concessionis vnam: permissionis alteram: qua pręmissa distinctione modo dicitur: quòd concubitus coniugalis, qui fit causa prolis secundum concessionem indulgetur, sicut minus bonum. Concubitus verò factus incontinentiæ causa secundum permissionem indulgetur, sicut minus malum. Huiusmodi tamen coniugalis actus excusatur per matrimonij bona, si fiat infrà matrimonij limites. At si excedat limites, maláq; intentio adsit, non videtur excusari. At dicetis: concupiscentia nonne semper mala est, & inordinata? Respondetur, quòd sic: loquẽdo de inordinatione pęnali, quæ dicitur pęna peccati: non tamen semper dicitur inordinata inordinatione culpabili, quia non est semper peccatum propter bona matrimonij. Sed rursus instabitis dicentes: cur ergo Greg. dicit: quod post accessum ad vxorem debet huiusmodi ab ingressu Ecclesiæ abstinere? videtur igitur, quod in actu matrimonij sit peccatum mortale. Respondetur ad hoc: quòd Gregorius habet intelligi sub hoc sensu: quando scilicet ad vxorem accedit incontinentiæ causa, vel quia vix sine incontinentia acceditur. &

Yy hęc

hęc satis in speciali.

AN BONIS ALIQVIBVS MATRIMONIVM EGEAT IPSVM EXCVSANTIBVS.
Lectio CXL.

R*Imari volentes distinctionem hanc sacri Theologi, ex verbis Magistri Sent. occasionem nacti, duo in dubium reuocare consueuerunt. Quorũ primum. An bonis egeat aliquibus matrimonium excusantibus ipsum. Insuper. An prędicta bona, de quibus sumus loquuti in textu Magistri, sint de necessitate sacramenti matrimonij. Quantum attinet ad primum: pro parte negatiua sic arguitur. Matrimonium nonne fuit institutum in naturæ officium, & in concupiscentiæ remedium? certè sic. At id, quod in officium naturæ est, aliquo excusante non indiget: sic enim fuisset in paradiso durante statu innocentiæ: ergo neque secundum quod est in remedium videtur excusatione indigere. Deinde: actus quo indiuidua conseruantur aliquo excusante non egent, vt comedere, &c. igitur neque actus matrimonij, quo species conseruatur indiget excusari: quare Magister in textu dignus reprehensione videtur. Ex alio latere quia omnis carnalis actus, vel est malus, vel mali speciem habet, iccirco excusatione ad hoc, vt licitè fieri possit, indiget. Pro determinatione ergo, ac dilucidatione huius difficultatis primæ, est sciendum: quòd aliquis actus dupliciter excusari potest: vno modo ex parte facientis, & non ex parte actus: & sic excusatur actus, qui facienti ad culpã non imputatur, quamuis*

uis secundum se malus sit. Alio modo actus secundum se excusari dicitur, sub quo sensu loquimur nos in presenti. His ita premissis, ad argumenta formata Respondendum: & primo ad primum sic: quod carnalis actus, secũdum quod est in officium naturæ, excusatione indiget; cum indifferenter se habeat ad matrimonij actum, & fornicationis: excusatur autem per circunstantias, quæ trahunt eũ ad hoc, quod sit matrimonij actus. Circunstantiæ verò illæ sunt bona fidei: prolis: & sacramenti: quibus etiam carnalis actus tempore innocentiæ bonus redditus fuisset. Ad secundum argumentum dicitur: quod comestionis actus, quo indiuiduum conseruatur debitis eget circunstantijs, quibus bonus reddatur: sed non adeo, vt generationis actus: quia non dicitur esse tàm vehemens delectatio rationẽ absorbens in comedendo, sicut in actu corporali: quare magis hic actus indiget excusari, quàm alius. Explicata iam quæstione prima, subsequitur altera, dum queritur. An matrimonij bona de sacramenti matrimonij necessitate sint dicenda. Mihi primo aspectu videtur, quod sic, per sufficientem diuisionem. Quia aut ista bona matrimonio essentialia, aut non: si primo modo habeo intentũ: si secundo modo, tunc sic. Conditio, quæ apponitur contra accidentia contractus, contractum minimè vitiat: at conditio apposita in matrimonio contra quodlibet predictorum vitiat matrimonium: non igitur predicta bona accidentalia, sed matrimonij essentialia censenda. Insuper: matrimonium sine predictis bonum esse non potest: ergo videtur, quod hec sint essentialia matrimonij. Assumptum patet per Aug. in textu. Ex alio latere quia inter steriles, & adulteros verum extat matrimonium sine bonis istis: pro-

pterea huiusmodi bona matrimonij essentialia minimè erunt. Ad questionem hanc itaque terminandam velim sciatis: quod duo horum, scilicet bonum fidei, & prolis, duobus accipi possunt modis: videlicet secundum executionem, vel secundum obligationem: si primo modo, neutiquam sunt essentialia matrimonio: quia ratione actus illud, quod matrimonio competit, essentiale nō est: nam actus matrimonij posterior est matrimonio: quare, &c. si autem sumantur secundo modo, scilicet quantum ad obligationem: tunc dicendum: quod sint essentialia matrimonio: quia ipsum matrimonium nil aliud est: quam obligatio uiri ad uxorem: & è conuerso ad tori fidelitatem, & ad susceptionē, & prolis educationem si contingat eam habere. His ita dispositis, nunc argumenta soluenda: primum ergo concedatur de bonis secundum obligationem: sed negetur secundum executionē: nec ob id in matrimonio videtur posse apponi conditio executioni contraria: quia tolleretur obligatio per quam accipitur potestas ad executionem. Secundum argumentum per idem ruit: quia bona predicta non sunt debita esse in matrimonio, nisi quatenus obligationem respiciunt: & sic nunquam desunt: sed solum quo ad executionem.

AN MATRIMONII BONA ACTVM CONIVGALEM EXCVSENT.
Lectio CXLI.

VT finem imponamus predeclaratæ distinctioni, adhuc quesita duo proponemus in presenti. Quorum primum.

An

An fides: proles: & sacramentum, actum coniugalem excusare valeant. Insuper. An sine his totaliter à peccato actus matrimonij excusari possit. Quo ad primum: pro parte negatiua sic arguitur. Verecundia secundum Damascenum, & Philosophum Ethicorum quarto, non est nisi de turpi: at predicta bona minimè verecundiam tollunt à matrimonio: igitur nec turpitudinem, quæ videtur includere culpam: ergo, &c. Insuper. Vbi passio inordinata, ibi peccatum: at hec tria non videntur posse tollere ab actu matrimonij passionis inordinationem: ibi ergo semper peccatum. Ex alio latere certum est: quòd nullus actus malus sub precepto cadere potest: at actus matrimonij cadit sub pcepto: quare, &c. Pro intelligentia huius questionis est sciendum: quòd horum matrimonij bonorum duo sola matrimonij actum respiciunt, vt putà bonum fidei, & prolis: bonum verò sacramenti solum vinculum respicit matrimonij, & non actum. Quo stante: rationes formatæ de facili ruent. Nam prima eget expositione: datur enim verecundia duplex: vna est pertinens ad culpam, altera ad culpæ speciem. Primo modo loquebatur Damascenus: at nos secundo modo: quare in actu matrimonij verecundia dicitur esse de eo, quod habet speciem culpæ, & non de culpa, quia ibi non admittitur propter predicta bona matrimonij. Vel dicatis: verecundiam dici non solum de talibus: at etiam de defectibus naturalibus, vt hic. Ad secundam rationem distinguo de duplici passione: quarum vna immoderata dicitur, limites rationis excedens: altera verò, licet intensissima sit secundum se, tamen rationis limites sibi prefixos non excedit. Si de prima ratio concedenda: at de secunda, vti in proposito:

posito: vbi non queritur, nisi in coniuge, & propter finẽ debitum, nulla est. Explanata iam prima questione: altera accedit, dum queritur. An sine huiusmodi matrimonij bonis à peccato matrimonij actus totaliter valeat excusari. Prima facie mihi videtur, quòd sic. Nam vsus matrimonij bonus est, & licitus: ergo. Confirmatur hec veritas per Apostolum ad Cor. dicentem. Propter fornicationem vnusquisq; suam habeat, &c. ergo. Preterea: qui re sua ad libitum vtitur, non videtur contra iustitiam facere, & sic non peccat: sed vir vxore sua sic utitur: non ergo, &c. quare sine predictis bonis totaliter à peccato excusari dicitur. Pro decisione huius difficultatis secundæ est notandum: quod vir, & mulier, vt coniuges dupliciter conuenire possunt: vno modo causa solius delectationis: alio modo propter vitandam fornicationem. Si primo modo adhuc dupliciter fieri hoc potest: vno modo querendo illam delectationem, in actu matrimonij, & sic à culpa dicitur excusari. Alio modo excedendo limites rationis, & matrimonij, vt cum quis vult delectari in coniuge attendens solum, quod mulier est, idest parata facere, ac si animo non esset coniux, tunc mortale peccatum incurrit. His in hunc modum constitutis, ad argumenta soluenda me confero, & ad primũ dico: quod quando vir ad suam accedit vxorem propter fornicationem vitandam in ea, vel in se ipso, ibi fidei bonum dicitur inueniri: & ita argumentum bonum. Ad secundum dicitur: quòd quamuis re sua vti, non videatur esse contra iustitiam: non ob id vna circunstantia ad bonitatem actus sufficit, sed oẽs, quæ deberent inesse, exiguntur: quod non fit tunc temporis, quando quis vxore vtitur sua ad delectationem suam. &

hec

hęc de propositis tot dixisse sufficiat pro pręsenti.

DE CARNALIS DEBITI SOLVTIONE.
Distinctio 32.
Lectio CXLII.

Haec est huius libri quarti distinctio trigesima secunda, circa quam versaturi in pręsenti, continuationem primò ponemus cum pręcedenti. Insuper ad diuisionem accedemus: tertiò singulas partes enudeabimus. Quantum attinet ad primum: postquam superius de matrimonij bonis, quibus matrimonij actus excusatur determinauimus: consequens modò est de ipso verba facere, secundùm quod debiti rationem accipit. Habita his paucis continuatione verbis: nunc diuidenda venit pręsens distinctio in puncta septem. In quorum primo ponitur propositio. Insinuatio in secundo. Conclusio in tertio. Quęstio in quarto. Propositio in quinto. Instantia in sexto. Notandum demum in septimo. Vt rem aggrediamur sit hęc propositio. In soluendo, & reddendo carnis debitum, vir, & vxor habent par dominium. Pro cuius insinuatione loco secundo procedit ita Magister proponendo: quod cum vir in omnibus mulieri pręsit, sicut caput corpori, in redditione tamen debiti pares sunt: quia alter habet alterius corporis potestatem, vt alteri poscenti minimè liceat debitum denegare, siue poscat causa prolis procreandæ, siue incontinentiæ causa, sic enim habet alter alterius corporis potestatem: quod sicut nec mulier ad alium virum, neque vir ad aliam mulierem accedendi habet potestatem.

statem. Nec etiam ad continendum, sine mutuo consensu. His tertio additur propositio loco. Licet nullius sit criminis coniugale debitum reddere: exigere nihilominus vltra generandi necessitatem delictum apparet veniale: at fornicari, atq; mechari mortale. Enodatis his paucis tribus sectis: quarto loco quęrit Magister Sent. An si vir vxori consenserat, vt Deo continentiam offerat, & à suo iure eam absoluat: rursus licitè datam reuocare possit licentiam? ad hoc dici potest: quod in hoc casu, si ei consenserat cõtinentiam vouere, & votum prohiberet implere, hoc bene posset: sin autem post, reuocare non potest. His quinto loco ponitur talis propositio. Nullus in matrimonio videtur licitè debitum carnis posse quolibet die exigere, seu poscere. Nam licet debitum poscenti sit soluendum: nõ tamen videtur quolibet die licitũ exigere: sicut in diebus festiuis, siue processionis, & ieiuniorum. Vnde Aug. Christiano cum vxore sua aliquando licet conuenire, aliquando non propter processionis enim dies, & ieiuniorum, vt paulò ante diximus, conuenire aliquando non licet: quia etiam à licitis abstinendum est, vt facilius impetrari possit, quod postulatur. Contra prędicta Hieronymus instare videtur. Nam ait: quod quandoq; reddere debitum est peccatum. Reddens ergo vxori debitum orationibus vacare non potest: nec agni carnes sumere, idest Eucharistiam. Insuper dicere videtur, quod in diebus, quibus orationibus vacandum, vel sumenda Eucharistia, debitum nõ sit reddendum. Ad Hieronymi dictum velim respondeatis dicentes: ad Ecclesiæ ministros illud referendum: quibus non licet sacramenta offerre, vel mysteria celebrare tempore coniugalis amplexus. Denique

notandum

notandum venit: quòd, sicut in carnali commixtione, sic & in celebrandis nuptijs tempora sunt seruanda: quibuscunque enim temporibus nuptiæ minimè sunt celebrandæ. Tempora verò, quibus nuptiæ non celebrandæ, sunt à Septuagesima vsque ad octauam Paschæ, & tribus septimanis ante festum Ioannis Baptistæ: & ab Aduentu domini vsq; post Epiphaniam. Et de presenti distinctione tot dixisse sufficiat.

AN EX NECESSITATE PRAECEPTI DEBITVM SIT REDDENDVM?
Lectio CXLIII.

VT dicta Magistri Sent. nobis dilucida fiant magis, quęsita duo in pręsenti nostro sermone ponderabimus, & primò: An debitum in actu matrimonij de pręcepti necessitate sit reddendum. Insuper. An vnus coniugum sine consensu alterius valeat continentiam vouere. Quantum ad primum: insurgentes quidam pro negatiua parte sic ratiocinantur. Lepra videtur esse contra prolis procreationem, & educationem, nec non communicationẽ operum vitæ. Ergo videtur, quòd coniugi leproso ille, qui sanus est, cohabitare non teneatur, neq; debitum reddere, & hoc, ne proles inficiatur: quare de pręcepti necessitate quilibet coniugum non teneri dicitur alteri ad redditionem debiti. Insuper, in loco sacro coniuges cohabitare minimè tenentur: ergo nec semper ad debiti redditionem. Antecedens patet, quia in loco sacro sacramenta cõfici habent: igitur, &c. At video, vos ex alia parte ratio-

timari sic: ut seruus sub domini potestate est, cur vnus coniugum sub altero non erit? si sic: ergo de precepti necessitate ad redditionem debiti teneri dicentur. Pro decisione huius difficultatis primæ, sic procedemus: nam primò supponemus: quòd quilibet coniugum alteri ex necessitate precepti teneatur ad redditionem debiti: quia corpus unius coniugum est res alterius, quò ad actum matrimonij. Quicunque ergo coniugum negat alteri petenti, &c. quò ad actum matrimonij mortaliter peccat, nisi legitimam negandi causam habeat. Deinde sciendum: quòd, cum ex debiti redditione imminet periculum reddenti, nullus dicitur teneri reddere debitum alteri quantumcunq; petenti. Primò ex naturæ ordine inclinantis magis ad indiuidui sui cõseruationem, quàm ad speciei multiplicationem. Secundò ex ordine charitatis hoc idem patet: quilibet enim plus sibi, quàm alteri tenetur: ergo. His ita positis, rationes modò formatæ de facili soluentur. Prima ergo de lepra, debiti redditionem non impedit, quia malum non semper euenit. Preterea: dato quòd id semper eueniret, nonne proli melius esset sic esse, quàm non esse? quare, &c. quid si mulier vltima lepræ specie esset infecta, & probabiliter crederetur, quod vxoris lepra in viri cederet infectionem? tunc sanus vir debitum nõ videtur teneri uxori leprosæ reddere. Secunda ratio de loco, & tempore est nulla: quia locus facilius euitari potest, quàm tempus. Insuper locus polluitur ita, vt reconciliatione indigeat: tempus verò non. Explanata iam questione prima, subsequitur altera: An scilicet vnus coniugum sine licentia alterius continentiam uouere possit. Pro parte affirmatiua sic arguitur. Vir uotum transmarinum sine uxore uidetur emittere

posse:

posse: ergo, & religionem intrare, & ibidem continentiam uouere. Preterea: magis debitum est Deo seruire, quàm homini: igitur vt seruiat Deo vir sine uxoris consensu continentiam poterit uouere. In contrarium se habet Apost. dum ad Cor. ait. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex communi consensu ad tempus, vt uacetis orationi. Pro intellectu igitur huius difficultatis secundæ, est primò sciendum: quòd neuter coniugum sine alterius consensu cõtinentiam potest uouere, nisi sententia inter eos lata sit diuortij ob fornicationis peccatũ spiritualiter, siue carnaliter patratum. Quo stante ad rationes prius formatas respondendum, & ad primam sic: per non esse simile de uoto transmarino, & continentiæ. Nam religionis uotum simpliciter debiti redditionem impedit, at transmarinum ad tempus tantum. Ad secundam rationem dicitur deinde: quòd absolutè loquendo magis debitum est Deo seruire, quàm homini: at alteri vinculo matrimonij obligatus sine licentia continentiam uouere non debet: quia tunc temporis simpliciter à debiti redditione impediretur, quod tamen de precepti necessitate est. & hec de pollicitis.

DE DIVERSIS LEGIBVS CONIVGII.

Distinctio 33.

Lectio CXLIIII.

VErsaturus circa trigesimam tertiam in ordine huius libri quarti distinctionem, quo modo cohereat superioribus primò dicam. Insuper ad diuisionem accedam. Quò ad

primum: ex quo superius actum fuit de matrimonij bonis: consequens modò est uidere, quo modò huiusmodi bona in matrimonijs antiquorum fuerint. Habita breui coherentia: nunc presens distinctio in puncta nouem diuidenda. In quorum primo ponitur conclusio. Quesitum in secundo. Propositio in tertio. Insinuatio in quarto. Instantia in quinto. Determinatio de matrimonio tempore legis in sexto. Dubium in septimo. Conclusio in octauo. Notandum denique in nono. Primum explanaturi hanc conclusionem proponemus dicentes. Ex diuina permissione antiqui Patres plures habuerunt uxores, non uoluptatis carnalis expletione: sed quia sanguinis successione religionis, & fidelitatis erat successio. Ad quã insinuandam Magister loco secũdo querit. An antiqui Patres sine peccato plures uxores, vel concubinas habuerint. Pro cuius intellectu est sciendum: quòd secundum temporum diuersitatem uaria dicitur fuisse Dei dispositio. Nam ante peccatum inter duos tantum dicitur inchoatum fuisse coniugium: secundum quem inchoationis modum, si primi parentes in obedientia perstitissent, per temporis successionem inter duos tantum fuisset matrimonialis contractus. Post peccatum verò primis parentibus adinuicem conuenientibus, & prolem procreantibus, filij eorum, & filiæ coniuncti sunt: sed unus tantum uni: & fratres sororibus sunt copulati: quia non erant aliæ mulieres, & viri, quibus filij Adæ, & filiæ coniungerentur. Lamech autem primus omnium legitur duas uxores habuisse: quòd in eo reprehenditur ideò, quia pro carnis expletione hoc fecit. Processu verò temporis, cum iam quasi homines deos colerent, paucis in Dei cultu remanentibus diuina dispensatione consultum

sultum

sultum est: vt viri sibi plures possent uxores in matrimonium copulare: ne cultus, vel Dei notitia deficeret illis paucis deficientibus: Sicut patet in Abraham, & Iacob. vnde ex lege maledicta erat sterilis, quæ super terram non relinquebat semen. His tertiò addenda uenit hæc propositio. Continentiam, quam Ioannes habuit actu, hanc Abraham solo potuit seruare habitu. Pro cuius insinuatione quartò Magister dicit in antiquorum Patrum coniugij commendationem, quòd virginalis castitas non præfertur in merito antiquorum Patrum coniugali castitati. Quod authoritate Aug. sic dicentis confirmatur: non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abrahã, qui genuit filios. Nam illius cælibatus, & istius connubium pro temporis distributione Christo militauerunt: sed continentiam Ioannes in opere habebat, Abraham verò solo habitu. Quinto loco instat Magister cõtra dicta, docendo: antiquos Patres plures uxores habentes tori fidem non seruasse. Nam vnus vnam debet habere: *quare, &c. ad hoc dici potest: quòd fidem tori seruabant, qui proprijs tantum uxoribus, vel ancillis, & non alijs coniungebantur mulieribus: & ita patet, quæ fuerit ante matrimonij legem consuetudo. & quod in antiquorum Patrum matrimonio fuerunt matrimonij bona determinata. Post hæc sexto loco determinandum uenit de matrimonio tempore legis. Nam eo tẽpore Moysi matrimonium determinatum fuit, & quantum ad legitimarum personarum determinationem, quia non licebat copulari carnaliter patri, vel sorori, vel nouercæ, vel nepti, vel amitæ, & matarteræ, & quibusdam alijs personis: & etiam quantum ad separationem: quia permisit*

Moyses

Moyses, dato libello repudij, diuortium fieri, & aliam ducere: in quo quidem libello vir causas scribebat, propter quas uxorem repudiabat: quod tamen propter duritiam cordis eorum permissum est, vt maius malum, scilicet homicidium, tolleretur. Queritur septimò, quibus licebat sub lege plures uxores habere, & quibus non. Ad quod dici potest: quòd multiplicatio generaliter est prohibita: permissum tamen fuit Regi plures uxores habere, sed non multiplicare, idest plurimas habere: quia talis multiplicatio propter carnales actus mentem eneruat, & allicit. At hic notetis: quòd adueniente tempore plenitudinis iuxtà priorem, & honestiorem institutionem, unus tantũ uni coniungitur in figura Christi, & Ecclesiæ. Octauo ponitur hęc conclusio. In hòc quidem tempore virginitas fęcunditati pręfertur: & ipsis presbyteris continentia pręcipitur, ac indicitur. His nonò vt claudatur pręsens noster sermo animaduersione dignũ de virginitate notandum talę addendum. Virginitas mentis melior, & commendabilior, quàm virginitas carnis, vt est videre in textu Magistri: qui multis authoritatibus id probat, atq; confirmat, scilicet Ambrosij, Aug. & Isiodori. & hęc pro pręsenti.

AN ALIQVANDO FVERIT LICITVM PLVRES VXORES HABERE.
Lectio CXLV.

SErmone vulgato, linguaq; communi duo quęsita sum vobis enodaturus in pręsenti. Quorum primum: An plures aliquando licitum fuerit uxores habere. Deinde: An simplex

fornicatio

fornicatio sit peccatum mortale. Quo ad primum: negatiuè sic arguitur. Nunquam videtur fuisse licitum, quòd vnius uxoris simul plures essent viri: ergo nunquam licitum, quòd unius viri plures forent uxores. Confirmari hęc ueritas habet, quia vir, & uxor ad paria iudicantur. Deinde, dare alicui, quòd iam fuit traditum alteri, illicitum est: at vir cum vna contrahens uxore corporis sui dat partem: alteri propterea deinceps dare non erit licitum: quare nec plures uxores habere. Ex alio latere, sicuti licet homini vti cibis diuersis ad salutem, cur non licebit plures uxores habere? Pręterea: matrimonium nonne ordinatur ad procreationem, & prolis educationem simpliciter? At uxorum pluralitas huic fini non videtur repugnare: igitur plures licitum erit uxores, vel licitum fuit, habere. Pro declaratione explicationeuè huius difficultatis primæ, debetis scire: ante Euangelium non fuisse per ius diuinum prohibitum plures uxores habere: quin potius oppositum concessum fuisse. Quo stante, dimissis circa materiam hanc varijs opinionibus, rationes adductæ soluendæ. Prima ergo non currit propter dissimile de pluralitate virorum respectu vnius uxoris: hoc enim foret contra principalem matrimonij finem, vt puta contra prolis educationem: quia tunc incertitudo prolis sequeretur respectu patris. At non sic: si unus plures habuisset uxores: & ideo nulla lege, aut cōsuetudine fuit vnquā permissum vnā uxorē plures viros habere, sed è cōuerso sic. Altera ratio in ordine secunda currit, si id fiat sine speciali permissione, aliter non. Argumenta in partē oppositā adducta probant, quod: sit de se illicitum plures hēre uxores nō potuit tamē licitū esse propter humani generis multiplicationem tempore necessitatis, &

propter

propter hominum paucitatem, adhibitis alijs debitis circunstantijs. In noua et lege, vt sępe ac sępius diximus, ex Christi prohibitione illicitum est. & hęc de prima quęstione. Quęritur secundò. An simplex fornicatio sit mortale peccatum. Primo aspectu quibusdam videtur, quòd non. Quia nec charitati videtur aduersari, quò ad dilectionem Dei, vel proximi, cum non sit rectè contra Deum, aut proximum. Pręterea: vt omnis ciborum inordinatus vsus non est mortale peccatum: ita nec omnis cõcubitus inordinatus, vt simplex fornicatio: illud enim, quod est ad corporis salutem ordinatus, vt cibus, non videtur esse peccatum: ergo neque fornicatio, quæ ad humani generis ordinatur salutẽ secundum Augustinũ. Denique: quod dari potest semper, cur non etiam ad tempus? at mulier viro simpliciter corporis sui dare potest potestatem: igitur etiam ad tempus: hoc autem euenit in simplici fornicatione: quare non videtur esse peccatum mortale. Ex alio latere, mortale illud, quod à regno cęlorum excludit: sed fornicatio sic se habet: ergo mortale peccatum. Pro declaratione huius quęstionis secũdæ est primò sciendum, quid sit fornicatio: Insuper quotuplex sit. Quantum ad primum: fornicatio dicitur omnis coitus illicitus, qui non fit cum uxore legitima, & sic includit sub se mechiam, & adulterium. Propriè tamen potest dici inordinatus concubitus naturalis, quo solutus solutam naturali vsu cognoscit: solutus inquam quolibet vinculo coniugij, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis, seu voti. Et licet fornicatio sit genus omnis illiciti coitus, qui fieri solet extra uxorem, tamen specialiter intelligitur in vsu viduarũ meretricum, vel concubinarum. Quo modo distinguitur contra mechiam, &

adulte-

adulterium: inde fornicatio simplex vocatur, vt quando non habens uxorem, accedit ad non habentem virum. Et dicitur fornicatio à fornice, idest ab arcu triumphali, vbi Romæ fiebat fornicatio. Quo ad secundum fornicatio triplex dicitur, scilicet propriè, vt potè cum quis coit non cum sua, vel non cum suo, vel potius solutus cum soluta, vt fuit dictum. Est & fornicatio communiter dicta, vt Idolatria, & quęlibet noxia superstitio, quia talis anima frangit fidem Deo, cui eam obseruare debebat, sicut vero sponso. Datur insuper fornicatio communissimè dicta, scilicet quęlibet criminosa concupiscentia. Gerson vir doctus loquendo de fornicatione spirituali sic ait: quod nil aliud est, quàm vti Deo, vel frui creatura. Vel sic: Fornicatio animæ est adhęsio eius bono commutabili, postposito incommutabili, secũdum aliquam suarum virium. Fornicatio verò virtutis irascibilis fiducia quędam est in alio, quàm in Dei potentia, & gloria finaliter: vel diffidentia de eadem. Fornicatio virtutis rationalis conquisitio dicitur terrenæ sapientiæ animalis, & diabolicæ, spreta Dei sapientia. Fornicatio concupiscibilis, est conquisitio prohibitæ delectationis in creatura, spreta Dei bonitate, atq; dulcedine: vel quęrere dulcedines spirituales propter se ipsas principaliter, non propter Deum. His ita pręmissis, conclusio de fornicatione venit ponenda talis. Fornicatio simplex mortale peccatum est, sicut & omnis fornicatio: & hoc pulchrè probat Petrus de Palude. Est enim contra ius naturale, diuinum, & humanum. Immo qui negaret fornicationem esse peccatum mortale, vt scribit Gerson parte secunda de articulis fidei, hęreticus esset in fide. Vnde Paulus ad Cor. dicebat: nolite errare, neq; fornicarij,

neque idolis seruientes, neque adulteri, neq; molles, &c. regnum Dei possidebunt. Nec nobis obstat illud de Patribus antiquis, qui concubinas habuisse dicuntur: quia non vocantur concubinæ, eò quia matrimonio non essent iunctæ, vt nunc loquimur: sed quia non erant æque principales in domum regendo, vt aliæ, eò quia ancillæ uxorum principalium: & sic Agar, & Cethesa dictæ sunt cõcubinæ Abrahæ. Nunc argumenta formata soluenda: quorum primum falsum ex suppositione falsa: quia fornicatio dicitur esse contra Dei dilectionem inquantum diuino pręcepto in veteri, & nouo testamento prohibetur. V.g. non mechaberis, &c. secundum argumentum ex cibo desumptum sano modò venit intelligendum: quia sumptio cibi, quantum est de se, non videtur esse in alterius pręiudicium, quàm sumentis: àt concubitus fornicarius in prolis pręiudicium est. Et licet sumere cibum de se ad corporis salutem non sit peccatum mortale, attamen si scienter sumeretur in sanitatis detrimentum tunc foret mortale, sicut fornicatio, quæ est in detrimentum prolis. Ad tertium argumentum dicitur: quòd illud, quod simpliciter datur, non secus ad tempus dari potest, vbi natura hoc patitur. At in proposito non sic euenit: quia corpus coniugij, quod datur in cõcubitu, si rectè detur, propter prolem educandam dari dicitur, vel ad horã, vel ad modicum tempus: ibi enim obligatio est inter virum, & uxorem commanendi simul. At in fornicationis actu non sic: quare nullum est argumentum.

AN

AN IN VETERI LEGE VXOREM REPVDIARE ERAT LICITVM. Lectio CXLVI.

SVpersunt adhuc quæsita duo alia explicanda pro maiori intelligentia eorum, quæ in textu Magistri Sent. sunt tacta: quorum primum. An in veteri lege uxorem repudiare fuerit licitum? Præterea: An virginitas matrimonio præferẽda? Quò ad primum: ad partem affirmatiuam declinantes quidam dicunt, fuisse licitum: quia hoc erat secundum legem, quæ sancta, & mandatum sanctum: ergo. Assumptũ patet ꝑ illud, qđ Deutero. xxiiii. Si acceperit homo uxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam. Et Mal. ii. cum odio habueris, eam dimitte, dicit Dominus Israel: quare, &c. deinde vt licitæ sunt nuptiæ secundæ dictæ, quia eas permiserunt Apostoli: ergo, & dare libellum repudij, quia permisit hoc Moyses. Ex alio latere, sicuti nunquam fuit uxori virum repudiare, ita nec debuit esse licitum viro uxorem dimittere. Deinceps duritia cordis non videtur à peccato aliquem excusare: at libellus repudij ad duritiam cordis concessus fuit Iudeis: ergo eos à peccato non excusabat. Pro decisione huius difficultatis primæ, varijs dimissis opinionib⁹: An fuerit licitum, &c. Insuper, repudiatam reconciliare: & quid sit Repudium, adnotabo: deinde argumenta formata diluam. Quò ad primum: Repudium nil aliud est, quàm recusatio; quæ fit ob rem pudendam. Differt autem repudium, & diuortium: quia repudium

fiebat ex indebita causa: at diuortium ex debita: & illud est permissum, hoc concessum. Differunt etiam, quia post repudium non prohibebantur nubere: at post diuortium prohibentur. Insuper differunt, quia vir uxorem repudiabat, non è conuersò. Vnde ad paria non iudicabantur: in diuortio autem ad paria iudicantur. & huius ratio est: quia mulier merito primi peccati est viro subiecta: at post Christi reconciliationem, in quo non est seruus, & liber masculus, & femina omnino, quantum ad legem tori ad paria iudicantur. Hęc sanctus Bonauentura. His ita positis, nunc ad argumenta dicendum, & primò ad primum: quod sano modo est intelligendum: illud ergo licitum est, quod fit secundum legem non solum permittentem, verum etiam approbantem: multa enim lex permittit, quæ non sunt licita ad maiora vitanda mala: & sic repudium uxoris fuit secundum legem veterē permissum ad maius malum vitandum, vt puta uxoricidium: at non fuit approbatum. Ad secundum dicitur argumentum: quod similitudo de nuptijs secundis, & de repudio, quantū ad omnia, non est attendenda: sed solum quo ad hoc: quòd, sicut nuptiæ secundæ permittuntur ꝑpter vitandam turpitudinem fornicationis: sic repudium permittebatur ad uxoricidium vitandum, quod est grauius peccatum. Ad argumenta deinde in oppositam partem adducta, sic respondetur, negando similitudinem primi de uxore, & de viro: quia non est eadem ratio. Ad secundum de duritia dicitur: quòd sine Dei permissione à peccato non excusat: at cum permissione diuina excusabat: aliquid enim benè permittitur infirmis, quòd non sanis: nec tamen peccarent infirmi permissione sibi facta vtentes. & hęc de

quęstione

questione prima. Queritur secundò. An preferenda sit virginitas matrimonio. Primo aspectu videtur, quod non: quia virginitas bonū est priuatum, siue personæ priuatæ, & matrimonium bonum commune ordinatum ad speciei conseruationē: sed priuatum bonum communi nequaquam preponendum: ergo nec virginitas matrimonio. Ex alio latere nonne illud videtur melius, quod consulitur, quàm illud, quod indulgetur? consilium etenim est de maiori bono: indulgentia verò de minori: at viginitas consulitur: matrimonium verò indulgetur solum: ergo. Deinde: virginitati maior fructus debetur, qui est centesimus: at matrimonio solum trigesimus: ergo. Pro dilucidatione huius secundæ difficultatis, quid sit virginitas primo videndum. Insuper quotuplex sit. Tertiò: An melior matrimonio censenda. Quantum ad primum dicitur: quod virginitas est abstinentia ab omni coitu, tàm illicito, quàm licito. Ab alijs dicitur habitus continentiæ perfectus, & decorus. Ab Augustino sic. Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. In carne, quia in Angelis non est virginitas propriè. Corruptibili, in signum difficultatis: difficilius enim est per naturam. Vnde, & post resurrectionem erit etiam virginitas purior, sed non difficilior. Preterea dicitur incorruptionis: quia virgines vi oppressæ virginitatem non videntur perdere. Perpetua meditatio. Vnde pueri, qui nō habent vsum rationis, & nesciunt, quid faciunt, virginitatem nō perdunt. Quantum ad secundum duplex datur virginitas: mentis vna: carnis altera. Quò ad tertium pro statu moderno virginitas melior matrimonio. Primò quia magis ad diuinorū contemplationem ordinatur. Secundò quia est bonum

animæ,

animæ, reddens hominē ad actus magis expeditum. Tertiò Christi patet exemplo, qui virginem matrem elegit, & virginitatem in se seruauit: & authoritate Apostoli quartò: qui ad Cor. dicit. Qui matrimonio iungit virginem suam, benèfacit: & qui non iungit, melius facit: quare, &c. His ita positis, ad argumenta nunc respondendum, & ad primum sic: quòd commune bonum bono priuato potius est, quando eiusdem sunt generis: at priuatum bonum melius esse potest bono communi alterius generis: quo modo virginitas propter Deum assumpta, carnali præfertur fœcunditati matrimonij, præcipuè cum bonum commune, ad quod ordinatur matrimonium per multos sufficienter expleatur. Ad argumenta in oppositum quid dicendum patet ex dictis, & maximè ad secundum: quod respectu premij accidentalis concedendum: quod difficultati operis exterioris respondet. & hæc pro præsenti.

DE LEGITIMIS PERSONIS.
Distinctio 34.
Lectio CXLVII.

D*Elucidaturus vobis hodierna die (ne à vestigijs videar meis recedere velle) distinctionē in ordine trigesimam quartam: nexum ob oculos primo ponam vestros: Insuper ad diuisionem festinabo. Quantum spectat ad primum: postquàm ad aures Magistri Sent. sumus loquuti de matrimonio, quò ad eius institutionem, significationem, & quò ad eius causam efficientem, atq; finalem, eiusquè bona: consequenter hic de eodem deter-*

determinandum erit, quantum ad causam materialem, nec non quantum ad contrahentes personas. Ad quod faciendum prius presens distinctio secanda in segmenta septem. Quorum primum continet conclusionem. Insinuationem alterũ. Propositionem tertium. Declarationem quartum. Conclusionem cum probatione quintum. Duo notanda sextum. Epilogum verò septimum. Circa primum versaturi hanc conclusionem ponemus dicentes. Contrahentium personarum quedam sunt plenè legitimæ, & quedam illegitimæ, & quedam in medio constitutæ. Hanc vt insinuemus loco secundo, vna cum Magistro ita dicemus: ad matrimonium contrahendum aliquas ante legem illegitimas fuisse personas: alias sub lege: & alias tempore gratiæ. Preterea: in primitiua Ecclesia quedam personæ dicebantur illegitimæ: quedam verò modo minimè. Illarum autem, quæ nunc legitimæ, vel illegitimæ sunt: rursus quedam dici possunt plenè legitimæ, vt illæ, quibus nullum obuiat impedimentum contrahendum. Illegitimæ verò quedam omnino, quibus occurrit ordo sacerdotalis, vel cognatio, vel cultus disparitas. Dantur deinde quedam mediæ, quæ nec plenè legitimæ, nec omnino illegitimæ, vt sunt illæ, quibus frigiditas dicitur, vel cognatio obstare. Quæ si ignoranter coniungãtur permanere possunt: at eisdem deficientibus diuidi poterunt. His tertiò addenda talis venit propositio: Ob maximam frigiditatem coniugum fiat separatio: & vir alteri nunquam coniungatur. Ad hanc insinuandam quarto ita procedit Magister Sent. loco dicendo: quòd illi frigiditatis causa, qui debitũ reddere non valent, sic permanere si volunt, non eis denegandum. At si mulier conqueratur, eò quia filios procreare

creare

creare intendat: decretum est: quod vterque coniugum septima propinquorum manu iuret, quod nunquã carnaliter conuenerunt. Et hoc ita fieri habet: primo vir, & mulier iurabunt, quod nunquam carnaliter conuenerunt: & tunc septem de propinquis melius veritatem scire valentibus per probabilia signa iurent: quod credant illos verum dixisse: & tunc temporis mulier nuptias secundas poterit contrahere. Vir autem, qui naturæ erit frigidæ, sine spe coniugij debet manere. Si verò ex vtraque parte impedimentum sit: vterque debet innuptus remanere. Iste ergo modus seruandus dicitur esse, quando vterque coniugum idem fatetur. Quid si vir illud fateatur, & mulier diffiteatur, siue neget? hac in parte fides magis adhibenda est viro: quia mulieris caput est, seruatis tamen seruandis ad omnem tollendam ambiguitatem. Sed dicetis: quid agendum de maleficiatis, qui coire nequeunt? ad hoc dici potest: esse ad Deum benedictum lachrymis, & contritione suorum peccatorum cũ confessione recurrendum: & ita per confessionem, & per ministrorum Ecclesiæ exorcismos, nec non per ecclesiastica sacramenta huiusmodi sanari procurabunt. Si verò sanari nequeant, separari tunc poterunt. Prçterea: quintò cum probatione ponenda venit hęc propositio. Furiosi, & amentes totaliter conbere nequeunt matrimonium legaliter. Hi ergo illegitimi, quia non conformes legi. Nam furiosi, quandiu sunt in amentia tali, contrahere non possunt. At si post in hanc, vel in aliam inciderint infirmitatem, cum prius contraxerint sani, huiusmodi coniugia non possunt solui. & hęc Nicolai Papæ fuit sententia. His duo sexto notanda adduntur loco: quorum primum est de his, qui cum dua-

bus

bus dormierunt uxoris suæ sororibus, neutram enim illarum habere debent, vt pulchrè docet in textu Magister. Alterum notandum, quòd viro liceat uxorem dimittere suam, nec è conuerso propter aliquam corporalem infirmitatem, quòd confirmari potest testimonio Aug. dicentis, si uxorem quis habeat sterilem, siuè corpore deformem, vel membris debilem, vel cęcam, vel claudam, &c. Pro societate, fideq́; sustineat. Ex quibus, vt pręsens terminetur distinctio, epilogo ita dicendum, quòd personarum cõtrahentium quędam sint legitimæ, quędam illegitimæ, & quędam medio modo se habentes. Insuper, quod illæ, quæ per legitimum matrimonium coniunguntur, non possunt postmodum separari aliqualiter.

AN MATRIMONIO IMPEDIMENTA SINT ASSIGNANDA ALIQVA. Lectio CLVIII.

PErcurrere hodierna die volentes dicta Magistri, in ordine tria quęremus. Primò; An matrimonio sit assignare impedimendum. Secundò; An furia connubium valeat impedire. Tertiò; An impotentia coeundi. Circa primũ arguunt negatiuè quidam sic, morbo communi commune remedium debet ascribi: at concupiscentia omnibus communis est morbus: igitur matrimonium, quod est eius remedium, cõmune debet esse omnibus: quare impedimentum ipsi nullum erit assignandum matrimonio. Pręterea. Est à Deo, igitur nullum potest impedimẽtum humanum habere matrimonium. At dicetis vos. Matrimonium fuit institutũ

in remedium, vel in officium: atqui multi sunt inepti, ergo, &c. Pro decisione huius difficultatis prima, matrimonij impedimenta his versibus premittenda. Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen honestas, Si sis affinis: si fortè coire nequibis: Hęc socianda vetant, connubia vincta retractant. Nunc de facili argumenta soluentur. Ad primum ergo dicamus, neminem impediri à matrimonio simpliciter, nisi naturæ impedimentum habeat, vt frigidi: vel nisi assumpserit impedimentum voluntariè, vt qui solemniter vouit, vel ordinem sacrum suscepit, quo modo matrimonij plura possunt esse impedimenta. Ad secundum respondetur, quod factum à Deo immediatè sine causis secundis impediri minimè potest, sub quo sensu argumentũ currit: illud autem, quod fit ab eodem cooperantibus causis secundis, multipliciter impediri potest: & sic est de matrimonio, quod licet sit institutum à Deo, completur tamen secundarum causarum cooperatione, propter quod multis impediri potest modis. Explanato breuibus dubio primo quęritur secundo; An furia matrimonium impedire valeat? Mihi equidem uidetur, quod sic, quia matrimonium est consentientium tantum, & cõsensus est ratione utentium, qua furiosi non utuntur: furia ergo impedit matrimonium. Pręterea, in iudicio furiosus stare non potest: igitur nec sui corporis contractum facere: furia igitur matrimonium impedit. Ex alio latere furiosus, vel potest generare, vel non: si sic, non ergo furio matrimonium impedit. Pro intellectu huius quęstionis scire debetis, furiam tribus accipi posse modis, aut antecedenter, aut consequenter, aut concomitanter: Id est, aut pręcedit, aut sequitur, aut

conco-

concomitari dicitur. Si pręcedit, tunc vel lucida furiosus habet interualla, vel non: si habet, non uidetur impedire tempore consensus. Si post, nec etiam impedit. At si concomitatur, sic impedit. Nunc ex dictis quid ad argumenta respondendum patet. Et ad illud in oppositum, quando dicebatur, quòd furiosus possit generare pręter furiæ statum, habet hoc concedi: at secundum statum furiæ negari. Quare ad omne periculum euitandum, melius uidebitur esse, quòd furiosus non permittatur contrahere. His duobus perbreuibus quęsitis tertium additur sub suis verbis. An impotentia ad actum matrimonij impedire valeat matrimonium: Mihi quod non uidetur: quia dato, quòd actus matrimonialis non sequatur, adhuc matrimonium est perfectum: ergo, &c. Deinde, uoluntas continendi non impedit matrimonium, vt patet inter Mariam, & Ioseph, igitur nec impotentia. Ex alio latere, cum nullus queat se obligare ad impossibile, uidebitur dicendum fore: quòd impotentia coeundi possit matrimonium impedire. Ad quęstionem igitur hanc terminandam distinctione opus erit impotentiæ: duplex enim est, una naturalis, altera accidentalis: & harum quęlibet, vel est perpetua, vel temporalis. Naturalis impotentia triplex est, una in viro, vt potè frigiditas, alia in muliere scilicet arctatio, vel impedimentum aliud naturalis membri, vt habetur de frigidis, & malef. Tertia est defectus ętatis in vtroque, vt in pueris. Accidentalis verò impotentia ex duobus contingit, vel ex maleficio, vel ex sectione, siue castratione, quæ solum in viris locum dicitur habere. Horum autem impedimentorum frigiditas, & arctatio, quibus medicorum opere subueniri non potest, perpetua impedimenta sunt.

His ita premissis, nunc dici potest, quòd omnis impotentia naturalis, vel accidentalis: si perpetua sit, & antecedens, matrimonium impedit contrahendum, dirimitq; contractum. Non autem, si sit temporalis. Nunc argumenta duo formata soluantur, & erit finis Dicatur ergo ad primum, quòd perpetua impotentia non solum impediat actum, sed etiam obligationem, in qua consistit essentialiter matrimonium, quia nullus transferre in alterum potest id, quod non habet, nec habere potest. Ad secundum per idem patet, quia continendi voluntas impedit solum actum, sed non obligationem; at impotentia vtrunque. & hęc de pollicitis pro pręsenti lectione.

EODEM IVRE VTITVR VIR, ET MVLIER.

Distinctio 35.

Lectio CXLIX.

AGgrediar in pręsenti (Nobilissimi Audit.) trigesimam quintam huius libri quarti in ordine distinctionem; cohęrentiam primò considerando, Insuper diuisionem. Quo ad primum, cohęrentia talis sit. Postquam determinatum fuit de cocundi impotentia, quæ matrimonium, quantum ad actum impedit, consequenter hic agendum de tori separatione propter fornicationem, quæ non secus matrimonium tollere dicitur; matrimonij vinculo durante. Habita cohęrentia cũ superioribus: nunc perbreuis, admodumq; facilis distinctio hęc in sex puncta diuidenda. In quorum primo habetur conclusio. Insinuatio in altero. In tertio cuiusdam prius dicti determinatio. In quarto notandum.

Propositio

Propositio in quinto cum probatione. Instantia tandem in sexto. Venio ad primi puncti explicationẽ, vbi hęc ponitur cõclusio. Etsi vir uxorem causa fornicationis dimiserit, alteri ea viuente non nubat, in huius corruptionis statu. Pro cuius insinuatione secundo ita Magister Sent. loco fatur. Quòd, sicut viro licet fornicationis causa uxorem dimittere: ita eadem causa uxori virum licebit dimittere. Quicquid enim viris pręcipitur, hoc consequenter ad fęminas redundat. Nam uxor adultera non est dimittenda, & vir mechus tenendus. Quòd autem nunc nunc dictum fuit, quo modo intelligendum sit Magister in tertio aperit puncto, dum asserit, intelligi debere, si ille, qui alterum, vel alteram dimittit, simili crimini non subiacet. Vnde beatus Augustinus dicebat: nihil esse iniquius, quàm fornicationis causa uxorem dimittere, si, & ipse conuincitur fornicari: occurrit enim illud, in quo alterum iudicas, te ipsum condemnas. Ex his apertè apparet, quòd adulter adulteram dimittere non valet, & è conuersò. His quartò loco notandum sub his ponendum est uerbis. Si causa fornicationis facta fuit separatio, non potest vir, vel mulier in aliam copulam transire coniugalem: possunt autem reconciliari, & simul cohabitare, si alter dimissam uoluerit reuocare. Quòd si vir uxorem suam deliquisse sciat, & non egerit mulier pęnitentiam, sed in fornicatione permaneat, & hoc vir patiatur cum eo uiuens, & cohabitans, consentire uidetur, & reus, & peccati huius esse particeps: quare sine pænitentia eam retinere minimè debet. Si verò mulier dimissa à peccato recesserit, illudq́; per pęnitentiam purgauerit, viro poterit reconciliari proculdubio. Et tunc vir illam tenetur recipere, at non

sępe:

sępe: ne scilicet illi peccandi foret occasio. Quinto loco ponenda uenit hęc propositio. Vir uxorem ducere non potest, quam prius per adulterium polluit: si ipsa in viri mortem machinata fuerit: seu si vir fidem dederit, quod eam duceret, si vir non superuixerit. Pro cuius probatione Leo Papa sic ait. Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio: tale ergo connubium prohibetur. At dicetis vos, una cum Magistro Sent. sexto loco contra dicta arguentes: nonne habet beatus Aug. verba hęc? deniq; mortuo eo, cum quo fuit uerum coniugium, fieri potest connubium, cum qua pręcessit adulterium: malè ergo oppositum tenētes. Pro determinatione huius instantiæ allatæ velim sciatis: Augustini sententiam intelligendam esse de illis, qui pęnitentiam de peccato egerunt, & nihil in viri mortem machinatæ sunt. & hęc de tota distinctione satis dicta sint pro pręsenti.

AN FORNICATIONIS CAVSA VXOR SIT DIMITTENDA?

Lectio CL.

E*Xplicanda se se nobis duo offerunt circa prędeclaratam Magistri Sent. distinctionem quęsita: quorum primum. An fornicationis causa sit uxor dimittenda. Insuper: An sic uxorem dimittens queat alteri nubere. Quò ad primum pro negatiua parte sic arguitur. Si uxor propter defectum sterilitatis non potest dimitti, ergo nec propter fidei defectum, vt puta propter fornicationem. Consequentia patet, quia in matrimonio magis principale*

pale est bonum prolis, quàm bonum fidei: ergo. Deinde: quando vterque fornicatur maius certè peccatum est, quàm quando alter tantum: at secundum iura separatio in primo casu fieri non debet: ergo nec in secundo: Quare, &c. In oppositum se habet illud, quod dicitur Mat. xix. quòd non licet viro dimittere uxorem excepta causa fornicationis. Igitur propter fornicationem separatio facienda. Pro decisione huius difficultatis primæ, erit videndum primò: num propter fornicationem licitum sit uxorem dimittere. Mihi quod sic videtur: nam peccans cõtra matrimonij fœdus iustè priuari debet iure, quod ratione matrimonij habet: at coniux fornicans peccat contra ius matrimonij, quo coniuges sibi tenentur ad seruandam fidem: igitur meritò iure, quod habet in alio ratione matrimonij, debet priuari. Viro itaque innocenti uxorem fornicãtem licebit dimittere. Preterea sciendum est: num vir uxorem dimittere possit propter fornicationem absque iudicio Ecclesiæ. Pro intelligentia huius velim uos scire: uxorem fornicantẽ dupliciter dimitti posse: aut quò ad torũ solum: aut quò ad vtrunque scilicet ad torum, & cohabitationem. Primo modo vir uxorem, de cuius fornicatione sibi constat, authoritate sua potest dimittere, & ei debitum negare, quousq; compellatur authoritate Ecclesiæ. Secundo modo uxor dimitti non debet fornicans, nisi iudicio Ecclesiæ. His ita positis, nunc ad argumenta respondendum: & ad primum sic: quòd, quamuis matrimonium principaliter ad prolis bonum ordinetur: fornicatio tamen magis contra matrimonij iura, quàm sterilitas dicitur. Quia per fornicationem fit coniugi iniuria, non autem per sterilitatem. Deinde sterilitas culpabilis non est, cum

insit

irsu à natura: at fornicatio culpabilis, alteriq; preiudicialis. Ad secundum argumentum potest dici: quòd, quamuis fornicatio duorum, quàm unius, maior culpa sit: tamen unus contra alterũ actionem habere non potest, quia sunt crimina paria, & ideo pari compensatione delenda. Vbi autem est alter innocens, tunc cõtra fornicantem habet actionem: propterea potest agere de se ad separationem, &c. enodata in hunc modum paucis uerbis questione prima; querendum modo est; An alteri possit nubere, qui uxorem ob fornicationem dimisit. Quibusdam declinantibus ad partem affirmatiuam visum est dicere, quod sic: quia, dum àb Ecclesia separātur, quò ad vtrunq; separari dicuntur: ergo dimittens uxorem poterit, &c. Insuper authoritate Domini apud Mat. xix. dicentis, hoc idem probari potest. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur: igitur saltem propter fornicationem uxorem dimittere, & alteri nubere licebit: In oppositum se habet Apost. ad Cor. His, qui matrimonio iuncti sunt, precipio, non ego, sed Dominus uxorẽ à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Ad terminandam ergo hanc questionem, duo supponenda. Primum est: quod uxorem dimittens ob fornicationem alteri nubere non potest sub noua lege. Secundum est: quòd in casu, quo fieri possit reconciliatio, tunc in vnum poterunt habitare. His ita positis, rationes duæ prius adductæ de facili ruent. Prima enim currit, quo ad torum, & quo ad habitationem: at non quo ad matrimonij vinculum. Altera debet sumi, atq; referri ad partem, nõ ad totum. Domini ergo illa exceptio debet referri ad partem dicti, scilicet ad di-

missionem

missionem uxoris, non autem ad totum. Loquor sub hoc statu noua legis. & hęc satis.

SI PRO EXTREMA CONDITIONE, ETC.

Distinctio 36.

Lectio CLI.

EXplicaturi trigesimam sextam distinctionem huius libri quarti: de nexu primò verba faciemus: deinde ad distinctionis diuisionem accedemus. Quantum attinet ad primum: huius cum superioribus nexus, & ordo videtur esse talis. Postquam superius determinatum fuit de impedimentis matrimonium contrahendum antecedentibus, & de superuenientibus in contractu: nunc agendum de incidentibus in ipso contractu; vt puta de errore conditionis. Habita serie pręsentis cum pręcedentibus, modo ad diuisionem distinctionis accedo, & hanc in secta diuido octo. In quorum primo extat propositio. Dubium in altero. Solutio in tertio. Quęsitũ in quarto. Solutio in quinto. Propositio in sexto. Insinuatio in septimo. Notandum denique in octauo. Quo ad primum hęc est propositio. Cum persona seruitute depressa contrahens ignoranter eam potest dimittere, & alteri coniungi matrimonialiter. Pro cuius insinuatione quęrit loco secundo Magister. An seruitus connubium diuidere possit. Pro solutione tertio ita fatur Magister loco. Liberam scilicet seruum accipere posse, & è conuersò liberum ancillam: at si viri conditionem mulier nesciat, vel è conuerso vir mulieris: cum fuerit seruitus deprehensa,

eam tunc temporis liberè dimittere poteſt. At ſi mulieris conditionem nouerit, vel vice verſa, nequaquam poterit dimittere. Quos etenim Deus coniunxit, homo non ſeparet. His quarto quęſitum additur loco. Quęri enim ſolet. Si ambo, ſcilicet vir, & mulier conditionis ſint ſeruilis: an inter eos coniugium eſſe queat. Pro reſponſione quintò dicendum eſt, quòd ſic: dummodo fiat coniunctio ex dominorum uoluntate, vt una tenet opinio. Quidam alij tenent, quòd etiam neſcientibus dominis, inter eos fieri poſſit coniugium. At ex dictis uideo uos in hunc modum dubitare poſſe: ſi mulier uirum acceperit liberum, deinde ille ſe fecerit ſeruum occaſione diuortij: an uxorem dimittere poterit ille? certè non: neq; illa per matrimonij uinculum in ſeruitutem poterit redigi: dum ille nõ ex aſſenſu coniugis ſe fecerit ſeruum. Nunc ſexto uenit ponenda hęc propoſitio loco. Sponſalia minimè contrahi dicuntur, niſi ab alterutra parte ſciatur, quid inter eos in huiuſmodi facto agatur. Ad quam inſinuandam Magiſter ſeptimo loco docet: pueros ſecundum leges ante xiiii. & puellas ante xii. annum inire non poſſe matrimonium: quod ſi aliter fecerint, ante prędicta tempora ſeparari poterunt. Qui verò in pueritia copulantur: & pòſt pubertatis annos ſe dimittere nolunt, ſed in coniunctione manere, ex hoc coniuges efficiuntur, & deinceps ſeparari nequeunt. Hinc notandum colligitur de ſponſalibus, quæ ante annum ſeptimum contrahi nequeunt. Expedit enim, quòd ab vtraque parte, quid inter eos agatur, intelligatur. & hęc de pollicitis ſatis.

AN MATRIMONIVM SERVITVS VALEAT IMPEDIRE.

Lectio CLII.

ARbitror, duo quęsita circa dicta Magistri Sent. excitanda esse: quorum primum: an seruitus coniugium valeat impedire. Insuper: an sine consensu sui domini valeat matrimonium seruus contrahere. Circa primum: ad partem quidam negatiuam declinantes sic arguunt. Lepra non impedit: ergo nec seruitus: consequentia patet: quia conditio grauior in coniuge lepra, quàm seruitus: ergo. Deinde: quis vnquam vidit ius positiuum iuri naturali pręiudicare? At matrimonium videtur esse de iure naturali, seruitus verò de iure positiuo: matrimonio ergo seruitus pręiudicare nõ potest. At dicetis: cur ergo legitur oppositum extra de coniugio seruorum? Pro determinatione huius difficultatis primæ est sciendum: quòd seruitus, vel superuenit iam matrimonio cõtracto: aut pręcedit. Si primo modo non impedit. Si secũdo modo, hoc dupliciter capi potest: vno modo de se, & absolutè: alio modo respectu ignorantiæ contrahentis. Si primo modo non impedit: at secundo modo sic. His ita pręmissis, argumenta soluenda, deinceps erit primæ quęstionis finis. Dicatur ergo ad primum: quòd lepra nõ impediat matrimonium, quantum ad primum actum suum; quin leprosi sibi inuicem possint debitum reddere, & liberè: quamuis grauamina aliqua dicatur inferre matrimonio, quo ad effectus secundos. De seruitute autem non sic, vt aliàs dictum fuit: quare lepra minus impedit, quàm seruitus. Ad secundum dicitur:

 quod

quod in hoc ius positiuum iuri non cõtrariatur naturali, sed ipsum determinat, quia de iure naturali solum est, quòd quilibet contrahere possit, naturale impedimentum non habens. At quis, cum qua debeat contrahere per ius positiuum, determinatur: per quod rationabiliter etiam determinatur, vt non teneat contractus liberi cum ancilla, quando seruitutis conditio ob causas dictas ignoratur. Exposita prima quęstione, altera subsequitur, dum quęritur. An sine domini sui consensu seruus matrimonium cõtrahere valeat. Mihi, quod non, aspectu primo videtur. Nam per religionis votum, si Deo sine domini sui licentia se obligare nequit: ergo multò minus sine eius consensu per matrimonium poterit se obligare. Insuper: seruus res domini dicitur: igitur sine eius consensu, quo modo valeat contrahere matrimonium, non video. Quare, &c. Ex alio latere in contrarium se habet Apost. ad Gal. iii. in Christo Iesu non est seruus, neq; liber: Igitur, &c. Pro determinatione quęsiti huius, hęc pręmittenda conclusio venit: q̃d seruus contradicente domino, vel nesciente, matrimonium valeat contrahere. Cuius ratio est: quia ius positiuum, licet determinet ius naturale, non ob id ei potest pręiudicare. Quare, &c. Hoc stante ratio prima in ordine ruit de facili: quia per religionis votum quis diuinis ad totum obligatur tempus: at vir uxori debitum reddere ad tempus, siue congruis temporibus: & ideo plus domini seruitium per ingressum religionis dicitur impediri, quàm per matrimonium. Dicatis itaque rationem adductam nullam esse: quia hinc inde non est simile. Altera ratio, qua dicebatur, quod seruus res domini est, sano modo debet intelligi. Nam quantum ad ea, quæ naturalibus

superad-

superadduntur verum est: at quo ad naturales actus, qui necessarij sunt, vel ad conseruationem indiuidui, vt comedere, &c. vel quo ad cōseruationem speciei, sicut matrimonium contrahere, non dicitur res eius esse: ideo potest transferre in alterum sine eius consensu. Ad illud Pauli dicitur: quod seruus, & liber non differunt, quantum ad ea, quæ sunt de necessitate salutis. Non enim ibi loquitur de susceptione sacramentorum. & hęc pro pręsenti.

IN QVO ORDINE CONIVGIVM FIERI NEQVEAT.
Distinctio 37.
Lectio CLIII.

NE à mea videar velle consuetudine recedere: hodierna die circa distinctionem trigesimam septimam versabor, duo vobis enodando. Quorum primum ad continuationem pertinebit: alterum verò ad diuisionem. De continuatione, quid dicturus sim, audite. Ex quo superius verba fecimus de impedimentis facientibus personas medias plenè legitimas, penitusque illegitimas: consequēter modò determinandum erit de impedimentis omnino personas illegitimas nō facientibus. Habita serie huius distinctionis cum pręcedentibus, diuidenda nunc erit in secta quatuor. Quorum primum conclusionem respicit. Alterum insinuationem. Propositionem tertium. Et manifestationem quartum. Quo ad primum, hęc sit conclusio. Voto continentiæ constricti, vel in sacris ordinibus, vel in religione constituti, matrimonium contrahere

here ab Ecclesia sunt prohibiti. Pro insinuatione huius conclusionis, loco secundo procedit ita Magister Sent. dicendo: ordinum quosdam dari, in quibus nullatenus coniugium potest contrahi, & etiam, si copula intercesserit, diuortium debere fieri, sicut sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus. In alijs verò ordinibus, coniugium fieri permittitur, nisi religionis sumpserint habitum, vel fecerint continentiæ votum. Vnde Leo Papa, Clericos, Lectores, Ostiarios, Exorcistas, Acolytos, si extra votum, & habitum inueniuntur, & continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit. Item Leo Papa, lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis, & presbyteris, qui cum essent laici, vel lectores, licitè uxores ducere potuerunt, sed cum ad prędictos gradus peruenerunt, cepit eis non licere, quod prius licuit. Rursus in sexta Synodo: Si quis eorum, qui ad clericatum accedunt voluerint nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat. Pręterea: Calixtus Papa. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdicimus. Demum Gregorius sic ait. Nullum facere Subdiaconum Episcopi pręsumant, nisi qui se castè victurum promiserit, quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptũ ministerium fuerit approbata. & hęc pro parte secũda. In tertia hęc propositio ponenda. Ex iure Canonico, quod mundanis legibus non astringitur, viro, ne, uxorem interficiat, matrimonium interdicitur. Pro manifestatione Magister quarto loco ita ait, suarum uxorum occisoribus penitus coniugium esse denegandum. Insuper tales sic criminosos

minosos Ecclesiastica disciplina spirituali gladio, & non materiali corrigendos esse. Preterea: penitentiam publicam agere debere. Et si fortè fortuna contumaces fuerint, tunc excommunicationis gladio, quousque consentiant, sunt feriendi. & hec de tota distinctione pro presenti.

AN ORDO SACER MATRIMONIVM IMPEDIAT.

Lectio CLIIII.

VT via facilis ad subsequentem distinctionem pateat nobis, duo inquiremus in presenti. Primò: An ordo sacer valeat matrimonium impedire. Deinde: An uxoris occisio similiter. Circa primum, ad partem negatiuam declinantes in hunc modum ratiocinabimur. Si ordo sacer matrimonium impedire posset: aut hoc fieret ratione ordinis, vel ratione voti annexi, aut ratione statuti Ecclesiastici: at nullum horũ, non ergo valet impedire matrimonium. Minor vt suspecta declaratur, quia sic omnis ordo impediret, quod non est de minoribus. Nec ratione voti annexi, quia sic ordo, & votum duo non essent impedimenta matrimonij. Nec ratione statuti, quia matrimonium contractum contra Ecclesiæ interdictum non dirimitur: ergo. Preterea, illud quod impedit matrimonium, dicitur aliquam habere oppositionem ad ipsum: at ordo sacer nullam habet ad matrimonium: ergo. Minor sic declaratur, quia vt virtus non opponitur virtuti, ita nec sacramentum sacramento, & ita sacer ordo non dicitur matrimo-

nium

nium impedire. Ex alio latere in textu Magistri totum oppositum est videre, & ideo pro huius difficultatis primæ declaratione, erit notandum, quod ordinum quidam sacri dicuntur, & quidam non, qui sacri, vt iam patuit matrimonium impediunt, cęteri verò non. Quo supposito, ad argumenta nunc dico, & primò ad primum, q̄d ordo sacer impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, non ratione ordinis absolutè, at ratione, qua sacer ordo, & cum dicitur, quod matrimonium contractum contra Ecclesiæ interdictum non dirimitur, dicitur ad hoc, quod Ecclesia aliqua interdicit simplici prohibitione, ne fiant: at si fuerint facta non irritat. Alio modo solet interdicere aliqua, ne fiant prohibendo, & irrita faciendo. Primo modo matrimonium contrahi tempore feriato interdicit, & secundo modo in susceptione ordinis. Ad secūdum argumentum dici potest, quod matrimonium sacramentū est, Ecclesiæ ratione significationis, & sic ordini non dicitur opponi: at vt est in officium naturæ ratione carnalis generationis, benè disconuenit sacro ordini propter causas prius dictas, & quo ad hoc opponitur, vt patet rectè intuenti. Explicato primo dubio, alterum accedit, vbi videndum. An uxoricidium, siuè uxoris occisio, vel interfectio matrimonium valeat impedire. Primò aspectu videtur esse dicendum, q̄d non. Nam maius peccatum videtur esse patrem occidere, quàm uxorem, sed primus à matrimonio non impeditur: ergo, neque secundus. Preterea, si uxoris interfectio matrimonium valeret impedire, hoc eueniret ratione criminis: at in adulterio uxorem occidere deprehensam non est crimen, igitur tale uxoricidium non debet impedire matrimonium. Minor, vt suspecta sic declaratur,

declaratur, q̃a qui sic facit, nihil iniustũ facere videtur, nec cõtra personam, quæ mortem meruit, nec cõtra iustitiam publicam, quia lex ciuilis hoc permittit. Ex alio latere huiusmodi suarum coniugum interfectores, vel sunt homicidæ, vel non, si sic, vel ad pęnitentiam redigendi, vel non: nulli dubium, quod sic: igitur coniugium totaliter eis denegandum. Pro explicatione huius difficultatis secundæ debetis scire, quod virum uxorem suam interficere stat dupliciter. Vno modo per ciuile iudicium eam accusando de adulterio criminaliter, & per legitimos conuincendo testes, pęnamq; mortis à lege, vel à consuetudine statutam petendo, & hoc licitum dicitur, si zelo iustitiæ, nõ vindictæ, fiat. Alio modo contingit occidere per se ipsum non in iudicio, & sic non licet, quantumcunque sciat eam adulteram esse. Quia nulli quenquam interficere licet, nisi ei, qui publica fungitur authoritate. His ita positis, ad rationes nunc respondendum. Dicamus ergo ad primam, quòd uxoricidium non impedit matrimonium solum ratione criminis, sed quia contra matrimonij fędus est, & quamuis matrem, vel patrem occidere sit maius, & grauius peccatum, quàm uxorem interficere, tamen uxoris occisio magis contra matrimonij fędus, quàm matris, vel patris occisio, & ideo magis impedit matrimonium. Ad secũdam rationem dicitur, q̃, si uxoris occisio actu deprehensæ in adulterio fiat extra iudicium, semper est peccatum, & iniustum, quia pręiudicat personæ, & Reipublicæ; personæ, quæ non debet mori, nisi confessa, & in loco iudicij conuicta. Pręiudicat etiam publicæ iustitiæ, quia non per publicum iudicium occiditur, & quamuis hoc lex ciuilis permittat, non tamen, vt licitum. & hęc pro pręsenti.

DE VOTO.

Distinctio 38.

Lectio CLV.

VBI de ordinis impedimẽto terminatus est noster sermo, cõsequens modo est de voti impedimento uerba facere. Diuidatur ergo presens distinctio in segmenta octo. In quorum primo ponitur propositio. In altero voti diffinitio. Conclusio in tertio. Insinuatio in quarto. Instantia in quinto. Illatum unum in sexto. Conclusio in septimo. Demũ quesita duo in octauo. Quo ad primum, sit hec propositio. Votum commune est illud, qđ oẽs accipiunt, cum spondent diabolo, & eius pompis renunciare. Singulare verò, cum quis spondet virginitatem seruare. Pro cuius insinuatione loco secundo voti premittenda venit finitio. Votum enim dicitur testificatio quędam promissionis spontaneæ, quæ de his, quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Sunt tamen aliqua stultorũ vota, quæ frangenda, vt V.g. vota de non pectinando caput in Sabbato, & similia, quæ potius deridenda, quam obseruanda, quia similitudinem quandam dicuntur habere cum Idolatria. At quia hactenus nostis, quodnam sit commune votum, & singulare, quęso votorum singularium pro uberiori doctrina dictorum distinctionem audite. Nam horum singularium votorum aliud priuatum, & illud est, quod in abscondito factum est: aliud solenne, vt illud factum in facie Ecclesiæ. Priuatum autem uotum si uioletur, mortale peccatum est. Si verò solemne, & scandalum, & mortale est. His tertio loco addenda uenit hęc conclusio. Omne quod licitè promit-

promittimus, totum ſeruare debemus, ſiue uotum priuatum ſit, ſiue ſolemne. Pro cuius inſinuatione quarto procedit ita loco Magiſter Sent. dicendo, quòd qui priuatum continentiæ faciunt uotum, matrimonium nequaquam contrahere debent, quia contrahendo mortaliter peccant. Si autem contraxerint, non ſeparentur, quia probari non poteſt, quod occultè factum eſt. Qui autem ſolemniter uouent, nullatenus coniugium inire queunt, continentiam ergo ſeruare debent uouentes, ſiue ſint virgines, ſiue uiduæ, ſiue uelatæ, ſiue nõn uelatæ. Quod enim ante fuit licitum, poſt uotum fit illicitum, quod ſi, qui cõtinentiam ſolemniter uouerunt, aliquo tempore cõtrahant, tunc ab ingreſſu Eccleſiæ, nec non à fidelium cętu debent ſeparari, donec humili corde ſatisfaciant, & ad bonum, quod ceperant, ſiue inuitè, ſiue voluntariè reddeant. & hęc de ſectis quatuor. In quinto in contrarium inſtantia adducitur deſumpta ex Innocentij authoritate dicentis, quod qui primo ſpiritualiter nubunt, ſi poſtea publicè nupſerint, non ſolum ad coniugium, ſed nec ad pęnitentiam recipi debent, niſi quibus ſe coniuxerunt, de mundo recedant. Ad quam inſtantiam ita reſpondendum, quod Innocentij authoritas intelligenda ſit de illis, qui ab inceſtus copula deſiſtere nolunt, huiuſmodi enim ad pęnitentiam nõ ſunt admittendi. Volentes tamen dignè pęnitentiam agere, à pęnitentia nõ erunt excludendi. & hęc de puncto quinto pro pręſenti. In ſexto ex dictis illatum deducitur tale, quòd illud uotum per ſacri ordinis ſuſceptionẽ ſolemnizatum, ac religionis ingreſſum impedit, ac dirimit matrimonium contractum. Hinc concluſio talis apponitur loco ſeptimo. Viri redeuntes ex captiuitate longa, quos fęminæ putabant fore mortuos, uxores

suas possunt repetere ex iuris potestate. Ad quam insinuandam octauo loco quęrit primo Magister. De fęminis illis, quæ ad aliorum coniugia transierunt putantes viros suos mortuos esse, vel in captiuitate interfectos, vel nunquam liberandos, si illi redierint: an eis debeant reddi: an reæ, sint adulterij. Ad hoc potest dici, quod copula prima erat legitima, & ideo ad legitimum consortium redire tenentur, si autem noluerint, sed cum posterioribus uiris remanere, meritò sunt excommunicandæ, & ecclesiastica communione priuandæ, eo quia de re excusabili criminis contaminationem elegerunt, cum prius propter ignorantiam de peccato aliquam excusationem haberent. Quęritur secundo, quid de isto, qui uxore sua in patria relicta abijt in regionem longinquam, ibique aliam duxit, pęnitentia ductus vult eam dimittere, asserens se aliam habuisse, quæ adhuc viuit. An in huiusmodi copula coniugium sit? ad hoc respondetur, quod non, mulier tamen propter ignorantiam à crimine excusatur, vir autem adulterium commisit. Sed ex quo vult ad primam reuerti nec potest, videtur iudicio Ecclesiæ cogi, hanc tenere, & tunc per obedientiam, & timorẽ incipit excusari. Vnde reddere debet ei debitum, sed nunquam ab ea exigere, seu poscere. Hic tamen notetis, quòd Magister circa pręsentem locum non tenetur communiter. Nam Ecclesia nec ad hoc cogit, nec obedire in proposito tenetur iste. & hęc de tota distinctione satis.

DE

DE CONCVRRENTIBVS AD VOTVM. Lectio CLVI.

QVid esset votum, & quotuplex in prędeclarata distinctione intellexistis. Vnde autem dicatur, & quot de integritate eius sint in presenti dicemus. Quò ad primum: votum dicitur à volendo, vt scribit Ricardus. Vnde, sicut nobis duplex velle est, scilicet plenum, qđ est velle deliberatiuum: & semiplenum, qđ velle dicitur ex surreptione, ita duplex uotum, scilicet votum, quod habet voti plenam rationem, & de ratione talis voti est, quod sit factum ex deliberatione. Datur etiam votū, quod plenam uoti rationem non habet, & de ratione talis uoti non est, quod fiat cum deliberatione, tale enim fieri potest ex surreptione, & quia uoti plenam rationem nō habet, ideo de necessitate non obligat, sed ex congruitate quadam. & hęc de puncto primo. In altero quinque tanguntur, quæ de integritate uoti esse dicuntur. Primum est voluntatis intentio, ita vt quis voluntariè proponat, & vouere intendat, nisi enim esset voluntatis propositum, nullum fieret uotum. Secundò requiritur rationis deliberatio, oportet enim qđ intentio, & voluntas vouētis sit deliberatione firmata. Tertiò ad votum requiritur cordis promissio, quòd habet intelligi de tacito voto, qđ fit Deo, qui cor intuetur. Nam in huiusmodi voto tacito, vel secreto homo se obligat Deo per solam cordis promissionē, cuius Deus est cognitor, vt dictum est, & in hac cordis promissione ratio voti perficitur. Quartò ad votum requiritur oris, vel vocis expressio. Nam sicut promissio, quæ fit Deo, fit corde, ita promissio,

quæ

quæ fit homini propter Deum ab homine, fit per verba, vel quocunque exteriori signo. Notandum hic tamen venit, quod votum Deo factum nō solum corde fieri dicitur, sed quandoquæ exprimitur ore, & hoc propter causas quatuor: prima est propter mentis excitationem: secunda est propter aliorum contestationem: tertia est propter Dei honorem: quarta propter hominum reuerentiam, debet etenim quilibet abstinere, & cauere non propter Dei timorem solum, sed etiam propter reuerentiam hominum à fractione voti. Quintò ad votum requiritur promissionis testificatio, scilicet aliorum testimonium. Nam testimonium aliorum, coram quibus votum emittitur, vouentis promissionem roborat, atq; confirmat. & hęc satis.

QVOT EXCLVDANTVR A VOTO. Lectio CLVII.

DVO sese mihi exponenda offerunt hodierna die vobis: *quorum primum numerum eorum, quæ à voto secludenda sunt, de quibus fieri uotum minimè potest, respicere dicitur. Alterū verò modos diuersos, quibus solemnizatur uotum. Quo ad primum, quinq; sunt, de quibus uotum fieri minimè potest: primò mala, siue peccata: secūdò necessaria: tertiò casualia: quartò minima: quintò, & vltimò indiscreta. Primò à uoto mala secluduntur de quibus non habet fieri uotum, & si fiat non obligat, & faciens peccat, & grauius seruans. Vnde Isidorus. In malè promissis rescinde fidem, in turpi uoto muta decretum. Insuper à voto*

necessaria excluduntur, cuius ratio est, quia votum est promissio voluntaria: at necessitas voluntatem excludit, est autem necessitas duplex, scilicet absoluta, & conditionata: primo ergo modo quod necessarium est, sub voto minimè cadit. Nam foret stultum, si quis voueret se moriturum, vel se non esse volaturum. Secundò illud, quod est conditionatum necessarium, scilicet ex suppositione finis, quia sine eo salus esse non potest, ideo vno modo cadit sub uoto, quia fit uoluntariè, alio modo non, inquantum necessitatis est. V.g. licet abrenunciare pompis diaboli, & seruare fidem Christi de necessitate salutis, vt fit ab hominibus in baptismo. Tertiò à voto casualia excluduntur, vel fortuita, vbi notandum, quòd quędam sunt, quæ in omni euentu bona sunt, vel quæ non possunt malum habere euentum, vti opera virtutis, quæ sub uoto absolutè cadunt. Quędam verò alia sunt, quæ nullo modo bonũ euentum habere possunt, sicut peccata, & ideo sub voto cadere nullo modo possunt. Quędam deinde sunt, quæ in aliquo casu malum euentum habere possunt, & in aliquo bonum, & tunc, si votũ de talibus fiat, in illo casu, in quo bonũ habet euentum, obligat. In illo verò casu, in quo malum euentum habet, uotum de ipso factum non obligat, vt patet de ineptè uouentibus. Quartò à uoto minima excluduntur, qualia solent esse mulierum uota, quod non pectent caput in die Sabbati, & similia, quæ potius deridenda, quàm seruanda, etiam si fieri videantur pro honore sanctorum, cuius ratio est inquit Albertus, quia talia vota magis sortilega sunt, & idolatriæ reliquiæ quędam: quare nullo modo seruanda. Quintò à voto secluduntur indiscreta, puta vota, quæ fiunt de ieiunijs immoderatis, & vigilijs redundantibus in detrimentum

trimentum personæ. Quæ seruanda minimè sunt, cuius ratio est, quia sub voto nil cadit, nisi inquantum virtutis actus est: at immoderata corporis maceratio in personæ redundans detrimentum, non est actus virtutis, sed potius quando fit ieiunium cum discretione: ergo. Et hęc de primo puncto. In altero agendum venit de modis, q̃bus votũ solemne fieri dicitur. Vt igitur solemnitas alicuius promissionis corporalis attenditur secundum aliquod corporale, ita solemnizatio promissionis spiritualis attendi habet secundum aliquod spirituale, quod ad Deum pertinet. V.g. militiæ solemnitas in quodã equorum, armorum, & cursu militum apparatu consistit. Similiter nuptiarum solemnitas in apparatu sponsi, & sponsæ, & propinquorum conuentu. Cum ergo votum sit quędam promissio facta Deo, solemnitas voti, fit cum quadam benedictione, vel consecratione, ita quod tribus uotum solemnizatur modis: primo modo per sacri ordinis receptionem. Secundo per certæ regulæ professionem. Tertio modo solemnizatur per veli virginitatis, vel viduitatis receptionem, quando scilicet aliqua mulier virgo, vel vidua virginitatis velum, vel viduitatis accepit, & vestem religiosam assumpsit, & in scriptis à se, vel ab alio factis, & suo signo signatis promisit, se perpetuo continentiam seruare. & hęc de pollicitis satis.

DE CONTINENTIAE VOTO.
Lectio CLVIII.

VT nobis pateat facilis aditus ad subsequentẽ distinctionem, adhuc duo alia in pręsenti perpendam. In primis quotuplex

votum

votum continentiæ sit: deinceps, an solemne uotum matrimonium impediat. Quantùm ad primum, continentiæ uotum duplex est, scilicet solemne, & simplex. Quando autem sit solemne continentiæ uotum iam diximus, quamuis de hoc uariæ sint opiniones apud aliquos iurisperitos. At quia hic est sermo de uoto solemni, propterea velim sciatis, quo modo solemne, & publicum differunt. Nam quodlibet uotum coram multis in publico factum, publicum dici potest: attamen non quodlibet tale debet dici solemne, nisi illas habeat, quas diximus, cõditiones. Multo plura possem dicere: at hic supersedeo, vt etiam alijs legendi Gersonem detur occasio. Explicato itaq; puncto primo his paucis verbis, sequitur alterum, dum quęritur; An solemne uotum impedire ualeat matrimonium, dirimereq́; contractum. Pro parte negatiua solent argumentari quidam ita dicentes, iuramentum uoto simplici additum licet dicatur impedire matrimonium contrahendum, attamen contractum dirimit minimè: ergo nec solemnitas. Insuper hoc idem Celestinus in decretali extra, quod clerici uouentes matrimonium contrahere non possunt: Rursus apud Deum nõ minus obligat simplex uotum, quàm solemne: at per simplex uotum matrimonium impeditur, sed non dirimitur: igitur neque solemne votum. Ex alio latere in oppositũ se habet Apost. ad Cor. dicens. Dispondi enim uos uni viro virginem castam exhibere Christo: ergo solemne uotum continentiæ matrimonium impedit contrahendum, & iam contractum dirimit. Pro dilucidatione, quid uotum esset dicendum: Insuper de quo sit: at quia de his aliàs diximus: iccirco silentio talia pro pręsenti inuoluemus, supponentes tamen simplex uotum contrahendum

impedire matrimonium, ſed nõ dirimere contractum, uotum verò ſolemne impedire, & dirimere, cuius ratio dicitur eſſe, quia res alicui promiſſa, ſed nundum tradita, in alterum transferri poteſt, licet peccet transferens contra promiſſum faciens. Cum ergo in uoto ſimplici ſit ſolum promiſſio continendi, in uoto verò ſolemni ſit traditio corporis ſui in manu alterius uice Dei, patet, quòd poſt ſimplex uotũ, quis poteſt corporis ſui poteſtatem dare alteri, ſcilicet coniugi per matrimonium, licet peccet contra promiſſum faciens, hinc ſimplex uotũ contrahendum dicitur impedire matrimonium, quia illicitè contrahitur, non dirimit tamen contractum. Poſt verò ſolemne uotum quis ſui corporis poteſtatem alteri dare non poteſt, cùm iam in alterum tranſtulerit uice Dei, & ideo continuè ſolemne uotum impedit matrimonium contrahendum, dirimitq; contractum. His ita poſitis, argumenta nunc de facili ſoluentur. Nam primum non concludit, quia ſolemnitas plus addit ad uotũ ſimplex, vel additum ſupponit, quàm iuramentum. Iuramentum enim niſi confirmationem promiſſionis addit, quæ in ſimplici uoto eſt: at ſolemnitas addit, vel ſupponit vltra ſimplex uotum rei traditionem promiſſæ, ratione cuius habet impedire, & dirimere matrimonium contractum. Ad ſecundum argumentum eſt dicendum, qđ comparatio illa intelligenda ſit, quò ad peccati genus. Nam vterque mortaliter peccat uotum ſimplex, atq; ſolemne transgrediens, ſed non quantum ad peccati grauitatem, nec quantum ad matrimonij impedimentum propter cauſas prędictas. hęc intantum.

DE

DE DISPARI CVLTV.

Distinctio 39.

Lectio CLIX.

NON *magno verborũ apparatu hactenus Magister Sent. egit de impedimentis matrimonij, quæ faciunt personam simpliciter illegitimam. Modo eius consilium est loqui de impedimento eam illegitimam faciente respectu alterius personæ. Posita serie in hunc modum vna cum intentione, diuidi habet nunc presens distinctio in sex puncta. In quorum primo ponitur conclusio. In altero instantia. In tertio propositio. In quarto quæsita duo. In quinto conclusio. Insinuatio denique in sexto. Quò ad primum, sit hec conclusio. Diuersæ religionis personæ ad contrahendum simul matrimonium sunt illegitimæ. Nec id mirum: contrahi enim nequaquã potest matrimonium ab his, qui sunt diuersæ religionis. Nam dispar cultus personas ad contrahendum facit illegitimas. Vnde Aug. ne nubat femina, nisi suæ religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorẽ. Item Ambr. caue Christiane Gentili, vel Iudeo filiam tuam tradere. Ex his ergo alijsq; pluribus testimonijs apparet, non posse contrahi coniugium ab his, qui sunt diuersæ religionis, & fidei. Enodato puncto primo, alterum in ordine apponitur secundum, vbi instantia talis per Apost. proponitur. Si quis habet uxorem infidelem, & hec consentit habitare cum isto, non dimittet illam, & similiter dicit de muliere, obuiant ergo hec predictis. Pro responsione huius instantiæ debetis scire, illud dictum, scilicet quod, qui sunt dispares in cultu, contrahere non*

possunt, intelligendum fore de illis, qui existunt in dispari religione, seu cultu, seu fide, qui sic manentes cōtrahere nequeunt. Quod autem Apost. ait, debet intelligi de illis, qui unius fuerunt infidelitatis, quando coniuncti sunt, postmodum vnus sine altero ad fidem conuersus est, quando enim sic est, si infidelis cum fideli cohabitare consentit, tunc suadet Apostolus fideli, vt eam non dimittat, quia forsitan per fidelem saluanda est. Licitè tamen fidelis infidelem cohabitare etiam uolentem dimittere potest, quoniam infidelitas quędam fornicatio spiritualis est, propter quā uxor potest dimitti, sicut propter corporalem fornicationem, quæ authoritatibus omnia probantur, vt patet in textu. Ex his tertio loco infertur talis propositio. Vir fidelis, vt iam diximus licitè uxorem infidelem dimittere potest, & è conuerso. His quarto loco quęsita sunt addenda duo: quorum primum. An propter aliud vitium, quam infidelitatis dimitti possit? ad quod dici potest, quod vir potest uxorem dimittere ob quasdam concupiscentias à lege Dei errare facientes. V.g. si dixerit mulier, non ero tua uxor, nisi mihi diuitias de latrocinio congreges, vel nisi solita lenocinia exerceas. Hęc ergo sunt, & alia similia flagitiosa, propter quæ sine crimine vir uxorem potest dimittere, & nō solum propter infidelitatem. Quęri solet secundo, si fidelis infidelem dimittat, vel infidelis à fideli recedat; an fideli aliam ducere liceat. Hic ad vtranque partem possent adduci authoritates multæ: at uolentes nos contrarietates soluere dicemus, quod si fidelis dimittat infidelem uolentem secum cohabitare sine saluatoris contumelia, ea uiuente alteram non potest ducere. Si verò infidelis discedat, & dimittat fidelem uolentem secum habitare,

tare, non tenetur discedentem sequi, sed licebit ei alteram ducere, loquẽdo tamen de illis, qui in infidelitate sunt coniuncti: at si uterque ad fidelitatem conuersus sit, vel si uterq; fidelis existens matrimonio coniunctus, & postea illorum alter à fidelitate discesserit, fidelemq; derelinquit; tunc non debet dimissus discedentem infidelem sequi, illa tamen uiuente, aliam non potest ducere, quia inter eos ratum fuit coniugium, qđ dissolui non potest. & hęc de quatuor punctis. In quinto hęc ponitur conclusio. Infidelium coniugium minimè est ratum, quia solui potest: nec legitimũ, quia non ex fide: sed peccatum, vt testatur Apost. dicendo, Omne qđ non est ex fide peccatum est. Hoc idem confirmari potest pro maiori insinuatione conclusionis pręmissæ in hoc sexto loco per Aug. ita dicentem. Non est vera pudicitia infidelis cum fideli: quare inter infideles coniugium nec ratum, nec legitimum debet dici. Magister verò hac in parte uidetur declinare ad partem affirmatiuam dicendo, inter infideles legitimum esse matrimonium, cum sit inter personas legitimas, non tamen ratum, quia non cum fide: at fidelium connubium legitimum, & ratum dicitur, si personæ legitimæ sint. Opinio ergo Magistri merito personarum, nec non legali institutione, vel moribus prouinciæ poterit concedi, non tamen sub illo primo sensu, sub quo nos paulò ante sumus loquuti. & hęc pro pręsenti.

AN

AN FIDELIS CVM INFIDELI MATRIMONIVM VALEAT CONTRAHERE.
Lectio CLX.

CIrca distinctionē istam excitari solent duo quesita. Quorum primum. An fidelis cum infideli ualeat contrahere matrimonium. Alterum est. An conuersus ad fidem infidelem dimittere possit nolentem cohabitare cum eo sine creatoris contumelia. Quantum attinet ad primum, vt uideo, pro parte affirmatiua formari queunt nonnulla argumenta: quorum in ordine primum, sic se habet, si uterq; sit infidelis, duo mala sunt, nec ob id impeditur matrimonium: igitur à fortiori, quādo alter sit fidelis, cum ibi vnum tantum extet malum. Preterea: vt disparitas cultus inter fidelem, & infidelem, ita inter Christianum, & hereticum, & inter duos infideles diuersorum rituum, sicut Iudeum, & Paganum: at inter tales videtur posse esse matrimonium, igitur inter fidelem, & infidelem. Deinde Ioseph contraxit cū Aegyptia, vt habetur Gen. xlv. & Moyses cum Aethiopissa: at in omnibus his erat matrimonium infidelis cum fideli: ergo. In oppositum, vt norunt docti Apost. ad Cor. se habet, dum ait. Cui vult nubat tantum in Domino, hoc est cum fideli, non ergo, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis primæ duo supponenda: quorum primum, quod inter duos infideles possit esse matrimonium, dummodo contrahant in gradu non prohibito iure naturali, vel diuino. Cuius ratio est, quia hoc cum de iure sit naturali omnibus licitum, quibus tamen non sit prohibitum. Alterum est, quod cultus disparitas impedit

pedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum ex se quidem dispositiuè, & ex statuto Ecclesiæ completiuè. His ita positis, de facili argumenta soluentur. Ad primum igitur dicitur, quod infidelitas matrimonium minimè impedit, quatenus peccatū est: at propter cultus dissimilitudinem, & subuersionem fidelis, & impedimentum debitæ educationis prolis. Ad secundum dicitur, qđ inter infideles disparitas cultus matrimonium impedire potest, si apud eos sit ius positiuum hoc prohibens, sicut inter fideles, aliàs contrahere possent, cum non sit eis prohibitum. Idem quoque foret de fidelibus, & infidelibus, nisi obuiaret statutum iuris, & dictum Apostoli: quare matrimonium contractum inter fidelem, & hęreticam tenet, non autem cum alia infideli. Nec id mirum, quia primo modo cum fidelibus heretici infideles communicant in sacramento fidei (scilicet in baptismo) at non quo ad actum fidei secundo verò modo non sic: propterea cauendum, ne cum altera quis cōtrahat infideli. Ex dictis ad tertium, quid dicēdum sit, patet. Nā circa materiam hanc aliud fuit ante legem Moysi, aliud sub lege, & aliud tempore Euangelij. Quia ante legem poterat fidelis cum infideli contrahere, quia circa hoc nulla erat prohibitio. Quo modo cōtraxit Moyses cū Madian filia, & Ioseph cū Aegyptiaca. Tēpore verò legis fuit prohibitum cōtrahere specialiter cum Cananeis propter eorum obstinationem, & peruersitatem, nisi relicto ritu suo conuerterentur ad fidem. & hęc de primo quęsito. Quęritur secundò. An conuersus ad fidem possit dimittere infidelem nolentem sine contumelia creatoris cohabitare. Hic multa dicenda essent, sed, vt me expediam, paucis dicam, quod conuersus ad fidem

absolutè

absolutè infidelem dimittere non debet, scilicet propter infidelitatem, quam nouit, & in qua existens contraxit: at propter blasphemiam creatoris, vel propter periculum suæ subuersionis, quando videt infidelem nitentem ad infidelitatem eum pertrahere. & hęc pro pręsenti satis sint dicta nostra lectione.

DE COGNATIONE CARNALI, ETC.
Distinctio 40.
Lectio CLXI.

E*Xplicaturi quadragesimam distinctionē huius libri quarti in ordine, continuationem primo perpendemus: Insuper ad diuisionem accedemus. Quantum spectat ad primam, ex quo Magister Sent. superius verba fecit de impedimentis matrimonij disparis cultus personam ad contrahendum illegitimam reddentibus respectu personæ alicuius propter distantiam ad ipsam, nunc determinare intendit de impedimentis matrimonij, quæ faciunt illegitimam personam ad contrahendum respectu alicuius personæ ob propinquitatem ad ipsam. Vnde tota hęc distinctio Magistri circa hoc versari videtur, scilicet quòd cognatio carnalis, & spiritualis matrimonium impediunt. Pręmissa continuatione vna cum intentione, diuidi modo habet hęc distinctio in secta quinque. In quorum primo habetur conclusio. Insinuatio in secundo. Gradus consanguinitatis secundum diuersos tanguntur in tertio. Instantia in quarto. Notandum denique in quinto. Quo ad primum hęc sit conclusio. Infrà quartum gradum non possunt cognati inire matrimonium,*

monium, vt decretalis dicit. Pro insinuatione cuius loco secundo agendum fore de cognatione, & affinitate proponit Magister Sent. de quibus ipse subdit, quòd cognati, & affines in gradu septimo, & infrà copulari debẽ minimè. Vnde Gregorius. Progeniem suam vnumquenque vsque ad septimam obseruare decernimus generationem, & quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, vel cognatos, ad coniugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerint separentur. Item Nicolaus Papa. De consanguinitate sua nullus uxorem ducat, vsque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest. His ergo authoritatibus, alijsq; pluribus consanguineorum coniunctiones prohibentur vsq; ad gradum septimum. Enodatis adhuc sectis duobus, accedit tertium in ordine, vbi de consanguinitatis gradibus loquendum: à diuersis enim diuersimodè computantur. Nam quidam, vt Isidorus, sex gradus computant, consanguinitatis truncum numerando minimè inter gradus, quia negat ipse inter patrem, & filium consanguinitatis gradus esse, & hoc, quia vna sint quasi caro. Si ergo supposito filio, & filia, fratre, & sorore quasi trunco: in primo nepos, & neptis: in secundo pronepos, & proneptis: in tertio abnepos, & abneptis: in quarto adnepos, & adneptis: in quinto trinepos, & trineptis: in sexto trinepotis nepos, & trinepotis neptis. Quidam alij ponunt patrẽ in primo gradu, ita vt sit minimè gradus cognationis inter patrem, & filium negandus, & hi septem fatentur esse gradus. Quamuis ergo varij in numero graduum inueniantur, nulla tamen videtur existere diuersitas quantum ad terminum, licet quò ad initium. Nunc quarto loco contra predicta adducen-

da talis venit instantia. Augustino Anglorũ Episcopo Gregorius, à quo requisitus fuerat, quota generatione debeant copulari, sic rescribit. Quędam lex Romana permittit, vt siue fratris, vel sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius, & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succedere: vnde necesse est, vt quarta, vel quinta generatione connubia debeant fieri, & licitè. Ad hanc instantiam vt respondeamus, ita dicemus: Gregorij dictum nõ esse intelligendum generaliter, sed specialiter Anglorũ genti, qui nuper ad fidem venerunt, cõcessisse, ne à bono, qđ inceperant, austeriora metuendo recederent, quibus postea in fide solidatis, hoc minimè licere dicit. Immò si infrà consanguinitatis lineam propriam, aut affinitatis lineam, propriam scilicet generationẽ inuenti fuerint copulati, separãdi. His tandem notandum, vt claudatur pręsens sermo, venit addendum, quod est tale. Magistri scilicet sententiam de consanguinitatis gradibus dudum habitam per summum Pontificem fuisse reuocatam, ex aliorum Doctorum dictis. & hęc satis.

DE COGNATIONE MVLTIPLICI.
Lectio CLXII.

A*D faciliorem doctrinam eorum, quæ dicta sunt in prędeclarata distinctione, de significatis cognationis in pręsenti verba faciemus, tria considerãtes, iuxta triplicem cognationem. Est enim cognatio carnalis: Insuper spiritualis: deinde legalis. Carnalis illa est, qua homo per carnalem generationem*

esse

esse naturæ accepit, ita per spiritualem regenerationem esse gratiæ, & vtrobique vinculum quoddam, vt Ricardus scribit, contrahitur. Dicitur autem cognatio spiritualis, quia à spiritualibus, vt Paluden ait, causatur. Et finitur à Iurisconsultis, & post eos à Doctoribus Theologiæ. Cognatio ergo spiritualis propinquitas est personarum prouenięns ex sacramenti datione, vel ad illud retentione: vt putà vnione ad datem, vel tenentem robur trahens ex Ecclesiæ institutione. & hęc proximitas (referente Ricardo) si prçcedit, matrimonij contractum impedit contrahendum, & dirimit, si postea de facto contrahatur, sicut per Decreta patet: Et tres habet species: Vna dicitur spiritualis paternitas, & hęc attenditur inter patrem spiritualem, & filium spiritualem. Est autem pater spiritualis, quò ad prçsens, ille, qui baptizat, & ille qui baptizatum suscipit de baptismo, ac Episcopus, qui confirmat, & ille, qui tenet eum coram Episcopo. Filius autem spiritualis ille, qui baptizatur, vel confirmatur. Secunda species compaternitas vocatur, & hęc attenditur inter parentes carnales ipsius baptizati, vel confirmati, & iam dictos patres spirituales eiusdem. Tertia species dicitur fraternitas spiritualis, & hęc attenditur inter filium spiritualem, filiosq; carnales sui patris spiritualis. Vnde omnes filij baptizantis, & oẽs filij suscipientis aliquem hominem de baptismo, fratres dicuntur illius spirituales, qui baptizatur, & suscipit de baptismo. Pater autem spiritualis matrimonium cum filia spirituali contrahere non potest, nec mater spiritualis cum filio spirituali: & dato, q̃d contrahant, penitus illud erit dirimendum matrimonium. Quo ad secundam speciem ratione compaternitatis: Pater spiri-

tualis contrahere minimè potest matrimonium cum matre carnali sui spiritualis filij, nec mater spiritualis cum patre carnali; & si contraxerit matrimonium, tunc dirimendum, si tamen huiusmodi paternitas non fuit contracta ante carnalem copulam. Spirituales verò filij sunt illi, quos de sacro fonte leuamus, vel catechizatione, vel in confirmatione tenemus. Et paternitas, vt hic sumitur, illa dicitur, quæ acquiritur ex his, quæ fiunt circa sacramenta duo tantum, scilicet circa sacramentum baptismi, & confirmationis. Hic vnum notandum, quod leuantes simul, vt puta vir, & mulier eandem prolem de baptismo, non prohibentur inter se contrahere, quia quamuis eadem proles sit vtriusque filius spiritualis, tamen ex hoc mater spiritualis, & pater spiritualis nullam inter se contrahunt compaternitatem, siue spiritualem cognationem. Quantum ad tertiam speciem omnes liberi (vt iura moderna determinarunt) duorum compatrum legitimè possunt contrahere, excepta sola prole spirituali; quæ si sit masculus, nunquam poterit legitimè copulari alicui carnali filiæ sui patris spiritualis, nec alicui patris filio, si fuerit femella, & quia baptizans sacerdos fit pater spiritualis ipsius baptizati, ideo si sacerdos ipse habeat filium carnalem, ille legitimè non poterit contrahere matrimonium cum aliqua filia ab eodem sacerdote baptizata. Latius hęc apud Iuris consultos, & Theologos. hęc intantum dicta de cognationibus duabus. Tertia superest, quæ legalis dicitur, & est quędam humana proximitas ex adoptione proueniens, vt legere est apud Theologos, ac Iurisperitos. Adoptio autem est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, & deinceps legitima assumptio. De speciebus verò legalis cognationis, quid dicturus

ctlurus, audiit. Nam tres dicuntur esse species: Quarum prima est, inter patrem adoptantem, & prolem adoptatam. Altera inter prolem adoptatam, & naturalem prolem adoptantis. Tertia est, quasi per modum affinitatis inter filij adoptiui uxorẽ, & adoptiuũ patrem, & inter filium adoptiuum, & uxorem patris adoptiui. Hæ autem species omnes matrimonium impedire dicuntur, sed inæqualiter. Nam licet secunda species, quæ dici potest fraternitas legalis cognationis, impediat matrimonium inter prolem adoptatã, & naturalem, quandiu vtraque proles in patris potestate est: tamen mortuo patre possunt legitime contrahere, vel etiam adhuc viuente patre, si vna earum fuerit emancipata, tunc enim amplius nullum erit impedimentum. Emancipata verò proles dicitur, quando data sibi hereditaria portione secundum leges, ipsa tunc temporis ponitur extra familiam patris. Prima verò, & tertia species legalis cognationis absque distinctione matrimonium perpetuè impediunt. Nam pater adoptiuus nunquam contrahere potest matrimonium cum filia adoptiua, siue adhuc talis filia sit in patris adoptantis familia, siue non. Etiam pater adoptiuus nunquam legitime potest matrimonium cum vxore filij adoptiui post mortẽ huius filij contrahere, nec filius adoptiuus cum uxore sui patris adoptiui post mortem huius patris, dato etiam qđ ante patris mortem fuerit emancipatus. Hęc singula apud Iurisperitos latius disquirite. & hęc satis pro pręsenti nostra lectione.

DE

DE CONSANGVINITATE.
Lectio CLXIII.

PRO complemento dictorum precedentium occasionem nacti ex verbis Magistri Sent. perbreuem admodum, vtilem tamen examinabimus questionem de consanguinitate. An scilicet matrimonium hec impedire valeat. Quidam proposita questione ad partem negatiuam declinantes, in hunc modum argumentari consueuerunt. Quæ magis conuenientia, siue similia, magis quoq; vnibilia: at cōsanguinei similiores, atq; propinquiores, facilius ergo, ac cōuenientius p matrimonium coniungentur: quare consanguinitas matrimonium impedire non uidetur. Preterea, quæ mulier potuit esse viro propinquior, quā Eua Adæ, da cuius costa fuit formata, deinde illi matrimonialiter coniuncta? igitur, & ceteræ poterunt quantumcunque propinquæ coniungi, non ergo consanguinitas videtur impedire posse matrimonium. Ex alio latere Greg. videtur asserere, quod ex tali connubio nequeat proles generari, signum igitur est, quod consanguinitas matrimonium valet impedire: Pro decisione huius perbreuis questionis tria videnda erunt, quid sit consanguinitas primò. Insuper, quo iure matrimonium dicatur impedire. Tertiò vsque ad quem gradum. Quo ad primum, consanguinitas dicitur esse vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Hoc autem vinculum, seu propinquitas, sicut & omnis amicitia in communicatione triplici fundatur, scilicet naturæ, curæ, & disciplinæ: naturæ, quia omnes cōsanguinei descendunt per carnis

propa

propagationem ab vno stipite, qui cõmunis eorum est parens: curæ deinde parentum, quæ protenditur ad filios non solum immediatos, sed etiam ad filiorũ filios, quot quot videre possunt: & disciplinæ, quia proles sub patris potestate, & subiectione debet esse. Linea verò consanguinitatis dicitur ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum; & hęc triplex est, iuxta triplicem habitudinem, quam dicuntur consanguinei habere adinuicem. Vna est principiati ad principium, vt filij ad patrem, auum, proauum, & supra; & secundum hanc accipi solet linea ascendentium. Alia est principij ad principiatum, vt patris ad filium, nepotem, pronepotem, & infrà, & penes hanc sumitur linea descendentium, quæ realiter non est alia ab illa ascendentium, sed eadem, accepta tamen secundum alium, & alium computandi modum. Nam secundum vnam fit inceptio à superiori descendendo, & secundum aliam ab inferiori ascendendo. Tertia habitudo est eorum, qui sunt ab vno principio sicut fratrum, qui sunt ab eodem patre, & matre, & nepotum, qui sunt ex duobus fratribus, vel sororibus, & sic deinceps, & secundum hanc linea collateralium accipitur. Quantum ad secundum dici potest, quòd consanguinitas secundum lineam ascendentium, & descendentium de iure naturali impediat matrimonium, quò ad omnem gradum. Secundum verò lineam collateralem de iure diuino impedit matrimonium in gradu primo, vt putà inter fratrem, & sororem, & cęteros primi gradus, vt patet Leuit. xviii. de iure verò positiuo vsque ad quartum impedit gradum inclusiuè. Hinc tertium de facili colligi potest, quod prohibitio consanguinitatis vsque ad gradum quartum mansit. His ita

positis

positis, nunc ad rationes respondendum, & primò ad primam sic, quòd quamuis similitudo, & propinquitas valeat ad coniunctionem, non tamen ad omnem coniunctionis modum. Licet ergo propinquorum magis valeat ad coniunctionem naturalis amicitiæ, non tamen ad matrimonialem coniunctionem, per quam ad extraneos debet amicitia dilatari. Ad secundam rationem dicitur, quod Eua Adæ in aliquo consanguinitatis gradu nõ attinebat, quia per viam naturalis generationis formata non fuit, sed miraculosè, & ideo non est simile. Argumentum in oppositum patet ex dictis.

DE CRADIBVS AFFINITATIS.
Distinctio 41.
Lectio CLXIIII.

MIrabili certè ordine Magister Sent. videtur procedere, qui paulò ante cum determinauerit de impedimento cõsanguinitatis, nunc consequenter intendit loqui de impedimento affinitatis. Diuidatur itaque presens distinctio in puncta septem. In cõclusionem primò. Pro insinuatione cuius in quidditatem affinitatis secundò. In instantiam tertiò. In quesita duo quartò. In propositionem quintò. Pro insinuatione, in peccatorum distinctionem sextò. Et in notandum septimò. Quò ad primum, sit hęc conclusio. Qui infrà affinitatis gradum coniunguntur, habita notitia, abinuicem separentur, & eorum filij legitimi habeantur. Pro cuius insinuatione loco secundo quid sit affinitas tangit Magister in textu, dum ait, quòd est parentela, quæ ad virum ex

parte

parte uxoris, & ad uxorem ex parte viri pertinet. Quia enim vir, & uxor vna caro sunt, hinc rationabiliter propinquitas, & parentela vnius efficitur alterius, vt sit vna vtriusque. Vnde ab alijs affinitas sic describitur, quod sit attinentia, vel propinquitas personarum ex carnali copula, vel commixtione mediante, ex consanguinitate proueniens. Propterea solet dici, quòd vir, & soror uxoris sint in primo gradu, filij verò sororis in secundo gradu à viro, neptis verò in tertio, & sic deinceps, vsque ad septimum gradum. Enodatis duobus punctis, tertium accedit, vbi instantia contra adducta profertur talis. Videtur, quòd inter affines coniugium contrahi possit in quarta, & quinta generatione, vt perbelle probant authoritates multæ in textu Magistri Sent. non ergo id uerum, quod superiùs fuit tactum à nobis, ad aures authoris, aliorumq; circa materiam affinitatis idem sentientium. Ad hanc dirimendam instantiam, velim dicatis, huiusmodi authoritates in oppositum se habentes intelligendas foré secundum misericordiæ dispensationem. Nam videtur, quòd etiam fieri possit dispensatio in affinitatis copula vsque ad gradum tertium, sicut Gregorius etiam dispensauit in quarto consanguinitatis gradu. His quarto duo quęsita addenda sunt loco; quęritur enim primò. Num affinitas maneat, quamuis matrimonium transeat. V. g. si mulier alicui viro copulata ad eius cognationem pertineat, vtrum eo defuncto matrimonium maneat, vel dissoluatur? dubio proposito Magister Sent. per plures determinat authoritates, matrimonio transeunte affinitatem remanere. Quæ affinitas matrimonium dicitur impedire vsque ad prędeterminatos gradus: infrà quos, si fuerint consangui-

 nitatis

nitatis gradus coniuncti, ab Ecclesia tunc separandi. Quaeritur secundò, si in Ecclesiae conspectu ignoranter coniungantur, & postmodum consanguinitate probata eiusdem Ecclesiae iudicio separentur, an copula illa fuerit coniugium? quidam, vt respondeant, dicunt, quòd personae minimè legitimae erant, & ideò nec coniugium dici debuit. Videntur tamen excusari per ignorantiam à crimine, quia bona fide, & per manum Ecclesiae conuenerunt. Vnde, & eorum filij legitimi habentur. Alij verò asserunt coniugium fuisse, quamuis legitimae non fuerint personae, & hoc, quia Canones tales coniunctiones legitimas vocant. His quinto apponenda venit talis propositio loco. Quae sit differentia inter stuprum, adulterium, incestum, & fornicationem, hęc litera dat sufficientē explanationem. Pro cuius insinuatione peccatorum distinctio declaranda venit loco sexto; diuersa enim dantur peccata: scilicet fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, & raptus. Quò ad primum, quamuis fornicatio genus sit omnis illiciti coitus, qui fit extra uxorem, specialiter tamen intelligenda est abusus viduarum, vel meretricum, vel concubinarum, vt aliàs fuit tactum. Stuprum verò dicitur virginum illicita defloratio. Adulterium autem alieni tori violatio. Incestus consanguinearum, vel affinium abusus. Raptus, cum puella violenter de domo patris educitur, vt corrupta in uxorem habeatur. Tandem, vt cautius fieri habeant coniugia, affinitatum quędam septimo loco apponenda erunt nomina. Frater ergo uxoris, & soror eius cognati uiri dicantur ob nominum penuriam. Vxor verò fratris potius fratrissa, quàm cognata. Frater mariti leuir dicitur, uxores verò duorum fratrum ianitrices uocantur,

tur, quasi eandem ianuam intrantes. Soror viri glos uocatur: vir autem sororis speciale nomen minimè habet, nec uxoris frater. Et rectè dicitur notanter, affinitatum nomina quędam, quia nomina singularium affinitatum non sunt imposita ob occultas rerum proprietates nos latentes, & ideò alijs circumloquuntur nominibus, unumq; nomen plura significare necesse, vt inquit philosophus. & hęc pro tota distinctione satis.

AN INTER AFFINES MATRIMONIVM CONTRACTVM DIRIMENDVM?

Lectio CLXV.

VT ea, quæ dixit Magister Sent. in prędeclarata distinctione, nobis magis nota fiant, in pręsenti duo examinãda erunt. Quorum primum. An inter affines, vel consanguineos matrimonium contractum dirimendum sit. Insuper speculandum. An aliqua proles illegitima sit dicenda. Quò ad primum, negatiuè sic arguitur. Possessor bonæ fidei per temporis diuturnitatem ius in possessione acquirit, cuius non erat dominus priùs; à simili maritus, qui bona fide cum affine contraxit, per diuturnitatem temporis ius in ea acquirit, vt iam sua sit. Insuper quot hisce temporibus affines sunt, nec ob id, cum prius fuerint coniuncti, separantur? non ergo, &c. Ex alio latere, vti cultus disparitas propter nimiam distantiam matrimonium impedit, ita consanguinitas, & affinitas propter nimiam propinquitatem. Pro decisione huius difficultatis primæ duo videnda: quorum primum est, quòd

 omne

omne vinculum societatis, quod sine peccato stare non potest, dissoluendum sit: alterum est, quòd ad accusandum matrimonium in gradu prohibito contractum debeant admitti consanguinei, quia hoc in casu videntur esse magis idonei. Si verò accusaretur matrimonium pro altero impedimento, tunc extranei admittendi essent. His ita positis, ad argumẽta quid dicendum, audite: primum enim nullum est, quia non est simile de dominio rei, & de matrimonio. Nam illa, quæ sine peccato esse nequeunt, nulla prescriptione longi temporis firmantur: quia temporis diuturnitas peccatum non minuit, sed auget. Ad secundum dicitur, quòd multi affines coniuncti non separantur, vel quia non accusantur, vel quia iudicio Ecclesiæ dispensantur. & hęc de prima quęstione. Post quam quęritur secundò: an aliqua proles illegitima sit. Mihi primo aspectu uidetur, quòd non. Nam Deus iudicat omnem prolem legitimam ad successionem æternam, dummodò parentũ uitia non sectetur: ergo omnis proles legitima ad successionem temporalium legitima reputanda. Insuper parentum peccatum filijs non uidetur esse imputandum ab originali: quare propter illegitimum concubitum nõ debet illegitima proles iudicari: ergo. In oppositum sic arguitur, qualis est causa, talem producit effectum: at concubitus est prolis causa, igitur ex illegitimo concubitu illegitima proles. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ, duo dicenda sunt. Primum est, quòd aliqui filij sunt illegitimi. Secundum est, quòd aliqui tales possunt legitimari. Quantum ad primum, illi dicuntur illegitimi, qui nascuntur preter legem matrimonij. Quantum ad secundum filij illegitimi octo modis possunt legitimari, secundum iura ciuilia sex, &

duobus

duobus secundum iura Canonica. Vt vt sit de modis istis, ne tempus conteramus in his recensendis, ad argumenta soluenda accedemus, ad primum ita dicentes, qđ non currit similitudo, quia Deus omnem iudicat prolem legitimam, quantum ad animam, cum omnis anima à Deo sit per creationem: hinc legitimus omnis dicitur ad successionem æternam, si tamen legitimè viuat. At ex parte corporis illegitimum habet exordium: quare nullum est argumentum. Ad secundum dicitur, quòd parentum delictum filijs non imputatur ad pęnam ęternam ab illo originali, vt iam dixi, attamen dici potest, qđ ad pęnam temporalem, cum filij sint quid patris illorum, delictum habeat imputari, quo modo loquimur nos in pręsenti.

DE SPIRITVALI COGNATIONE.
Distinctio 42.
Lectio CLXVII.

HAec est quadragesima secunda huius libri quarti distinctio in ordine, circa quam versaturus, quo modo à pręcedentibus pendeat distinctionibus, primò dicam. Insuper ad diuisionem accedam. Quantum ad primum, ex quo Magister Sent. superiùs egit de impedimento propinquitatis carnalis, consequens modo est verba facere de impedimento propinquitatis, & hęc de coherentia vna cum intentione paucis. Diuidi nunc habet pręsens distinctio in puncta octo. In quorum primo ponitur conclusio. In altero probatio. In tertio propositio. Notandum in quarto. Instantia in quinto. Quęsitum in sexto. Conclusio in septimo

mo cum probatione. Propositio denique in octauo. Quantum ad primum, sit hęc conclusio. Matrimonium impediunt consanguinitas, & affinitas, & etiam spiritualis germanitas. Pro cuius probatione, loco secundo Magister ostendit, post prędicta agendum esse de cognatione spirituali, quæ etiam personas illegitimas ad contrahendum reddit. Quot aũt propinquitatem dicant, matrimoniumq; impediant, tria esse in textu fatetur Doctor, scilicet cõsanguinitatem, affinitatem, & spiritualem propinquitatem. Quid autem sit consanguinitas aliàs diximus: solum superest videre, inter quos sit. Nam referente Magistro Sent. dicitur esse inter eos, qui secũdum lineam generis iunguntur. Affines verò, qui non generatione sunt coniuncti, at mediante coniunctione carnali sunt sociati. Spiritualis verò propinquitas illa, quæ inter compatrem pueri carnalem, & commatrem spiritualem, & inter eos, quorum vnus alterum de sacro fonte leuauit, aut in cathechizatione, vel in confirmatione tenuit, & inter filios eiusdem hominis carnales, & spirituales. Post hęc tertio loco ponenda huiusmodi venit propositio. Ex duobus dumtaxat sacramentis, scilicet baptismo, & confirmatione, spiritualis cognatio oritur, ex qua matrimonij contractus dissoluitur. Pro cuius probatione Magister docet, illos nuncupandos esse spirituales filios, quos de sacro fonte leuamus, vel quos in cõfirmatione tenemus. Filius verò, vel filia spiritualis ipsius sacerdotis, qui, vel quæ sua ei peccata confitetur, vel quam baptizat, vt authoritatibus in textu pater. Hinc quarto notandum loco tale accedit. Commater, & pater in matrimonio sibi non possunt coniungi, vt pater spiritualis filiæ spirituali, nec spiritualis mater filio spirituali,

&

& si factum fuerit, debent separari. At si post legitimum matrimonium contractum alter coniugum insidiosè, scilicet vt ab alio separetur, filium de sacro fonte leuauerit, aut in cõfirmatione tenuerit, non propter hoc sunt separandi, immò qui hoc fecerit pęnitentia puniendus. At contra hoc quinto loco obijcitur. Extant enim authoritates multę à Magistro Sent. adductę, vt apud ipsum in textu est videre, quę dicunt expressè, eos de lauacro natos qui susceperunt, fore separandos: ergo. Ad has respondendum cum Magistro est, quòd sint tales authoritates intelligendę de illis, qui priusquam coniuges fierent, filios suos, vel virorum de sacro fonte susceperunt. His sexto quęritur loco. An quis commatrem uxoris suę post eius obitum in uxorem valeat, siue possit ducere. Ad quod negatiuè respondendum est, vt in textu Magistri patet. Post quęsitum loco septimo ponitur hęc conclusio. Vir, & mulier uxor eius licitè puerum de baptismo suscipere non possunt, quod Vrbani Papę authoritate confirmatur, vt scilicet ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe, & infamia conseruetur immunis. Ne ergo vterq; simul ad hoc aspirare pręsumant. His denique, vt pręsens distinctio claudatur, propositio talis additur. Tertię, & quartę nuptię non sunt damnandę, attamen primę solemniter sunt venerandę. Nec illud Apostoli obstat bigamos à sacerdotali honore excludentis: hoc enim non fieri videtur pro tanto bigamię vitio, sed pro sacramenti signaculo, quod ibi non seruatur. Vt sit ergo una vnius, sicut vnica vnici, dictum Apostoli debet intelligi. & hęc pro pręsenti.

AN NVPTIAE SECVNDAE SINT LICITAE. Lectio CLXVII.

EXcitanda forent duo quęsita circa presentē distinctionem, vnum de spirituali cognatione, alterum de legali, valentibus matrimonium impedire: at quia superius de his satis abundè determinauimus, edocentes, quid tenendum, iccircò solum subsequens in ordine tertium examinabimus, quęrentes. An nuptiæ secundæ sint licitæ. Quidam ad negatiuam declinantes partem ratiocinari videntur primò sic. Chrisostomus super Mattheum v. ait, quòd secundum virum accipere fornicatio est. Insuper Ambr. dicit, quod matrimonium secundum non est bonum: ergo. Insuper pęnitentia non indiget, nisi qui peccauit: at bigamus indiget pęnitentia, non ergo secundæ nuptiæ licitæ. In oppositum se habet Apostolus ad Thim. v. Volo iuniores scilicet viduas nubere, filios procreare, matres familias esse. Abraham deinde mortua Sarra legitur contraxisse secundas nuptias cum Cetura: quare, &c. Pro determinatione huius difficultatis est primò sciendum, secundum matrimonium licitum esse, sicut primum. Insuper notandum, quòd secundum matrimonium quadam honestate caret, quam habet primum. Tale enim duas honestates habet, quas secundum minimè habet. Vna dicitur Christi, & Ecclesiæ coniunctionis significatio, quæ unius est ad unam, & hęc in primo est matrimonio, non aũt in secundo, considerando ipsum in ordine ad primum. Quamuis in secundo secundum se, & precisè considerato sit coniunctio vnius cũ vna. Alia honestas est benedictionis. Nam nuptiæ primæ benedi-

benedicuntur, non autem secundæ, quod habet intelligi, quando sunt secundæ ex parte mulieris. His ita positis, ad argumenta formata de facili respondendum, & ad primum primò, quod Chrisostomus de illo loquitur, qui prima viuente ducit secundam, tunc enim est fornicatio, & non matrimonium. Vel sic, quòd loquatur, quantū ad causam, quæ solet ad secundas inuitare nuptias, scilicet cōcupiscentiam, quæ etiam ad fornicationem inuitat. Ambr. verò dicit matrimonium non esse bonum, non quia illicitum, sed quia caret honore sanctificationis, & benedictionis, quæ in primo matrimonio est. Ad secundum argumentum dicitur, illud forè intelligendum de bigamo, qui primæ sit insidiatus uxori desiderio secundæ. Vel fortè de illo, qui viuente prima secundam ducit; tales enim pęnitentia indigent, non ille, qui secundam ducit. & hęc pro pręsenti satis.

DE RESVRRECTIONIS CONDITIONE.

Distinctio 43.

Lectio CLXVIII.

COmpleto tractatū de sacramentis, consequenter agendum erit de Resurrectione, & resurgentium gloria, ad quam perducunt sacramenta. Et circa hoc septem consideranda per ordinem. Conclusio primò. Insinuatio secundò. Resurrectionis tempus tertiò. Propositio quartò. Quęsitum quintò. Propositio sextò. Notandum tandem septimò. Quantum attinet ad primum, sit hęc conclusio. Iuxta fidem orthodoxam, & puram

credere debemus, omnem carnem resurrecturam esse. Ad quam insinuandam loco secundo quotuplex sit resurrectio, & quid resurrectio dicendum. Est ergo resurrectio duplex, increata, & creata. Increata, vt Deus ipse efficiens, & creatam resurrectionem causans, tàm corporalem, quàm spiritualem iuxta illud Io. Ego sum resurrectio, & vita. Et ista non est futura, sed ab ęterno fuit. Alia datur resurrectio creata, & hęc triplex est, scilicet spiritualis, temporalis, & corporalis. Resurrectio spiritualis est illa, qua quis resurgit de peccato ad gratiam, & ista fit à solo Deo. Resurrectio temporalis illa est, qua quis quandoque cadit de prosperitate huius sęculi, & tandem resurgit ad talem prosperitatem, vti patet de Iob. Resurrectio temporalis illa est reunio animarum intellectiuarũ ad sua corpora. Vnde solet dici: Resurrectio copulatio est rursus animæ, & corporis. Vel sic. Resurrectio est iterata surrectio, q̃d cecidit. In qua resurrectione credendum est, idem corpus, quod per mortem cecidit, ad eundem spiritum, idest ad eandem animam rediturum. De hac vna cum Magistro loquentes dicimus, omnes resurrecturos. Vnde Apost. ait, Omnes quidem resurgemus. De modo verò nil ego dicam. Nam primò fiet ad corporum reformationem preparatio, & corporum reformatio, & corporum reformatorum cum suis animabus proprijs iterata vnio. Primum virtute diuina fiet, quia puluerũ collectio fiet angelico mynisterio. Vox tubæ procedet à Christo, inquantum est homo, quamuis ab ipso, inquantum est Deus, sit supernaturalem virtutem habitura, & ista in tempore fient. Alia duo erunt per virtutem diuinam, & in eodem fient instanti ordine tamen naturæ. Sed dicetis, ex quo resur-

rectionis

rectionis causa vox tubæ erit, cuius virtute mortui excitabuntur, quæ quidem vox tuba dicitur, quia omnibus manifesta, & nouissima, quia post eam non erit alia, quid de resurrectionis tempore dicendum? tertio loco paucis tenendum, occultum, & ignotum esse tale tempus, propterea ob incertitudinem mediæ consueuit comparari nocti, cum dicitur, quòd sponsus sit media nocte venturus, erit ergò resurrectio, quando non sperabitur, & hęc de sectis tribus. In quarto ponitur hęc propositio. Sancti primorum memoriam malorum habebunt. Ad quam probandam quęritur quintò. An electi sint habituri memoriam pręteritorum malorum. Pro responsione est sciendum, quòd isti quidem huiusmodi memoriam habebunt, sed non ad pęnam, verũ ad gratiarum actiones, nec ad gloriæ derogationem, seu minorationem, at magis ad gaudium. Nunc sextò ponenda venit hęc propositio. Electorum peccata per pęnitentiam hic deleta, ibi alijs non erunt manifesta. Pro cuius insinuatione debetis scire, quòd etiam illo modo peccata tegi dicuntur, quæ hic per pęnitentiam sunt deleta. Vnde dici solet: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: nullis ergo tunc manifestabuntur. Alia verò cunctis manifestabuntur ad malorum confusionem. His notandum tale addendum septimo loco, omnes quidem incorrupti resurgent, idest cum membrorum integritate, sed non omnes in gloriam impassibiles resurgent. De viuis verò in aduentu Christi repertis vna cum Hieronymo dicendum, quòd obuiam Christo rapientur, subito tamen morientur, vt sic ad resurrectionem transeant. & hęc de tota distinctione.

AN IDEM HOMO RESVRGERE POSSIT. Lectio CLXIX.

CIrca predeclaratam distinctionem, duo in dubium reuocari posse oculis cerno: quorum primum. An idem homo resurgere possit. Insuper: An mortuorum resurrectio in instanti futura sit, aut in tempore. Quantũ ad primum, pro parte negatiua ratiocinantur quidam sic: Aristoteles libro secundo de generatione ait, quòd illa, quorum substantia deperit, eadem secundum numerum non redeunt, igitur neque idem homo resurgere poterit. Preterea, si idem homo resurgere posset, hoc maximè fieret propter remunerationem, vel penam: at hic sententia executioni mandatur bonorum, & malorum, nõ igitur homo idem resurgere habet propter hec: quare, &c. In oppositum se habet Iob. xix. Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. & Apost. Cor. v. resurrectionem futuram probat. Pro dilucidatione ergo huius questionis prime, cum sit articulus fidei resurrectio, firmiter est tenendum, quod futura. Quo supposito ad formatas rationes de facili dicendum. Prima ergo veritatem habet in omnibus generabilibus, & corrupt. Quo ad actionem nature, & non quo ad diuinam virtutem, que multa preter cursum nature facere potest. Quare illa vera naturaliter: at supernaturaliter nulla est. Altera ratio secunda in ordine currit de sententia, que executioni mandatur in parte: at in die resurrectionis in toto: quare idem resurget homo, vt secundum totum iudicetur, vel ad premium, vel ad penam. Explicata questione prima his paucis:

altera

altera accedit, dum queritur. An mortuorum resurrectio in instanti futura sit. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quòd in tempore. Nam Aug. xx. de ciuitate Dei, ait, quòd mortui transituri sunt ad immortalitatem mira celeritate: at hęc non est, nisi in tempore, vt velocitas: quare. Pręterea, ibi multæ erunt actiones inter se ordinem habentes, sed hæ simul esse nequeunt in eodem instanti: in tempore ergo mortuorũ fiet resurrectio. Ex alio latere in oppositum se habet Apost. Cor. v. vbi dicit: quòd mortui resurgent in momento, & in ictu oculi. Insuper Aug. vbi supra, ait, qđ in ipso temporis puncto rapientur obuiam Christo in aera. At punctum denotat instans, igitur fiet in instanti. Pro determinatione huius difficultatis secundæ supponendum est primò, quòd omnes debeant resurgere. Insuper, quòd omnium resurrectio debeat fieri in instanti. Quibus duobus pręsuppositis, argumẽta facillimè ruent. Illud ergo primum desumptum ex Augustino habet intelligi de collectione pulucrum, quæ fiet mynisterio Angelorum, & hęc in tempore erit: at de animatione, & organizatione non sic, nisi tunc accipiatur nomen celeritatis largè, scilicet pro eo, quod fit subitò, vel in instanti. Ad secundum est dicendum, quòd plures actiones, quarum quęlibet instantanea sit, nec oppositionem adinuicem habent, in eodem instanti possunt esse. Tales autem erunt animatio corporum, & eorum organizatio in eorum resurrectione, collectio autem puluerum fiet in tempore, & pręcedet tàm animationem, quàm organizationem. & hęc pro pręsenti.

DE AETATE, ET STATVRA RESVRGENTIVM.

Distinctio 44.

Lectio CLXX.

POstquam superiùs determinatum fuit de veritate resurrectionis, & eius conditionibus, consequenter nunc de resurgentium conditione loquendum. Sed antequam id fiat à nobis distinctio prius in sex particulas diuidetur. In quarum prima habetur conclusio. In altera insinuatio. In tertia altera conclusio. In quarta positio. In quinta de sanctorum gloria fit sermo. In sexta, & vltima dubium. Quantum ad primum, hęc sit conclusio. Absque vlla ambiguitate omnes homines resurgent in perfecta ætate, in qua Christus resurrexit, sed non in eadem statura. Ad quam insinuandam loco secundo ita fatur Magister Sent. omnes scilicet homines resurrecturos in ætate, in qua Christus resurrexit: at non in Christi statura: quilibet enim in sua statura resurget, quam prius in iuuenili ætate, habuit, vel quam, si ante obijt, habiturus erat circa trigesimum annum. His tertio additur hęc conclusio loco. Licet omnes cum omni membrorum integritate generaliter habeant resurgere, attamen in specie electi absque vitio vllo, & deformitate resurgent. In quodcunque enim elementum transeat corporis humani materia, illi corpori reddetur vbi prius fuit animata. Ita tamen quòd non tota materia illi parti reddetur, sed tota toti corpori ordinata sine omni indecentia. Vt enim statua alicuius ęris solubilis igne liquefacta, vel in puluerem contereretur, vel in massam confunderetur, & eam rursus artifex vellet ex

illius

illius materia, & quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, donec restituta, ex quo fuerat constituta, resumeret; sic nihil in resurrectione peribit, quod pertineat ad integritatem corporis. Nam tota toti corpori sine vlla indecentia materia reddetur, & hęc pro quarto puncto. Hinc quinto loco de sanctorũ gloria pertractandum, resurgent enim sanctorum corpora sine corruptione vlla, quia impassibilia, & incorruptibilia, sine vlla oneris difficultate, quoniam subtilia, & agilia erunt. Et rectè additur sine vitio, ac deformitate. Nam sicut Sol erunt fulgida, & absque vlla corruptione. Damnati quoq; cum membris suis integris resurgent. An verò cum illis deformitatibus, quas prius habuerunt, non hoc vult determinare Aug. non enim secundum ipsum animos defatigare debet incerta eorum habitudo, seu pulchritudo, quorum est certa, & æterna damnatio. Iam quinq; declaratis punctis, vltimũ superest, vbi dubium proponitur de abortiuis, & monstris. An scilicet huiusmodi debeant resurgere. De abortiuis audite, vel enim aliquando vixerunt, vel non. Si sic, resurgent: aliter non. De monstris quoq; dicitur, quod ipsa resurgent, abortiui ergo, & monstra, sed absque deformitate, & monstruositate, vt est videre in pręsenti distinctione.

AN INTEGRALITER TAM BONI, QVAM MALI RESVRGENT?
Lectio CLXXI.

D*E more nostro examinare volentes pręcedentem distinctionem, per ordinem duo quęremus hodierna die. Quorum primum.*

primum. An tàm boni, quàm mali integraliter resurrecturi. Insuper. An sine deformitatibus, quas hic habuerunt. Quantum ad primum, pro parte negatiua sic ratiocinantur quidam. Nil in Dei operatione frustra esse dicitur: at frustra tunc temporis inuenietur instrumentum generationi aptum, quia nullus poterit esse usus. Non ergo integraliter dicentur resurgere omnes. Preterea humores non resurgent, licet ad corporis integritatē pertinere videantur: quare, &c. antecedens patet, quia animati minimè sunt anima rationali, igitur ad resurrectionem ordinem non habebunt. Ex alio latere capilli, & vngues, qui minimè ad hominis integritatem spectare videntur, & tamen resurgent secundum illud Lucæ.xxi. Capillus de capite vestro nō peribit: à fortiori ergo alia ad hominis integritatem attinentia resurgent. Pro dilucidatione huius difficultatis primæ debetis adnotare, aliqua esse de hominis integritate tripliciter. Primò tanquā ea, sine quibus non potest esse homo, siue natura, sicut materia, & forma hominis partes essentiales, quæ sunt. Secundò modo integraliter, vt pes, & manus, &c. Tertiò aliqua ad hominis integritatem spectare videntur non intrinsecè, sed purè extrinsecè, vt humores, si ergo loquemur de his primo modo attinentibus ad hominis integritatem essentialiter, vt putà de materia, & forma, hoc modo non resurgent, sed tertium sic, idest homo ex his conflatus. Si aūt secundo modo de partibus integralibus verba fecerimus, tunc dicendum, quòd cum prędictis partibus debeant resurgere. De tertia integritate dicendum, quòd tàm boni, quàm mali integraliter habeant resurgere, quia per resurrectionem natura reparabitur quo ad omnia, quæ fuerunt de naturæ necessitate pro

statu

statu prę̨sentis vitæ, his tamen exceptis, quæ pertinent ad statum nutritionis, vel generationis, quæ non erit per resurrectionem, sed humores corporis, vt sanguis, colera, & huiusmodi de necessitate naturæ sunt pro statu prę̨sentis vitæ, igitur prout expediet reparabuntur in resurrectione. Addite vos quarto, quędam esse de natura decentia, vt capilli, & similia, quæ, & ipsa resurgent ad ornatum. His ita positis, nunc argumenta soluenda. Dum ergo primò dicebatur, quòd tunc ibi erit frustra instrumentum generationi aptum, quia non erit illius vsus, &c. ad hoc dicitur, quod non erit frustra, quo ad hominis integritatem, & agentis supernaturalis ostendendam virtutem, cum huiusmodi ergo parte resurgent omnes homines, si non ad vsum, quia non erit opus, attamen quò ad hominis integritatem. Ad secundum argumentum, distinguendum est de triplici humore in homine, quidam in recedendo à perfectione indiuidui, vel quia est in via corruptionis, & à natura, vt superfluum abijcitur, vt vrina, vt sudor, vt sanies, & huiusmodi. Datur alia humiditas in uia conuersionis, vt sanguis, &c. Tertiò est humiditas in via transeundi de via humoris in formā membri; qua triplici pręmissa humoris distinctione, dici modo de facili ad formam argumenti potest, quòd nullus talium humorum resurget, vt putà, non sudor, non nac, non semen, &c. quia non erit status, quò vnum indiuiduum generetur, vel foueatur, seu nutriatur ab alio, sed solum quò vnusquisque subsistat in se ipso. Humores verò intra corporis partes contenti certè resurgent, quia ad naturæ veritatem faciunt. At non illa humiditas in via transeundi de via humoris in formam membri, quia post resurrectionem singulæ par-

 tes

tes corporis sic stabilientur, vt vna non transeat in alteram, cessabit enim generationis tempus, & corruptionis: vel aliter dicatis, humores resurrecturos ad naturæ plenitudinem facientes, non ad superfluitatem, nam nõ erit tunc tempus superfluitatis. Explicata iam in ordine quęstione prima, altera accedit, dum quęritur. An corpora sine deformitatibus, quas prius habuerunt, resurrectura. Primo aspectu mihi videtur esse dicẽdum, quòd sic. Nam Christus cũ cicatricibus passionis, quas Thomæ ostendit, resurrexit: igitur, & omnes alij cum suis deformitatibus. Insuper, corpus videtur debere aptari animæ, sed reproborum animæ nunquam à suis deformitatibus spiritualibus absoluentur, igitur nec eorum corpora à deformitatibus corporalibus. Ex alio latere, cum virtute diuina omnes habeant resurgere, cuius virtus non potest errare, videtur esse dicendum, quòd in corporibus tunc temporis nulla futura sit deformitas, quæ tribus solet contingere modis. Vno modo, ex defectu membri conuenientis. Alio modo, ex defectu debitæ quantitatis. Tertio, ex indebita membrorum dispositione, vel ex appositione alicuius disconuenientis, vt est sextus digitus in manu, vel superfluitas alia in alio membro, vt flos, siue macula superueniens oculo. His ita positis, nunc ad rationes dico, & primo ad primam, quòd cicatrices in Christo resurgente fuerunt ex speciali dispensatione, vt per eas ostenderetur identitas Christi resurgentis. At non sic erunt in alijs, vel si erunt in Martyribus, hoc totum fiet ad martyrij titulum ostendendum, non ad deformitatem. Altera ratio satis probabilis. & hęc pro pręsenti satis.

AN

AN CORPORA GLORIOSA, RATIONE SVAE AGILITATIS, DE LOCO AD locum in instanti possint moueri? Lectio CLXXII.

PReter ea, quæ in hesterna nostra lectione sunt dicta, adhuc duo sese explicanda nobis offerunt. Quorum primum, an corpora gloriosa, ratione suæ agilitatis, de loco ad locum in instanti possint moueri. Insuper, an claritatem habeant. Quantum attinet ad primum, pro parte affirmatiua sic arguitur. Corpora gloriosa post resurrectionem in tempore non mouebuntur, quia non erit tunc: ergo in instanti. Quod autem tempus non erit, id probari de facili poterit, quia celi motus cessabit: ergo. Preterea, corpus gloriosum æque cito ad locum propinquum, & ad distantem mouebitur: ergo in instanti. Vnde Augustinus in questionibus de resurrectione ait, quòd corpus gloriosum vtraque interualla pari celeritate pertingit: ergo. Deinde Aug. xxii. de Ciuitate Dei, ait, quòd vbicunque iuerit spiritus, ibi corpus erit: at motus voluntatis est in instanti, secundum quem vult alicubi esse, igitur corporis gloriosi motus erit in instanti. Sed dicetis, quo modo vnum corpus pluribus simul esse poterit in locis? non ergo gloriosum corpus videtur in instanti posse moueri, alioquin eueniret, id, qđ nunc nunc tetigimus. Preterea, motus est actus imperfecti, vt colligitur ex doctrina Philosophi, sed beati post resurrectionē omnē perfectionem habebunt, quam habere debent: non ergo, &c. Pro dilucidatione huius quesiti, tria sunt animaduersione digna. Primum est; an

corpora gloriosa sint futura agilia. Secundum est; an quandoque moueantur de loco ad locum, & quali modo; an motu animali progressiuo, aut alio motu. Tertium est; an eorum motus queat esse in instanti. Quantum spectat ad primum, est sciendum, quòd in homine datur duplex motus, vnus secundum naturam elementi prędominantis, quò mouetur naturaliter, scilicet deorsum, vt terra grauis: alius est motus, cuius principium anima est, qui progressiuus est. Et differentia datur triplex inter istos motus, vna, ex parte principiorum. Nam principium primi motus est merè à parte corporis, & nullo modo ex parte animæ. Principium verò secundi motus dicitur aliqua pars corporis, non vt est merè corporis, sed vt animati. Altera differentia est, quia primus motus est ad determinatum vbi, & vniformiter, quia formam sequitur naturalem. Secundus autem motus ad diuersa vbi, & difformiter, quia sequitur apprehensionem, quæ secundum diuersa appetibilia potest variari, & ideo, homo, vel animal aliud poterit variare motũ progressiuum ad diuersa, vbi, & diuersimodè, tardè, scilicet, vel velociter. Tertia differentia est, quia homo, vel aliud animal motum sistere potest progressiuum. Ex hoc ad propositum potest dici, quòd agilitas dicit habilitatem in corpore ad faciliter mouendum secundum localem motum, non quidem secundum motum, quò animal mouetur secundum naturam elementi prędominantis, quia sic corpus mortuum foret agilius quàm viuum, quia tanquam ponderosius, citius deorsum cietur, quã viuum corpus, & tamen nullus dicit corpus mortuum agile esse. Item agilitas conditio mouentis se ipsum esse videtur, sola enim animata mouẽt se, vt colligitur ex octauo de physico

auditu

auditu pluribus in locis, & secundum motũ progressiuum, propter quod agilitas vocatur habilitas in corpore ad faciliter, & promptè se mouendum motu progressiuo, quæ in beatorum corporibus ponenda. Quo ad secundum dicitur, quòd corpora gloriosa quandoq; localiter mouentur, quia virtus motiua ex parte animæ in eis erit. Quantum ad tertium dicitur, quòd motus corporum gloriosorum non erit in instanti, sed in tempore, quia omnis motus corporis, qui ab extremo in extremum ꝑ medium, necessariò fit in tempore. His ita positis, ad argumenta nunc respondendum, & primò ad primum, quod licet post resurrectionem non sit tempus, quod est passio primi motus, erit tamen tempus, quòd mora continua, & motuum, successiua, qui tunc fient. Ad secuudum minor negatur, & ad Augustini authoritatem dicitur, quod habet intelligi, quò ad hoc, quod erit quasi imperceptibilis excessus vnius respectu alterius, propter miram celeritatem motus, ob quã multi dixerunt, quòd talis motus fiet in instanti, quia fiet in tẽpore quasi imperceptibili. Ad tertium desumptum ex Augustino dicitur, quod habet intelligi, de modico temporis, non quia in instanti motus ille debeat fieri, sed cito post factum. & hęc de prima questione. Postquam queritur secundo. An corpora gloriosa claritatem habeant. Primo aspectu videtur esse dicendum, quòd non, nam color, & lux in corpore requirunt contrarias dispositiones, quia lux, corpus perspicuum non terminatum per opacum requirit. Color autem perspicuum terminatum, vt patet ex libro de sensu, & sensato: at corpora gloriosa colore erunt terminata, cum color pertineat ad corporis pulchritudinem: igitur clara, siue lucentia minimè erunt corpora gloriosa. Preterea, corpus

lucens

lucens visui minimè peruium est, sed occultat quod est post se: at corpora gloriosa visui erunt peruia, non igitur corpora illa lucentia. In oppositum se habet scriptura pluribus in locis, dicitur enim Sapientiæ iii. quod fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto, & Matthæi. xiii fulgebunt iusti sicut Sol, &c. Pro determinatione ergo huius quęstionis est, animaduertendum, quod claritatis nomen, quantũ ad suam primam impositionẽ, luminis importat proprietatẽ, sicut suum oppositum, scilicet obscuritas, proprietatem importat oppositam, siue contrariam. His ita pręmissis, nunc ad formatas rationes dicendum, & ad primam primo, quòd lux, & color necessario oppositas non requirunt dispositiones in subiecto absolutè, sed per comparationem ad causam effectiuam, quæ causare non potest colorem, vel lucem in subiecto, nisi mediantibus alijs, quæ respectu coloris, & lucis, dispositiones cõtrarias ponunt. Claritas autem, quæ in corporibus gloriosis, non à causa naturali erit, sed immediatè à Deo, & ideò non requirit in subiecto dispositionem contrariam. Ad secundam rationem dicitur, quòd corpora bonorum possunt esse peruia, respectu oculi propter poros subtilissimos in eis existentes, qui propter efficaciam oculi glorificati sufficiunt ad manifestandum interiora corporis, quãtum oportet, nihilominus cum hac stat peruietate, quòd colorata, vel lucentia non appareant benè, quo modo possent esse simul peruia, vt vitrum, & lucentia, vt Sol. & hęc de pollicitis.

DE

DE DIVERSIS ANIMARVM RECEPTACVLIS.
Distinctio 45.
Lectio CLXXIII.

Postquam de attinentibus ad resurrectionem superiùs locuti sumus, consequenter nunc agendum de pertinentibus ad resurgentium remunerationem, ad punitionem. Ad quod commodè faciendum presens distinctio in puncta octo secanda. In quorum primò ponitur propositio. Illatum in secundò. Conclusio in tertiò. Insinuatio in quartò. Notandum de pompis factis in obsequijs quintò. Quesita duo in sextò. Conclusio in septimò. Dubium in octauò. Quo ad primum, sit hec propositio. Vbi primũ animæ in morte à suis corporibus separantur, mox diuersis habitaculis reddentur. Vnde bonæ gaudium, malæ verò tormẽta habent. Post iudicium verò earum pena, vel gloria augebitur, vt perbellè D. Aug. in textu Magistri Sent. fatetur. Hinc secundo loco illatum hoc infertur, quòd sicut facta resurrectione pena malorum augetur, ita gloria, seu gaudium beatorum plus perficietur. His tertio venit addenda hec cõclusio loco. Illi de orationibus, & eleemosynis Ecclesiæ illic, hunc profectum recipiunt, qui hìc talia, vt eis proficerent, meruerunt. Pro insinuatione cuius, quarto loco Magister Sent. dicit mortuos viuorum suffragijs iuuari, si tamen, dum viuerent, hoc meruerunt. Facta verò ꝓ valdè bonis suffragijs nõ egentibus, gratiarum actiones dicuntur, & pro valdè malis, qui iuuari nequeunt, ad viuentium consolationem sunt. Hinc loco quinto notandum ponitur de pompis factis in obsequijs, quæ solum ad viuorum

uorum solatium, non ad suffragia mortuorum, fieri dicuntur. Laudabile tamen est circa mortuorum sepulturam curam impendere. Nam hoc videntes misericordia mouentur ad orandum pro illis. Vnde, si non directè, saltem indirectè, defunctis prosunt. Post hęc sexto duo ponenda quęsita sunt loco: quorum primum de duobus mediocriter bonis, suffragijs indigentibus, vt putà de diuite, & inope. An scilicet plus diues iuuetur, pro quo suffragia fiunt plura, & in generali, & in speciali, minus autem pauper, pro quo generalia solum. Ad hoc paucis dicendum: diuiti quidem plus valere quantum ad celeriorem absolutionem, sed non quo ad pleniorem. Quęritur secundo de illo, qui eget suffragijs, & è vita recedit in ipsa sęculi consummatione, quando amplius suffragia impendi non poterunt. An saluabitur? declinando Magister Sent: ad partem affirmatiuam dicit, quòd meritus, ac intercessionibus cęlestis Ecclesiæ, & per ignem tunc futurum saluabitur. Enodatis hactenus sex punctis: septimum accedit hac propositione contentum. Angeli orationes nostras Deo offerunt, & ea, quæ hìc apud nos geruntur, recognoscunt. Pro cuius probatione octauo dubitatur loco. An sancti preces nostras, & vota sibi porrecta audiant, & sciant. Dubio proposito sic habet responderi, quòd Angeli, & Sancti diuinā faciem videntes, ea quæ apud nos geruntur, cognoscunt, quantum ad eorū gaudium pertinet, & nostrū auxilium. Vnde semper nostras dicuntur Deo offerre orationes, nō tanquā Deū instruētes, sed quid circa nos agendum sit ad eius veritatē ducētes. Vnde preces nostras dicuntur exaudire, quādo cęlesti curiæ earum exauditio innotescit, seu earum euentus futurus manifestatur. & hęc satis.

DE.

DE ANIMARVM RECEPTACVLIS. Lectio. CLXXIIII.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ tacta fuerunt à Magistro Sent. hodierna die nonnulla de receptaculis animarum perpendemus. Non enim potest negari, animarum receptacula non dari, in quibus vsque ad diem iudicij diffinitiuè animæ, non circunscriptiuè, habent recipi. Quæ abdita dicuntur; quia nunc nobis incognita, at post iudicium, & resurrectionem, tunc nobis erunt nota. Animæ autem hominum post mortem immediatè destinantur, vel ad locum gloriæ, vel ad locũ pęnæ. Si ad locum gloriæ, sic animarum locus erit cęlum empyreum, & iste locus diuidi habet in nouem portiones, secundum nouem Angelorum ordines, in quibus beatorum animæ collocantur, iuxta varietatem graduum meritorum. Si autem ad locum pęnæ, hoc dupliciter cõtinget, vel quia in huiusmodi locis est pęna sensus, & pęna damni simul, vel pęna damni tantum. Et quęlibet istarum partium adhuc subdiuidi habet per temporale, & æternum. Et secundum hoc, quatuor possunt distingui lõca pęnarum ipsarum animarum. Quorum primus Infernus, locus perpetuæ damnationis. Alius est Purgatorius, in quo est pęna sensus, & damni ad tempus. Tertius locus, est puerorum Limbus, in originali tantũ decedentium. Quartus locus dicitur Limbus patrum, ad quem sancti patres descenderunt, antequã Christus esset passus, quem locum Christus destruxit, quando ad inferna descendit. Post autem extremum iudicium vlterius non erit locus purgatorius, ideo tunc cessabit omnis pęna

temporalis, & solum manebit damnatorum infernus, & paruulorum limbus, vt latius docet Thomas Argent. itaque non sine causa dicunt, & volunt Theologi animam tartarum, aut cęlum, quasi domicilium, capescere. Tartarum, si cum peccato recedat mortali. Cęlum verò, si perfecta. Purgatorium, si cũ culpa leui. Limbum, si cum originali. At dicetis, libenter sciremus, an animæ receptacula sua exeant aliquando: huic difficultati respondetur; quod sic sæpe, sicut de beatis legimus, possunt enim nos iuuare, reuocando à malo, bonum docendo, confortando, & liberando, sicut patet de infinitis miraculis, beatæ Mariæ, Francisci, &c. & vt Ricardus scribit, exeunt aliquando animæ de suis receptaculis, vel per diuinam potentiam, vel per naturam propriam. Primò modo de inferno. De cęlo exeunt quoque aliquæ animæ, non in perpetuum, sed ad tempus, nec de lege communi, sed ex aliqua causa speciali. Sic etiam de purgatorio aliquæ exeunt ad modicum tempus ante completionem suæ pęnæ. Post cuius completionem, inde exeunt, illùc amplius non reuersuræ. Vt hęc latius apud Ricardum est videre.

AN VIVORVM SVFFRAGIA DEFVNCTIS PROSINT.

Lectio CLXXV.

QVoniam mentio facta fuit in prędeclarata distinctione de suffragijs, ꝑpterea iurè merito quęsita duo in pręsenti enodabo: quorum primum, an defunctis viuorum suffragia prosint. Insuper, an existentibus in inferno. Quantum

attinet

attinet ad primum, negatiuè sic arguitur. Vt mala facta per viuos, defunctis non nocent, ita nec bona eis proderunt facta per illos, non ergo defunctis viuorum suffragia vtilia erunt. Deinde, Unius suffragij valor, vnius esse debet, iuxtà illud psalmistæ, oratio mea in sinu meo conuertetur, facienti ergo, & non defuncto, oblatum suffragium prodesse dicetur: quare, &c. Preterea, Deo displicet peccator, non ergo illius intercessio pro defuncto vtilis, sed magis occasio, vt Deus ad iram prouocetur. Ex alio latere in contrarium se habet illud Machabeorum. xii. Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare: at non esset salubris, nisi eis prodesset: ergo, &c. Pro determinatione huius difficultatis primæ, duo premittenda sunt, primum respicit numerum suffragiorum, tria enim sunt suffragia, oratio, ieiunium, & eleemosyna, quibus defunctis possumus suffragari. Alterum est, quod nō valent recedentibus in culpa mortali, quia remissionis non sunt capaces, solum ergo illis, qui cum veniali, & hoc quantum ad diminutionem, vel totalem solutionem penæ. At dicetis, quo modo viuorum suffragia mortuis prosunt? Respondetur, hoc duobus concipi posse modis. Vno modo, inquantū charitate adinuicem vniuntur: alio modo, secundum qđ viuorum intentio ad mortuos refertur. His ita positis, nunc ad argumenta respondendum, & primo ad primum, quod nullum est, propter dissimilitudinem, nam licet malum defunctis nocere nequeat viuorum, bonum tamen, ex charitate proueniens, de congruoq; acceptatum à Deo, proderit mortuis. Ad secundum conceditur, quod valor vnius suffragij vnus sit in vno genere, at non simpliciter: ualet enim uno modo, quatenus est bonus, & uoluntarius, & sic soli

operanti: alio modo, quatenus pęnalis est, & sic ualet per modum satisfactionis, & ita operanti, vel alij, pro quo fiat, valere potest. Ad tertium, de peccatore distinguendũ est. Nã, si illud suffragium sit sacrificium altaris, tantum valet, si per bonum sacerdotem offeratur, sicut per malum, illud enim, quod habet efficaciam, & vim ex opere operato, non vitiatur per demeritum operantis. Si verò sit oratio, rursus distinguendum, aut enim priuata est, aut publica, si publica, licet per malum ministrum fiat, quia talis oratio nõ innititur meritis personæ, sed Ecclesiæ, ideo valet. Si verò oratio priuata sit, sic non videtur valere, quando fit à malo ministro, nec facienti ad meritum de cõdigno, nec ei, pro quo fit ad suffragium, & sic Gregorij dictum, est in pastor, intelligendum. Si aũt suffragium illud sit elecmosyna, bene per accidens poterit prodesse: at non propter statum dantis, per accidens tamen valet tàm danti, quàm illi, pro quo datur, inquantum bonus, cui datur, orat pro vtroque. Explicata his paucis verbis quęstione prima, altera subsequitur, dum quęritur, an in inferno existentibus suffragia prosint. Aug. ad partem affirmatiuam declinando, ait, quibus prosunt suffragia, ad hoc prosunt, vt plena sit remissio, vel tolerabilior eorum damnatio: at damnati dicuntur illi, qui sunt in Inferno: ergo. Pręterea, Damascenus recitat in quodam sermone, quod Traianus, ad preces Gregorij, fuit liberatus à pęnis infernalibus, igitur in Inferno dam nati Sanctorum orationibus possunt iuuari. Ex alio latere dicitur, quod in Inferno nulla est redemptio: Insuper dicit Iob vii. qui descendit ad infernos, non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam. Pro dilucidatione ergo huius quęstionis secundæ, est sciendum,

dum, qđ quęstio, post iudicium vniuersale, dubia non est, quia tunc non fient suffragia: at pro pręsenti, quibusdam difficultatem parit, ad quam tollendam formatæ rationes diluentur, ex solutione quarum, veritas patebit. Prima ergo debet intelligi largè, non propriè, ita, vt ibi damnatio sumenda sit pro quacunq; punitione, vt sic includat etiam Purgatorij pęnam. Ad secundum de Traiano dicendum, quod miraculosè fuerit restitutus, quia nõ erat finaliter damnatus, sed conditionaliter. Vel dicatis, illud fuisse singulare priuilegium diuinæ gratiæ. & hęc pro pręsenti nostra lectione.

AN SANCTI NOSTRAS COGNOSCANT ORATIONES.

Lectio CLXXVI.

VT in sequenti valeamus quadragesimam sextam distinctionem aggredi, quęsitum vnum excitabimus in pręsenti, quod erit tale. An Sancti orationes nostras cognoscant, quas ad eos dirigimus. Pro parte negatiua arguunt quidam dicentes, si defectus, necessitatesq; nostras intuerentur, quas in oratione exprimimus, magis, vt in charitate perfecti, subuenire nobis essent parati: at hoc non experimur, non igitur Sancti nostras orationes cognoscunt. Insuper. Quandoque orationes nostræ mentales sunt: at solus Deus occulta cordium nouit, non ergo, &c. Denique Aug. super illud Esaiæ lxiiii. Abraham nesciuit nos, dicit, quod etiam Sancti nesciunt, quid agunt viuentes, etiam eorum filij: non ergo viuentium orationes sciunt. Hoc idem dicere videtur Aug.

in libro

in libro de cura pro mortuis agenda. In oppositum se habet illud, qđ Raphael Thobiæ dixit. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Pro determinatione huius difficultatis primæ, est primo sciendum, quod conueniens est, vt orationes nostras dirigamus ad sanctos, cuius ratio est, secundum Dionysium, vt infirma per media ad suprema reducantur ex lege diuina. Preterea notandum est, quod triplex notitia, naturalis, beatifica, & reuelata. His ita positis, ad argumenta quid dicendum, audite: nam primum supponit vnum non concedendum, & est, quod si nobis Sancti ferrent auxilium, vt in charitate perfecti, illud experiremur: at non: ergo. Dicitur ad hoc, quamuis sint in maxima charitate positi Sancti, voluntatem tamen suam cõformem diuinæ voluntati habent, & ideo, licet affectum charitatis ad viuentes habeant, non ob id eis auxiliantur, nisi secundum qđ vident in Dei scientia, & voluntate esse dispositum, frequenter tamen viuentibus auxilium ferunt, sua apud Deum intercessione, quamuis nos lateat. Ad secundum argumentum dicitur, quod cogitationes cordium nouit Deus immediatè, & ꝑ se ipsum: at Beati, quatenus eis reuelantur. Ad tertium dicitur, quod Aug. loquitur de cognitione naturali, per quam mortui nesciunt facta viuentium, & multo minus cogitata, Beati tamen, quando ad eos diriguntur, cognoscunt, & si non cognitione naturali, vel beata, cognitione tamen reuelationis, ea cognoscunt. Abraham verò, de quo beatus loquitur Aug. non erat beatus, quando verba illa dicta fuerunt per Esaiam cum ante Christi passionem nullus ad beatitudinem fuerit admissus. & hęc satis.

SI VALDE MALIS, ETC.

Distinctio 46.

Lectio CLXXVII.

VBi superiùs determinatum fuit de remuneratione, & punitione animarũ ante iudicium, & resurrectionem, hic consequenter agendum de diuina iustitia, & misericordia, quibus prędicta dispensantur. Sed commodius id vt fiat à nobis, diuidenda erit pręsens distinctio in secta septem. In quorum primò ponitur conclusio. In altero quęsitũ. Instantia in tertiò. Notandum in quartò. Dubium in quintò. Responsio in sextò. Quęsita duo tandem in septimò. Quantum spectat ad primum, sit hęc conclusio. In pręmiatione damnatorum hominum, & Angelorum iustitiam, & misericordiam seruat creator eorũ. Pro cuius intellectu, secundo loco quęrit Magister Sent. An circa damnatos sit cõcedenda aliqua Dei misericordia? Quidam partẽ negatiuam tuentes, authoritatibus quibusdam nituntur, ita dicentes. Iacobus ait, Iudicium sine misericordia fiet illi, qui nõ fecit misericordiam. Insuper Aug. dicit, Misericordia hic, Iudicium in futuro. Sunt quidam alij partem affirmatiuam defendentes, qui dicunt, damnatos, Dei aliquo modo misericordiam experiri. Vnde ad veritatem acu attingendam, loco tertio instantia in medium afferenda, qua per quasdam authoritates de facili probatur damnatorum pęnas nunquã esse finiendas, vti in textu Magistri Sent. videre est. Qua pręmissa, velim sciatis, Dei misericordiam circa dãnatos cognosci aliquam in pęnæ impositione, & mitigatione, licet non pęnitus in absolutione,

absolutione, & occulta peccatorum reuocatione sicuti in presenti. & ex hoc solui possunt authoritates in contrarium adductæ, quæ omnino Dei misericordiam à damnatis non excludunt, & hęc de tribus in ordine punctis. In quarto, notandùm ponitur de occulto Dei iudicio, quod quandoque sumitur pro pęna, qua quis excitatur ad purgationem, vel mouetur ad conuersionem, vel, si contemnit, excęcatur ad damnationem. Quandoque etiam per Dei iudicium occultum, intelligi habet dispositio de omnibus rebus, quandoq; verò finalis sententia, quà in futuro malos à bonis separabit. Quintò dubitat loco Magister, cũ Dei misericordia, & iustitia idem sint, qualiter opera quędam attribuantur misericordiæ, & alia iustitiæ. Ad quod potest dici, hoc propter diuersitatem connotatorum, vel diuersarum de Deo conceptionum euenire, propter quam diuersitatem aliqua diuinæ ascribuntur misericordiæ, & aliqua bonitati. Bonitas enim respicit Dei gratuitam donationem, misericordia verò à malo liberationem, vt in sextò habetis puncto. In vltimò duo quęsita proponuntur, quorũ primum, quo modo intelligendum sit, quod vniuersæ viæ Domini sunt misericordia, & veritas? ad quod responderi potest, hoc ideo dici, quia duplex datur aduentus Dei, quorũ alter misericordiam, alius verò respicit iustitiam. Vel hoc pro tanto dicatur, quia ad Deum imus, mala per iustitiam declinando, bona opera faciendo per misericordiam, & sic vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas, quibus ad Deũ imus. Quęritur secundo. An in omni opere Dei misericordia, & veritas includantur. Quidam dixerunt, quod non, secundum effectum, sed quod in quibusdam tantum misericordia sit, & in quibusdam alijs, iustitia.

iustitia tantum, in alijs verò quibusdam misericordia, & iustitia simul. Insuper dicebant in omni opere Dei ambo contineri secundum essentiam, quia vna, & eadem voluntas Dei iustitia est, & misericordia. Alij verò, quod etiam secundum effectũ, vel signum in omni opere Dei concurrunt simul misericordia, & iustitia, ita quòd nullum sit Dei opus, in quo non reluceat effectus, vel signum æquitatis, & misericordiæ, siue occultè, siue apertè, & hęc de tota distinctione: quam in sequenti examinabimus sermone.

AN IN DEO SIT IVSTITIA PONENDA. Lectio CLXXVIII.

CIrca prędeclaratam distinctionem duo animaduersione digna valdè sese nobis offerunt: quorum primum ad diuinam spectat misericordiam, alterum verò ad vtrunq; scilicet, & ad misericordiam, & ad iustitiam. Solet ergo primò quęri. An in Deo sit iustitia. Pręterea an in malorum punitione concurrat diuina misericordia, & iustitia. Quo ad primum negatiuè primò sic arguitur. Quod non est bonum, nisi secundum quid, in Deo non est ponendum: at iustitia saltem vindicatiua sic se habet, quia non est bona, nisi vt medicina; talis ergo in Deo non ponenda. Insuper velle Deum laudare secundum aliquam moralem virtutem ridiculum est: at iustitia moralis virtus est; non igitur attribuenda Deo. Denique domini ad seruum non videtur esse propriè iustitia, sed Deus creaturæ, siue ad creaturam, sicut dominus ad seruum comparatur, non ergo Dei ad creaturam erit aliqua

iustitia. Ex alio latere quia sacra scriptura multis in locis iustitiam Deo ascribit, iccirco in Deo concedenda erit. Pro dilucidatione ergo huius difficultatis primæ est sciendum, quod in Deo propriè iustitia commutatiua non ponitur, quia illa consistit in æqualitate rei datæ, & acceptæ: at beneficijs diuinis à creatura non potest aliquid æquale retribui: quare, &c. in Deo igitur iustitia distributiua ponenda respectu creaturarum, inquantum scilicet omnibus creaturis dat secundum vniuscuiusque dignitatem. Vnde, cum malos punit, iustum esse dicitur, quia illorum meritis congruit; cũ parcit malis, etiam iustum est, non quia illorum meritis, sed quia diuinæ voluntati, vel bonitati condecens est. Vnde finiri sic potest. Iustitia in Deo nil aliud est, quàm diuina condecentia in redditione premiorum, & pęnarum, secundum merita, & demerita vniuscuiusque. His ita pręmissis, nunc rationes superiùs formatæ diluendæ: quarum prima ex suppositione falsa nulla est. Nam iustitia vindicatiua non solum, vt medicina, dicitur bona, verum etiam in se, quatenus est rectitudo voluntatis ordinans aliquem ad illud, vel ad alterum, & qua boni premiantur, mali verò puniuntur. Altera ratio sic venit intelligenda, quod sit ridiculum ponere virtutes morales in Deo, per comparationem ad materiam ciuilem, puta ad emptionem, & venditionem: at per comparationem ad distributionem bonorum, vel ad redditionem premiorum, & pęnarum sic in Deo ponere iustitiam non erit ridiculum. Tertia ratio probat, inter Deum, & creaturã non esse iustitiam propriè dictam, sed quendam iustitiæ modum, prout inter eos aliqua inuenitur proportio, sicut inter dominum, & seruum. Vnde Philosophus quintò

Ethico-

Ethicorum distinguit iustum dominantium à iusto politico, quod est propriè iustum. Et hęc de prima quęstione. Solet quęri secundò, an in malorum punitione diuina concurrat misericordia, & iustitia. Mihi sanè videtur, quòd non. Dicit enim Iac. ii. quod iudicium sine misericordia ei fiet, qui misericordiam non fecerit, non igitur in malorum punitione est misericordia. Rursus ait Aug. super Psal. misericordia autē hic, & iudicium erit in futuro, ergo in iudicio erit iustitia sine misericordia. Pręterea, in bonorum premiatione erit misericordia sine iustitia propriè dicta, non secus in malorum punitione erit iustitia sine misericordia. In contrarium se habet illud, qđ dicitur in Psal. Vniuersę viæ domini misericordia, & veritas. Et Cassiodorus ait, quod hæ duæ res, iustitia, & pietas in omni iudicio Dei adiunctæ sunt. Pro responsione, est primò sciendum, quòd misericordia dupliciter capitur: vno modo pro passione, per quam aliquis alicui patienti quasi partē passionis alterius in se ferens. Alio modo capitur pro habitu, vel voluntatis actu, quo aliquis vult alterius miseriam subleuare, quo modo in Deo est, quia Deus nihil facit circa nos, nisi volens. Vnde Dei misericordia duplex dicitur, vt scribit Petrus de Palude, scilicet liberans, & relaxans. Nam sicut homo misericors non repellit laudabiliter, nec virtuosè miseriam alienam, nisi quantum iudicat, sic Deus non repellit miseriam nostram, nisi quantum ordo suæ sapientiæ eam repellendam iudicat. Quæ si secundum ordinem diuinæ sapientiæ totaliter repellatur, vocatur misericordia liberans. Si verò non totaliter liberetur, sed de ea aliquid minuatur, misericordia relaxans vocatur. His ita positis, ad argumenta nunc respondendum, &

primò ad primum: dicitur ergo, quod beati Iacobi authoritas intelligenda sit de misericordia totaliter liberante, quæ minimè est in malorum condemnatione, ibi tamen concedenda est misericordia relaxans de pęna. Ad secundum dicitur, quòd, quamuis in futuro sit iudicium, & misericordia, differenter tamen, quia hic est iudicium cum misericordia totaliter liberante, quæ est perfecta misericordia: at in futuro erit iudicium sine misericordia liberante, non tamen sine misericordia relaxante: & quia illa non videtur perfecta, sicut misericordia liberans, ideo dicitur hic esse misericordia per excellentiam, ibi autem iudicium. Ad tertium de punitione malorum, & premiatione bonorum similitudo negatur, quia ibi bonorum meritum simpliciter dici nō potest de condigno meritum, quia tale simpliciter includit iustū, qđ esse non potest inter Deum, & hominem in acceptatione, & retributione bonorum, sed demeritum. Malorū propriè demeritum dicitur, & ideo pęna, quæ infligitur malis, debetur eis secundum iustitiam propriè dictam. & hęc satis.

DE SENTENTIA IVDICII.

Distinictio 47.

Lectio CLXXIX.

E*Xposituri hodierna die distinctionem in ordine quadragesimam septimam, de nexu primo verba faciemus: Insuper ad diuisionem festinabimus. De continuatione quid dicturus sim, audite. Postquam verba fecimus de remuneratione, & punitione generale iudicium pręcedente, superest modo de ipso*

iudicio,

iudicio, nec non de pertinentibus ad ipsum, loqui, ad qđ apte agendum distinctio hæc in puncta octo diuidenda. In quorum primo ponetur conclusio: In altero insinuatio: In tertio notandum: In quarto ordo iudicandorum: In quinto propositio: In sexto, quid inde sequatur, declarabitur: In septimo conclusio: Dubium tandem in octauo. Quo ad primum, sit hæc conclusio. In extremo iudicio vniuersitas perfectorũ iudicabit collegium reproborum. Pro cuius insinuatione loco secũdo proponit primò Magister Sent. quod quidam ponunt iudicium, non voce, vel scriptura proferendum, quoniam Apost. ait, illud in ictu oculi fieri. Alij verò oppositum ponentes, dicunt: Apostoli verba intelligenda fore de resurrectionis statu, non de iudicio. His tertio additur loco notandum de iudicantibus. Nam non solum Christus iudicabit, sed etiam vniuersitas perfectorum cum eo, qui per duodecim intelliguntur. Erit ergo multiplex iudicium; primæ scilicet authoritatis, quod erit totius trinitatis; principalis administrationis, quod erit solius filij; assessionis, quo Sancti cum Domino iudicabunt. Sedebitis, & vos iudicantes, &c. comparationis, quo Regina Austri, & minus mali iudicabunt magis malos; præscientiæ Io. 3. Qui non credit, iam iudicatus est; discretionis: Nunc iudicium est mundi. Io. 12. discussionis. Si nosmetipsos diudicaremus, &c. 1. Cor. ii. tribulationis, Tempus est, vt incipiat iudicium à domo domini 1. Pet. 4. Disceptationis. Iohel. 3. Congregabo eos in valle Iosaphat. Hinc quarto iudicandorum ponitur ordo loco. Quidam enim in iudicio iudicabunt, & non iudicabuntur, vt Apostoli, & Apostolici viri. Quidam iudicabuntur, & non iudicabunt, & saluabuntur, vt medio-

criter

criter boni. Quidam verò nec iudicabunt, nec iudicabuntur, vt infideles. Qui enim non credit, iam iudicatus est. Quidam non iudicabunt, sed iudicabuntur, vt cęteri mali, & verè peccatores, qui non resurgent ad iudicandum, sed iusti. & hęc de quadruplici ordine iudicãdorum in die iudicij. Quinto loco ponenda venit hęc propositio. Ministerio Angelorum congregabuntur ad iudicium exercitus iudicandorum. Posita propositione, inde sexto loco Magister ponit, quid futurum. Nam Angelorum ministerio congregabuntur omnes ad iudicium, quorum ministerio ignis pręcedet, quo vniuersi facies, scilicet huius mundi comburetur, & tantum ascendet, quantum aquæ in diluuio ascenderunt. Purgato autem mundo diuina virtute, & Angelorum ministerio, resurgent boni, & Christo rapientur obuiam in aera Angelorum ministerio. Reprobi verò in terra erunt; ac remanebunt, quia terram dilexerunt. Inde iudicium sequetur districtum, & vltimum, & vltima iudicis sententia proferetur, qua prolata iusti ibunt in vitam æternam, mali verò Angelorum ministerio, Dei virtute cooperante, in infernum mittentur. Post hęc septimò ponitur talis conclusio. Reprobi damnati per extremum iudicium in inferno punientur dęmonum ministerio. Pro cuius intelligentia octauo loco quęrendum. An homines post iudicium in inferno virtute dęmonũ puniantur? Isidorus declinando ad negatiuam partem ait, quòd non. Post iudicium enim omnis pręlatio cessabit. Alij verò dicunt, quòd, qui incentores in culpa fuerunt, in pęna tortores erunt. & hęc pro pręsenti satis dicta sint.

AN

AN GENERALE IVDICIVM FVTVRVM. Lectio CLXXX.

IN utile minimè erit Nobil. Audit. pro vberiori doctrina eorum, quæ in prędeclarata distinctine sunt tacta, hodierna die nõ magno verborũ apparatu duo in dubium reuocare. Primò, an vniuersale iudicium sit futurum. Insuper, an quilibet tunc temporis in generali iudicio habeat omnia sua cognoscere peccata, & aliorum. Quantum ad primum, mihi videtur esse dicendum, quòd non, quia tàm bonorum, quàm malorum decedentium statim executioni sententia mandatur, non igitur amplius isti iudicabuntur. Insuper: Deus bis non iudicat in idipsum: at Deus quemlibet in morte iudicat infligendo ei pro meritis pęnas, vel premia, non ergo amplius iudicabuntur. Denique, si generale iudicium esset futurum certè omnes iudicarentur, alioquin generale non esset, sed non omnes iudicabuntur, vt patet de Apostolis, dicente Christo illis: Sedebitis, & vos super sed. Iud. &c. ergo non omnes iudicabuntur. De impijs nõ secus patet: dicitur enim: Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. In contrarium se habet Aug. xx. de Ciuitate Dei, dum dicit, quòd tota Ecclesia expectat generale iudicium futurum: Insuper articulus fidei est, vt patet in Symbolo. Et apud Io. v. Procedent hi, qui bona fecerũt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij; erit ergo generale iudicium. Insuper hęc veritas cõfirmari habet authoritate Matthęi xxv. dicentis, quòd separabit bonos à malis, sicut pastor separat oues ab hedis. Num verò fieri habeat

mentaliter, vel vocaliter, duplex datur opinio, vna est, quod totum illud, quod fiet in iudicio fieri habeat mentaliter, non vocaliter, & hoc vt sententia correspondeat testimonijs, ex quibus proceditur ad sententiandum: at testimonia, & malorum accusationes solum erunt mentalia iuxtà illud Rom. secũdo: Testimonium reddet illis conscientia ipsorum, mentalis ergo tantum sententia erit. Alia est opinio, quod licet discretio meritorum, & demeritorum fieri habeat mentaliter, vt expressè dicit authoritas allegata, attamen vocaliter proferetur sententia, quia Christus iudicabit, vt Deus, & homo, ergo eius iudicium fiet non solum modo diuino, sed etiam humano, & ita discussio meritorum, & demeritorum mentaliter fiet, quia imperceptibiliter vniuscuiusque merita, & demerita ad memoriam reuocabuntur. Sententia verò vocalis, modo humano si fiet, & ita dicendum, quod vtroque modo iudicium sit futurum, scilicet mentaliter, & vocaliter. De tempore verò iudicij nil dicam. Nam alicui notum esse non potest per certitudinem, cum ex Dei mera dependeat voluntate. De loco autem inferius dicetur. His interim ita positis, ad argumenta formata respondendum. Primũ etenim currit de sententia particulari, quæ mandatur executioni, quando quilibet in morte iudicatur per pęnam, vel premium ad solam animam pertinentia. Ad secundum dicitur, quod Deus bis neminem iudicat in idipsum, quia non infligit pro vno peccato duas pęnas, quarum quęlibet sit proportionata culpæ. Pęna enim, quæ infertur in iudicio particulari, nõ dicitur culpæ æquata, sed pars totalis pęnæ, quæ erit postea in anima, & corpore. Iudicium ergo duplex, vnum singulare, quod de quolibet fit in morte,

alius vniuersale, quando finaliter totum genus humanum, cuius quilibet pars est, iudicabitur. de primo currit argumentũ: nos verò loquimur de secundo. Ad tertium respondetur, premissa distinctione de duplici iudicio, scilicet disceptationis, & retributionis, iudicio retributionis omnes iudicabuntur, quia vel punientur, vel remunerabuntur. At iudicio disceptationis, siue discutionis non omnes, sed illi solum, quorum merita demeritis sunt permixta, vel è conuerso. Et sic concedi potest hec vltima ratio hoc secundo modo, sed non primo. Explicata iam questione prima, queritur secundo. An in generali iudicio quilibet sua habeat cognoscere peccata, & aliorum. Pro parte negatiua solet primò sic argui. Si quilibet in generali iudicio sua valeret cognoscere peccata, hoc maximè de Sanctis post resurrectionem posset dici: at oppositum apparet per illud Apoc. xxi. dum dicitur, quod fugiet ab eis omnis dolor, & gemitus, non igitur ad propriam memoriam peccata reuocabuntur. Insuper, si peccata cognosci possent, hoc esset, vel in se, vel in sua causa, vel in suo effectu: at nullum horum verum: ergo. Minor probatur: primò quòd non in se, quia non sunt, sed preterierunt, aut si sunt, in corde latent, cuius solus Deus est cognitor, nec in sua causa per eandem rationem, quia talis, vel inclinaret voluntatem ad merendum, vel demerendum, dato quod non ex necessitate inclinet, sed liberè per eam, ob id non possent merita, vel demerita alterius certitudinaliter cognosci: ergo. Nec p effectus, quia multa demerita per penitentiam in Sanctis, quæ abolita erunt, non remanebunt, ergo vt videtur, vnus merita, vel demerita alterius cognoscere non poterit. In oppositum se habet Aug. xx. de Ciuitate

Dei, qui dicit, quod quędam uis diuina aderit, qua fiet, vt cũncta peccata ad memoriam reducantur, quilibet igitur omnia peccata sua cognoscet, & eadem ratione omnia sua merita. Idem videtur de peccatis, vel meritis aliorum per quandam glosam, quæ dicit super illud i. Cor. iiii. Illuminabit abscondita tenebrarum, quod gesta, & cogitata bona, & mala tunc aperta, & nota erunt omnibus. Pro determinatione huius difficultatis secũdæ supponendum est primò, quòd quilibet sua habeat cognoscere omnia bona, & malo, quæ fecit. Vnde per illud Euangelij dicitur, quòd de omni verbo occiso, quod loquuti fuerint homines rationem reddent in die iudicij., sed illud minimum peccatum est, ergo à fortiori reddetur ratio de omnibus peccatis. At ratio reddi non posset de illis, nisi cognoscerentur: ergo. His pręmissis, ad soluendas rationes prius formatas accedo, & ad primam dico, quod beati memoriam peccatorum habebunt ad gloriam, non ad pęnam, quo secundo modo intelligenda venit ratio: at nos loquimur primo modo. Ad secundam dicitur, quod multis alijs modis cognoscitur aliquid, quàm in se, vel in sua causa, vel in suo effectu. Nam cognoscitur etiam aliquid per suum simile, vel per suum contrarium, vel per suum signum, & multis alijs modis, quibus Deo non erit difficile reuocare unicuiq; ad memoriam peccata sua, talis autem cognitio fiet virtute diuina. Quo modo Augustini authoritas intelligenda.

DE

DE FORMA IVDICIS.

Distinctio 48.

Lectio CLXXXI.

Haec est quadragesima octaua distinctio huius libri quarti in ordine explicanda, cuius continuatio primò considerãda, eiusdemq; diuisio secundò. Quo ad primum, ex quo ostensum fuit superius, quo modo generale fiet iudicium, quantum ad modum iudicij, & iudicis ministros, consequenter hic de eodem agendum, quãtum ad personam iudicis. Habita coherentia his paucis verbis, nunc diuidenda uenit presens distinctio in secta septem. Quorum primum continet propositionem. Alterum insinuationem. Tertium notandum. Conclusionem quartum. Iudicis effectus quintum. Propositionem sextum. Insinuationem denique septimum. Sit igitur primò hęc propositio. Christus in forma apparens humana, viuos, & mortuos iudicabit virtute diuina. Ad quã insinuandam loco secundo est sciendum: Christum secundum formam hominis esse iudicaturũ, quia Deitas à malis videri minimè potest. Iudicabit ergo in forma hominis gloriosa, in qua Deus, & à bonis, & à malis videbitur. At dicetis, num virtute diuina iudicabit? ad hoc dicitur qđ sic. Nec sine Patre, & Spiritu Sancto ob id, quia tota trinitas iudicabit principaliter: at Christus in forma humana ministerialiter. His tertio loco notandum tale addendum, quod Christus impijs terribilis apparebit, iustis autem mitis, erit enim terror malis, & lumen iustis, & hoc ex sententia vniuersalis iudicij, quando scilicet fiet separatio bonorum à malis, &

bonorum remuneratio, non solum in anima, sed etiam in corpore his verbis. Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Tunc dicet, & his, qui à sinistris erunt, idest ad impios: Discedite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, &c. hic tamen noteris, quòd quamuis Christus secundum diuinitatem sit iudicaturus, secundum nihilominus formam humanam sibi suscitatio mortuorum attribuetur, quia in ea meritum, & causam nostræ resurrectionis, & etiā redemptionis accepit. Enodatis hactenus sectis tribus quartum subsequitur, vbi conclusio talis proponitur. Extremi iudicij vallis Iosaphat locus est. Ad quam insinuandam extat sententia Iœlis 3. vbi dicitur. Adducam omnes gentes in vallem Iosaphat. non autem omnes erunt in illa valle, sed electi in aere, & maximè perfecti cum ipso Iudice, secundum gradum suæ dignitatis, & excellentiæ notabiliter collocati. Et vt vult Scotus, electi non erunt in terra, sed rapientur Christo obuiam in aere. Ibi ergo erit cum multis in iudicio disceptandū, & hęc de punctis quatuor. In quinto ponuntur effectus Iudicis. Nam eo viuente in fortitudine magna, & potestate, ad iudicium Sol, & Luna obscurari dicentur, non propter sui luminis priuationem, sed propter Iudicis claritatem superuenientem. Insuper dicentur virtutes Angelorum moueri, scilicet ex admiratione visorum, non metu damnationis, nec perturbatione pauoris. Ante diem verò Iudicij stellæ obscurabuntur Ecclypsimq; patientur, vt authoritate Iœlis declaratur ita dicentis: Sol cōuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magna, & horribilis. Multo plura signa, quæ

Iudicij diem precedent ponit Hieronymus, quæ recensere velle longum esset. Sexto itaque loco ponitur hæc propositio. Celi luminaria facta in mundi innouatione erunt, quam nunc, lucidiora. Pro cuius insinuatione loco septimo, ita dicendum, quòd post iudicium mundi facta innouatione huius luminaria maiorem claritatem recipient, quod authoritate probatur Esaiæ dicentis, cùm autem factum fuerit celum nouum, & terra noua, tunc erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis septempliciter idest, sicut lux septem dierum. Et sicut per peccatum omnia deteriora sunt, ita post reparationem omnia meliorabuntur. Et authoritates, quæ videntur dicere, solem, & lunam cessare erunt intelligendæ quantum ad motum, vel quia beati tunc tẽporis eorum lumine non indigebunt. Vsus verò solis, & lunæ in illo tẽpore erit, in vniuersi decorẽ, & perfectionẽ, nec nõ in laudis manifestationem. & hæc de tota distinctione pro presenti.

AN IN FORMA HVMANA IVDICABIT CHRISTVS?

Lectio CLXXXII.

VT mihi, & vobis aliqua in parte Nobil. Audit. satisfaciam, quesita tria hodierna die discutienda proponã. Quorum primum: An Christus, vt volebat Magister Sent. in textu, in forma humana sit iudicaturus. Insuper: An diuinitas à malis sine gaudio videri queat. Demum: An celi motus cessabit. Quantum ad primum, solent argumentari pro negatiua parte quidam sic. Non in forma infima, quia de cetero illam Deus

non

non habebit, non in gloriosa, quia à malis videri non posset, cum oculus non glorificatus proportionem non habeat cum claritate corporis gloriosi: ergo, &c. Preterea, iudex potestatem inuincibilem debet habere: at talis potestas inuincibilis in Christo non est secundum humanitatem, sed secundum diuinitatem, nõ igitur secundum quod homo iudicabit. In oppositum se habet Io. v. Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est: ergo in forma humana iudicabit. Pro determinatione huius quęsiti primo supponendum est, quod Christus sit iudicaturus secundum formam humanam, vt ab omnibus videri possit. Insuper quod in forma humana gloriosa, iuxta illud Angelorum dictum Apostolis. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cęlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cęlum: at cum humanitate gloriosa Christus ascendit in cęlum: ergo in tali veniet ad iudicandum. Pręterea est sciendum, quòd iudicare alicui potest multipliciter competere, primò per modum primariæ authoritatis, & sic soli trinitati. Secundò per modum delegationis, & sic Christo secũdum humanam naturam. Tertiò per modum assessoriæ dignitatis, quo modo iudicabunt Sancti perfecti, & eorũ immitatores. Quartò per modum approbationis, sic omnes Sancti iudicabunt. Quintò per modum comparationis, & sic minus mali iudicabunt magis malos, inquantum eorũ comparatione condemnabiliores apparebunt, iuxtà illud Matthęi xii. viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, &c. His ita positis, argumenta modo soluentur de facili. primum enim supponit vnum falsum, quod nec in humana, nec in gloriosa iudicaturus sit Christus forma, & nos

dicimus,

dicimus, quod in gloriosa, & ad probationem dicitur, quod omnis oculus potest videre omnem claritatem eiusdem generis cum naturali claritate, nisi sit defectus ex parte complexionis organi. Licet ergo in eam oculus non glorificatus intendere nequeat fixè, poterit tamen videre, sic diuina assistente virtute, claritatemque in visu moderante. Ad secundum argumentum dicitur, quod procedit de primariam iudicandi potestatem habente, quam Christus non dicitur habere secundum quod homo: at solum, vt Deus. Explanata quæstione prima, altera subsequitur, vbi ratiocinio duplici comprobatur, à malis sine gaudio diuinitatem posse videri. Primum sic erigatur, vti humanitatis visio eis magis ad supplicium cedet, quàm ad gaudium, multo magis ergo diuinitatis visio eis ad tristitiam cedet, quàm ad gaudium. Insuper, vt maxima delectatio tristitiam excludit, ita vehemens, immò maxima tristitia contingentem delectationem excludit, sed damnatorum tristitia maxima futura, ergo delectationem excludet de visione diuina, si Deum viderent. In oppositum arguitur sic. Si mali Deum videre possent, essent beati: at non: ergo, &c. Pro intelligentia huius secundæ quæstionis est sciendum, quòd de potentia absoluta, posset Deus facere, quòd intellectus creatus ipsum nudè videret, & apertè, & tamen non delectaretur, nec gauderet, nec id mirum, quia hic forent duo actus subordinati in ratione prioris, & posterioris, & de ratione prioris actus, est posse esse sine posteriori: ergo. Si verò quęratur de natura rei, tunc dicendum est, quod sit impossibile, gaudium non sequi ad visionem diuinæ essentiæ nudam, & apertam. His ita pręmissis, ad rationes modo respondendum, quarum prima ruit propter dissi-

militudi-

militudinem inter humanitatis, ac diuinitatis visionem, quia illa humanitatis non est summa hominis perfectio, sicuti altera. Ad secundam dicitur, quòd inter delectationes, & tristitias, illa, quæ maior est, aliam expellit, vel saltem minuit, delectatio autem, quæ diuinam sequitur visionem, maior est quacunque damnatorum tristitia, propter quod si Deum viderent, tristitia delectationem minimè excluderet, sed delectatio maior tristitiam absorberet. Enucleatis hucusq; duabus quęstionibus, vltima accedit de cęli motus. An cessabit, mihi prima fronte, quod non, videtur. Nam motus mobilis perfectionem dicit, non igitur ad aliorum glorificationem tolletur. Pręterea, finaliter non cessabunt omnia luminaria cęli, quia ad diuisionem diei, noctisque sunt facta, sed talis finis esse non potest, nisi per motum: ergo, &c. Ex alio latere Apoc. x. dicitur, quod Angelus iurauit per viuentē in sęcula sęculorum, q̄d tempus non erit amplius, ergo quandoq; cęli motus cessabit, alioquin neque cessaret tempus. Pro decisione, ac dilucidatione huius difficultatis tertiæ est sciendum, quod post resurrectionem cęli motus cessabit, dicant Aristotelici, quicquid velint, quorum disputatio de ęternitate motus, vt patet doctis, de Lana Caprina est. His suppositis, ad argumenta respondendum, & primò ad primum, quòd mobilis motus, tàm ex parte sui, quàm mobilis non sonat perfectionem, sed magis imperfectionem, quoniam actus absolutus non est, sed modus se habendi. Ad secundum concedi potest, quod cęlestia corpora quantum ad substantiam suam, non habeant cessare, & quo ad suā entitatem: at quantum ad motum sic, & ideo licet diuidant diem, & noctem mediante motu, nihilominus cessante alternatione dierum,

rum,

rum, & noctium cessabit etiam motus, & hęc pro pręsenti satis.

DE DIFFERENTIA MANSIONVM IN CAELO, ETC.

Distinctio 49.

Lectio CLXXXIII.

Domine Dominus noster libenter, si mihi faueres, postquã loquutus sum superiùs de pertinentibus ad iudicium generale, consequenter de finali bonorum remuneratione verba nunc facerem, & hęc pro coherentia pręsentis distinctionis cum superioribus vna cũ intentione pauca sufficiant. Diuidi modò habet hęc distinctio in secta sex. In conclusionem primo. In insinuationem secũdo. In propositionem tertio. In duo quęsita quarto. In conclusionem quinto. Tandem in quęsitum sexto. Quantum ad primum, sit hęc conclusio. Vt ciuitas bonorum post iudicium consummanda est in gloria, ita malorum in miseria. Pro insinuatione huius loco secundo dicit Magister Sent. post iudicium ciuitatem bonorum consummandam esse in gratia, malorum verò ciuitatem in pęna. Quę tamen pęna, & gloria diuersimodè à diuersis participatur. Vnde dici solet: In domo patris mei mansiones multę sunt. At dicetis, quid est mansio? Respondetur, quòd nil aliud est, quàm habitatio. Solet etiam accipi pro diuersitate pręmiorum iuxtà illud Ioan. In domo patris mei mansiones multę sunt, idest diuersitas pręmiorum, & diuersa pręmia meritorum. Vnde secundum Ricardum in beatitudine considerare est beatitudinis obiectũ, scilicet

bonum increatum, quod vnum, & idem existens ab omnibus participatur, & ipsam beatorum dispositionem, per quam id bonum clarè videndo, & perfectè diligendo ipsum participant. Ex parte obiecti participati vnus alio nō est beatior, quia idem est obiectum, quod omnes participant, sed ex parte dispositionis beatorum vnus certè alio beatior est, inquantum vnus videt alio clarius Deum, & diligit perfectius. Sunt ergo inęqualiter beati propter inęqualem ex parte beatorum dispositionem. Quare dicitur, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Mansio autem Dei in homine, & hominis in Deo dicitur viuificatio, & vitæ ęternæ habitio, saltē in radice, vt hic viuet in ęternum, quia suam gratiam habet. Dicit autem Apostolus, qđ gratia Dei est vita ęterna. De hac mansione multa scribit Gerson tactatu ix. Super Magnifi. a. Et exponens illud, In domo patris mei, &c. multæ sunt, inquit, mansiones, & tamen vnica est. Multæ quidem propter multitudinem singularium gratiarum formalium in perfectione differentium, sicut Stella differt à Stella secūdum Apostolum. Est autem vnica gratia gratificans obiectaliter clarius, & obscurius, non in actu suo intrinseco (qui certè vnicus est, & immensus, & idem) sed in effectu extrinseco. Sic saluatur illud de prosa, quod vna est vox lętantium, & vnus ardor cordium. & hęc de punctis duobus. In tertio ponitur hęc propositio. Omnem hominem beatitudinem naturaliter appetere cōstat. Pro cuius manifestatione, duo quarto loco quęrit Magister. Et primo, quomodo intelligendum sit, quòd omnes appetunt beatitudinem, cum non omnes cognoscant beatitudinem; mirum certè hoc esse videtur. Ad hoc dici potest, quòd omnes quidē sciunt, quæ

sit

ſit beatitudinis ratio, licet, vbi talis ratio inueniatur, neſciant. Hinc infertur, q̄d minimè ſit vera beatitudinis ratio illa, habere ſcilicet quod delectat, ſed quod vult homo, & nihil mali velle. Beatus ergo non eſt, niſi qui & habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Ille quippe beatè viuit, qui viuit, vt vult, nec mali aliquid vult. Quęritur ſecundò. An inter bonos, vnus in Deo alio plura recognoſcat? ad quod de facili reſponderi poteſt, quòd non, ſaltem de pertinentibus ad beatitudinem; in modo cognoſcendi tamen differentia eſt. Nam alius alio magis, & minus fulgebit. His quinto addenda venit talis concluſio loco. In cęlorum regno electorum non eſt omnino æqualis beatitudo. Ad quam intelligendam vltimo loco quęrit Magiſter Sent. An differenter Deum videntium ſit æquale gaudium. Quidam huic difficultati ſatisfacere volentes dicebant, quod ſic; non tamen affirmabant, quod beatitudo futura ſit æqualis, quæ non ſolum in gaudio, verum etiam in cognitione conſiſtit. Secundum alios verò æquale gaudium eſſe dicetur, quo ad omnia, de quibus gaudendum eſt, nō tamen quo ad gaudendi modum, neque quo ad intenſionem affectionum. Extenſiuè ergo æquale gaudium: at intenſiuè non, quia vnus maiori affectu altero gaudebit, licet æqualiter omnes ſub illo ſenſu iam tacto. Quia ergo poſt iudicium maius erit gaudium, & perfectior cognitio: propterea ſanctorum beatitudo, ſine dubio maior erit, q̄ ante.

Ad quam nos ducat Deus benedictus in ſęculorum ſęcula. Amen.

AN IN BONIS CORPORIS BEATITVDO CONSISTAT.

Lectio CLXXXIIII.

Lento gradu ut incedamus circa distinctionem prędeclaratam, quęsita duo excitabimus, quorum primum. An in bonis corporis beatitudo consistat. Insuper. An aliquis creatus intellectus Deum clarè, & manifestè intellectuali visione possit videre. Quantum ad primum, pro parte affirmatiua sic arguitur. Bonum quanto cōmunius est, eo melius: at corporalia bona sic se habent, spiritualibus enim bonis communiora sunt, quia ad plantas, & ad animalia bruta se extendunt: ergo. Deinde: beatitudo hominis bonum est: at homo constat ex anima, & corpore, igitur communis esse debet beatitudo animæ, & corpori: quare beatitudo in bonis corporis videtur reperiri: nā nullum spirituale bonum vtrique commune apparet esse. Ex alio latere cum beatitudo sit hominis proprium bonum, in quo cum brutis communicat minimè, iccirco in eis beatitudo non dicetur consistere. Pro dilucidatione huius difficultatis primæ, ponenda erit quędam beatitudinis distinctio: deinde ad quęstionem respondebitur. Quo ad primum est sciendum, quòd beatitudo bonum importat, quod dupliciter accipi solet, vno modo extrinsecus, alio modo intrinsecus. Primo modo per modum agentis, vel obiecti, qua via ignis bonus dicitur frigescenti per modum agentis, vel efficientis, quia causat in eo calorem, qui ipsi bonus est formaliter. Alio modo dicitur aliquid bonum formaliter, & intrinsecus, vt sanitas, quæ bonum dicitur hominis,

quo

quo ad corpus, & scientia, & virtutes, & earum actus, siue operationes, quæ sunt bonum, quo ad animam. Similiter beatitudo capitur dupliciter, vno modo illud, quo beatificat hominem solum extrinsecus per modum agentis, & obiecti, alio modo illud, quod formaliter ipsum beatificat, & intrinsecus, tanquàm perfectio ipsi inhęrens, & cũ sic beatitudo dicatur dupliciter, magis tamen propriè illud, quod formaliter intrinsecè beatificat, hominis beatitudo dicetur, quàm illud extrinsecè, cuius ratio est, quia magis formaliter beati dicimur, quàm per extrinsecum. Relicta ergo pro nunc beatitudine obiectiua, quęsitum intelligetur de beatitudine formali. His ita positis, de facili rationibus poterit respõderi. Dicamus itaq; ad primam, quòd bonum communius sit melius, quàm minus commune, si sint eiusdem rationis: at si diuersarum rationum, nil prohibet, quòd illud, quod paucioribus est proprium, sit melius, quàm illud, quod est commune pluribus, vt euenit in spiritualibus perfectionibus. Ad secundam dicitur, quod beatitudo, licet sit hominis perfectio secundum totum, quod in ipso est, immediatè tamen secũdum illud, quod nobilius, & perfectius est, consistere dicitur talis beatitudo, & non in totius coniuncti perfectione immediatè. Enodata quęstione prima, altera accedit cõsideratione digna, solet enim quęri. An aliquis creatus intellectus clarè Deum, & manifestè visione intellectuali videre possit. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quòd nõ: Nam intellectus creatus ex naturalibus, nisi sensibilia cognoscere potest. Virtute igitur propria Deum clarè nequaquam poterit videre. Insuper. Nulla virtute fieri potest, quòd substantias separatas noster sensus cognoscat: ergo nec intellectus

creatus

creatus diuinam essentiam videre poterit clarè, quia à quocunque intellectu creato diuina essentia maximè distat. Insuper infinitum secundum qđ infinitum, est nobis ignotum, vt testatur Philosophus tertio physicorum: at Deus secũdum omnem modum est infinitus, igitur nobis secundum omnem modum ignotus. Deniq́ue super illud Io. iii. Deum nemo vidit vnquam, dicit Chrisostomus, quòd nec cęlestes essentiæ Deũ, vt est, unquam videre potuerunt, ergo multo minus in Dei uisionem poterit quicunque alius intellectus creatus. In contrarium se habet illud Matthęi xviii. de beatis Angelis, qui semper vident faciem patris, qui in cęlis est. Et Apost. de nobis loquens Cor. xii. dicit, nunc per speculum in enigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ, est primo distinguendũ de cognitione confusa, quæ duobus modis confusa dicitur, vno modo, quando non peruenitur ad cognitionem rei quidditatiuam, vel specificam. Alio modo confusa uocatur illa quidditatiua, & specifica cognitio per comparationem ad intuitiuã cognitionem. Insuper est sciendum, triplicem dicendi dari modum, quo Deus clarè, & manifestè uidetur, cognosci posse, non solum cognitione quidditatiua, uerum etiam intuitiua. Vnus est eorum, qui dicunt, quòd Deus tunc cognoscetur non per medium cognitum, sed per duplex medium, scilicet per speciem, diuinam essentiam repręsentantẽ, quæ est medium quo: & per lumen gloriæ, quod eleuat intellectum. Secundus modus eorum est, qui dicunt, quòd diuina essentia clarè videtur, & nudè à beatis scilicet immediatè per se ipsam, licet lumen gloriæ requiratur tanquam medium eleuans intellectum, & confortans ipsum propter imperfectionem

intellectus

intellectus nostri, & eius distantiam ab essentia diuina. Tertius modus est aliquorũ dicentium, quod ad videndum diuinam essentiam clarè, & nudè à beatis non requiritur species repræsentans, nec aliquod lumen eleuans: at solum mutatio naturalis ordinis cognoscendi. Dimissis his omnibus vna cum improbationibus, ad argumenta formata respondendum, & primò ad primum, per non esse simile, de sensu, & intellectu: nam vna potentia inferior est, altera superior: quare per virtutem superadditam in illud poterit intellectiua, in quod non sensitiua. Ad secundum dicitur, quòd essentia diuina non distat tantum ab intellectu creato, quantum ad proportionem cognoscentis, & cognoscibilis, quantum distat separata substantia à sensu, quia essentia diuina cadit sub ratione formali obiecti intellectus: at separata substantia minimè cadit sub ratione formali obiecti sensus, quæ dicitur qualitas sensibilis, quæ non potest esse, nisi in corpore. Ad tertium de infinito dicitur, quòd duplex infinitum datur, vnum priuatiuè secundum appositionem, & diuisionẽ, de quo currit argumentum, quia hoc modo ignotum, cum semper restet aliquid accipiendum, & eo modo cognoscendum. Alterum negatiuè infinitum, cuiusmodi Deus, cui nihil deest, cum sit summè perfectus: tale secundum se maximè cognoscibile est, & si non sit maximè cognitum ex defectu potentiæ, vel modi cognoscendi. Ad vltimum potest dici, quòd illa Io. authoritas tribus intelligenda sit modis: primo, vt excludatur visio corporalis, quia oculo corporali Deũ nemo vidit vnquam, nec visurus est. Secundo, vt excludatur visio intellectualis naturalis à nobis, dum viuimus in isto mortali corpore, quia nullus vnquam ex naturalibus attin-

gere potuit ad claram, & manifestam Dei visionem per essentiam. Tertio modo vt visio excludatur comprehensionis ab omni creato intellectu. Et ita exponit Chrisostomus. Per hoc tamen non excluditur, quin beati tàm homines, quàm Angeli Deum clarè videant, quamuis nõ cõprehensiuè. & hęc pro pręsenti meo sermone.

AN BEATI DIVINAM VIDENTES ESSENTIAM OMNIA ALIA VIDEANT IN IPSA. Lectio CLXXXV.

DVO alia quęsita sese nobis offerunt examinanda ꝓ vberiori doctrina eorum, quæ tacta fuerunt in prędeclarata distinctione. Quorum primum. An beati diuinam videntes essentiam alia omnia videant in ipsa. Insuper. An omnes homines summè de necessitatę beatitudinem appetant. Quantum attinet ad primum: affirmatiuè sic primò arguitur. Deus suam videndo essentiam, omnia alia videt in ipsa: ergo, & beati videntes diuinam essentiam omnia alia in ipsa vident. Consequentia patet, quia in vtraque visione differentia non est ex parte essentiæ in se. Pręterea: Isidorus de summo bono dicit: quòd Angeli in verbo Dei omnia sciunt, antequam fiant, & Gregorius. iiii. dialo. ait: quod in claritate illi, qui Deum conspiciunt, quid est, quod illi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? tàm Angeli ergo beati, quàm homines diuinam essentiam videntes, omnia alia in ipsa quòd videant, dicendum. Ex alio latere: si Angeli superiores purgant inferiores, igitur Angeli diuinam videntes essentiam possunt aliqua

nescire:

nescire: quare, &c. Pro dilucidatione quęsiti huius in ordine primi est animaduertendum, quòd hic non quęritur. An intellectus beatus diuinam videns essentiam, alia videat à diuina essentia quacunque visione, quia visio beata non excludet à beatis visionem naturalem, quam de rebus habent, nec cognitionem reuelationis. Neque quęstio intelligenda venit, vtrū intellectus diuinam videns essentiam miraculosè impediri possit, quòd non videat aliquid in ea pręter ipsam. Intelligatur itaque sic. An intellectus beatus diuinam videns essentiam eadem visione, & ex natura eiusdem visionis videat omnia alia in ipsa. His ita pręmissis, ad rationes modo superius formatas respondendum venit, & ad primā primò sic. Quod inter visionem, quam habet Deus de sua essentia, & de rebus creatis, & quam habet intellectus beatus de eisdem, hoc interest, quia Deus scit suam essentiam, non solum, vt potens est res alias producere, sed etiam, vt est actu volens eas producere: propter quòd cognoscit actu omnes res, quid sint, & an sint. Intellectus verò creatus, quia minimè cognoscit diuinam essentiam, vt est actu producere uolens, at solum vt est virtus potens producere, propterea non cognoscit de eis, an sint, uel non, sed quid sint, nisi inquantum unicuique bono de existentia rerum reuelatur, prout ad ipsum pertinet. Per illudmet responsio patere potest ad secundam, quia Isidori, & Gregorij authoritates intelligendæ sunt de rerum cognitione, quo ad essentias earum, nō autem quantum ad actualem existentiam, nisi per reuelationem eorum, quæ ad unumquemque pertinent statum. Explicato iam primo quęsito, nunc uidendum. An omnes de necessitate beatitudinem appetant. Mihi uidetur pro ne-

gatiua parte esse dicendum, quòd non. Nullus etenim illud, qđ sibi reputat impossibile, appetit: at reprobi hoc sciunt: non ergo, &c. Preterea: nullus appetit, quod ignorat, quoniam cognitionem sequitur appetitus: at multi ignorant, quid sit beatitudo, & in quo consistat: vnde circa hoc plures errauerunt, vt in primo dicitur Ethicorum, non igitur beatitudinem omnes appetunt. In oppositum se habet illud Aug. xiii. de Trinitate, quod omnes beatitudinem appetunt. Idem dicit Anselmus de casu Diaboli: ergo. Pro decisione huius difficultatis secundæ est sciendum: duplicem dari appetitum, naturalem scilicet, & elicitiuum. Quid autem sit appetitus naturalis omnes norunt. Nam est inclinatio, siue propensio quędam: at non actus elicitus. Alter verò dicitur actus elicitus sequens cognitionem. Quo supposito duæ modò ponuntur conclusiones: quarum prima est. Quòd omnes homines de necessitate, & summè appetunt appetitu naturali beatitudinem, & hoc vt perficiantur. Altera conclusio. Omnes homines beatitudinem appetitu elicito non appetunt, quia non omnes eliciunt actum beatitudinis, quo ad cognitionem. His ita positis, nunc ad argumenta dicendum, & primò ad illud de damnatis, quòd naturali appetitu conditionato beatitudinem appetunt; nec id mirum, quia natura in eis integra remanet. Nec est, quòd inotetis dicentes, appetitum naturalem non posse esse frustra: verum enim hoc est in tota specie: nihil tamen prohibet, qđ in aliquibus indiuiduis speciei frustretur naturalis appetitus. Hoc ergo modo damnati appetunt, sed non appetitu illo, qui actus dicitur elicitus. Ad secundam rationem respondetur, quod multi ignorant, quid sit beatitudo in speciali. Et ideo vt sic à multis non appetitur,

petitur: at sub ratione generali omnes illam appetere dicuntur. & hęc de pollicitis.

AN NOSTRA BEATITVDO CONSISTAT IN VISIONE DIVINAE ESSENTIAE. Lectio CLXXXVI.

Maxima extat controuersia inter Theologos de beatitudine nostra loquentes. An scilicet in visione diuinæ essentiæ consistat nec ne. Mihi sanè videtur, quod sic: nam saluatur ait. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. quare in visione diuinæ essentiæ. Insuper. Aug. ait: quod visio est tota merces: ergo. Pręterea intellectus potentia prior est: ergo. In oppositum se habet Aug. xiii. de Trin. dicens: quòd beatus est ille, qui habet, quicquid vult, &c. beatitudo ergo in actu voluntatis. Rursus primo de Trin. ait. Summa merces est, vt ipso perfruamur: at frui est actus voluntatis: ergo. Deinde obiectum principalius sub ratione beatifica voluntas respicit, in actu ergo voluntatis beatitudo. Insuper perfectiori modo per voluntatis actum unimur, & intimius Deo: ergo. Deinceps uoluntas perficitur nobiliori habitu, quàm intellectus: ergo. beatitudo in actu uoluntatis. Pro decisione huius difficultatis arduæ debet is scire: Varronem pręcisè beatitudinem in actu uoluntatis possuisse. Egidius verò de Roma dicebat beatitudinem esse genus, cuius species sunt actus intellectus, & actus voluntatis. Subtilissimus Doctor: quòd beatitudo naturæ intellectualis totalis totalitate extensiua consistat tàm in actu in-

tellectus, quàm in actu voluntatis: principaliter tamen in actu voluntatis. His ita positis, difficile non erit respondere obiectis. Dicamus ergo ad primum, quòd actus intellectus sit vita, & vita æterna, si sit actus æternus. Si autem addatis, quòd sit vita æterna beata, hoc non est in Euangelio, sed appositum. Ad secundum dicitur, quod uisio est tota merces, idest summa potentiæ intellectiuæ: at non summa totius hominis, & sic multæ authoritates similes exponendæ. Ad vltimum conceditur, quòd via originis intellectus sit potentia prior uoluntate: at via perfectionis negatur. Ad rationes vero in contrarium adductas nil dicam, quia cum subtilissimo Doctore hilari vultu fateor, beatitudinem simpliciter in voluntate ponendam. & hęc de pollicitis.

SI MALI IN INFERNO PECCABVNT.
Distinctio 50.
Lectio CLXXXVII.

VLtimam distinctionem huius libri quarti aggressurus, de continuatione primò verba faciam: insuper de diuisione. Quantũ attinet ad primum: ex quo Magister Sent. de beatorum gloria determinauit, consequens modo est, malorum pęnam declarare. Habita continuatione pręsentis cum superioribus distinctionibus, superest diuisionẽ eiusdem considerare. Diuidatur itaque distinctio hęc in secta octo. In quorum primo extat conclusio. Quęsita duo in secundo. Conclusio in tertio. Quęsitum in quarto. Propositio in quinto. Tria quęsita in sexto. Epilogus in septimo.

ſeptimo. Deniq; Eſaiæ, vt operi finis imponatur à Magiſtro Sent. explanatur viſio. Quantum attinet ad primum, ſit hęc concluſio. Damnatorum mala uoluntas prout exiſtit extra merendi ſtatum, pęna eſt, non culpa, neque peccatum. Pro cuius inſinuatione duo quęrit Doctor ſecundo. Et primò, an uerum ſit, quod Aug. dicit, quòd in malis, & damnatis non eſt peccandi facultas, cum tamen continuè habeant malam uoluntatem? quidam ad hoc reſpondentes aiunt, quòd illa mala uoluntas non eſt peccatum, ſed pęna peccati, ſecundum verò alios culpa dicitur, licet per eam non demereantur, cum minimè ſint in ſtatu demerendi. Magiſter Sent. primam approbare uidetur opinionem, vt puta, quòd talis uoluntas ſit pęna, nec id mirum, quia ſicut bonis cedit ad gloriam, quod malam nequeunt habere uoluntatem, ita malis in pęnam, quod non poſſunt bonam habere uoluntatem. Quęritur ſecundò, cur mali in tenebris dicuntur eſſe exterioribus? ad quod dicitur, propter hoc, quia penitus erunt à viſione excluſi, cum ꝓpter malitiam uoluntatis, tum etiam propter obliuionem, quàm tormentorum grauitas in eis cauſabit, licet ante iudicium nõ tàm profundas patientur pęnas, ſicut poſt iudicium. His tertio ponitur loco talis concluſio. Damnati, qui in inferno tormenta patiuntur, ea, quæ in mundo aguntur, non recognoſcunt. Pro cuius dilucidatione quęritur loco quarto. An damnati, quæ in hoc mundo aguntur, cognoſcant. Ad hoc negatiuè reſponderi poteſt, habere tamen dicuntur aliquam de ſuis notis curam, cũ eos non vident ſecũ in tormentis, nec in gloria cum beatis. Poſt hęc quinto uenit hęc ponenda ꝓpoſitio loco. Ante extremum iudicium beati in cęlo ſine cõpaſſione damnatos vident, & eorum

tormenta

tormenta in inferno. Ad quam insinuandam tria quęsita sexto loco tanguntur. Primum est; an qui sunt in inferno, & qui in gloria se vicissim, & mutuo uideant? ad hoc dici potest, quod ante iudicium boni malos, & mali bonos uideant: post iudicium verò boni tantum malos uidebunt, & non è conuerso. Vnde Greg. infideles in immo positi, ante diem iudicij fideles super se in requie attenduntur, quorum gaudium post contemplari non possunt. Quęritur secundò. Quo modo damnatos sine compassione possint videre? Respondetur, quòd ideo est, quia eorum uoluntas perfecta, & diuinæ uoluntati conformis, & iustitiæ. Denique dubitatur tertiò. Ex hoc quòd Sancti damnatorum pęnas vident, an eorum gloria minuatur, vel gaudium augeatur. Ad hoc dicitur, quòd ex hoc eorum gloria, & gaudium augebitur, vt multorum authoritatibus comprobatur, quæ in textu patent apud Magistrum. Septimo epilogat loco Doctor, & Esaiæ vltimo explicat uisionem. Qui dicit: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatũ, & plena erat omnis terra, idest Domus maiestate eius, & ea, quæ sub ipso erant, replebant tẽplum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus uelabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterũ, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est o͞is terra gloria eius. Quæ quidẽ visio à Dionysio sic exponitur. Per sedentem in solio dicit designari ipsum Deum. Per ipsum solium excelsum, ipsam eminentiam diuinæ naturæ. Per Domum superiorem, significantur excelsiores naturæ Deo propinquæ, quæ eius maiestatem plenius repręsentant. Per templum verò

inferiores creaturæ, scilicet corporales, q modò inferiori diuinam dicuntur participare bonitatem. Huius autem sedentis super thronum facies, ipsam diuinam essentiam significat, & ea, quæ in eius æternitate fuerunt ante mundi constitutionem. Per pedes verò significantur ea, quæ post finem mundi erunt in gloria beatorum, & in pęnis damnatorum, per media verò, ea, quæ cursu medij temporis aguntur. Seraphim autem faciem sedentis supra thronum, & pedes eius velare dicuntur, quia mysterium æternæ diuinitatis, & futuræ beatitudinis, & miseriæ ad plenum non reuelant, sed duabus alis velabunt, quia de his, quæ medio tempore aguntur, nos quantum opus est, minyšterio Angelorum instruimur, inter quos Seraphim primatum tenet; eorumq; volatus per processum reuelationis eorum in nos demonstrant. Sic igitur breuibus Magister, & salubriter epilogat, & specialiter, quantum ad vltimam partem huius quarti libri dicens, sibi sufficere commemorasse prędicta de pedibus sedentis, id est manentis in maiestate Trin. super solium excelsum, idest de his, quæ fiunt in tempore iudicij, quos pedes Seraphim duabus alis velabant, & eorũ minysterio non sunt ad plenum reuelata. Epilogat secundo generaliter Magister, quantũ ad totius libri processum dicens, quia ipse exorsus est incipiens à facie sedentis sup solium excelsum, idest ab ipsa deitate Trin. de qua in primo libro egit, processit deinde p media, quæ de duratione mundi aguntur, quæ sunt creaturæ, de quibus egit in secundo. Reparatio, & virtutes, de qbus in tertio, & Ecclesiastica sacramẽta, de quibus in prima parte huius libri duce Christo, qui est vita perueniendi vsq; ad pedes, idest vsquę ad ea, quæ in fine mundi, & etiam post

mundum

mundum aguntur, ſicut reſurrectio corporum, punitio damnatorum, & gloria bonorum, quæ in delectatione, & Dei cognitione conſiſtit, vt ſic à Deo incipiens eius doctrina terminetur in Deo, qui eſt cauſa à qua omnia, & finis, ad quē omnia ordinantur. Cui honor, & gloria, decus, & imperium in ſęculorum ſęcula. Amen. in ſequenti dicta Magiſtri examinabimus, & finem huic operi imponemus. hęc intantum.

DE IGNE SECVNDVM THEOLOGOS, ET ETIAM PHILOSOPHOS.

Lectio CLXXXVIII.

ANtequam accedam ad examen prędeclaratæ diſtinctionis, operę pretium eſſe duxi, in primis verba facere de natura ignis ſecundū Theologos, & etiam Philoſophos. videlicet Aug. ſuper Geneſim, Bedamq; & Auicenam, & alios. Ignis ergo, vt rem paulatim aggrediar, elementum omnium elementorum ſupremum dicitur. Vnde, & ignis ille purus vocatur quandoq; cęlum, eò quòd immediatè ſit ſub cęlo, ideſt ſub ſphęra globi lunaris: quandoque autem uocatur, ętheris nomine (eò quia ſit ſupra aerem) ſuprema pars purior, ac tranquillior aeris totum aerem excedens. Nam quia medium ſapit naturam extremorum ex quinto phyſicorum, ideo ab vtroque denominatur in medio exiſtens. Vnde, & 2. Pet. 3. ſcribitur, Cęli magno impetu tranſient. gloſa. cęli, ideſt ſuperior pars aeris, ſequitur. Elemēta calore ſoluentur, ſcilicet per ignem conflagrationis, quia mutabuntur à ſtatu in

quo

quo nunc sunt, vbi ignem vocat cęlum, vel aeris superiorē partem. Et sic etiam canit Ecclesia de vtrisque: Quē terra, pontus, ęthera col. ador. pręd. Et secundum Damascenum lib. ii. Cap. xii. & etiam Auicenam ignis dicitur corpus simplex, cuius naturalis locus existit super omnes elementarias partes, quæ est cōcaua superficies cęli, eius natura calida est, & sicca. Ille ignis secundū Aristotolem est purissimus, adeo quòd stupam ibi nō consumeret, si apponeretur, nec etiam in sua sphęra lucet, quia sic cęlestia corpora tegeret, nec visibilis est, quia saltem nocte ardoris eius lux videretur, sed tantum videtur, dum est in aliena materia, scilicet circa nos, nec miscetur alienæ materiæ, prout est in sua puritate naturæ. Cum autem vre ido consumit, hoc inquit, non inest ei secūdum ignis essentiam, sed per accidens, vt dicit idem Aristot. lib. tertio de cęlo, & mundo, & sine materia extra suam sphęram esse non potest, & quanto in materia grossiori fuerit, eo fortius vrit. Vnde in ferro fortius vrit, quàm in carbone, & in carbone fortius, quàm in stipula, vel stupa. Nam ignis in materia terrea carbo est, in materia aęrea flamma est, in materia verò propria, idest pura, quasi lux in se clara est, non habens respectum ad aliud, vnde naturam trahat. & talis ignis in ꝓpria regione est, vel sua sphęra, vbi clarus est in se calor, licet lucem non habeat, vt Aristot. vult de natura rerum, & secūdum varios effectus, quos facit ignis, variè sumitur in scriptura. Nam destruit, consumit, emollit, restringit, consolidat, accendit, lętificat, clarificat. Quandoq; etiam in scriptura charitatem significat, modò prauam concupiscentiam carnalem, vel mundialem, modò tribulationes, modò virtutes, modò vitia, modò Deū, modò

infernum, secundum Hugo. Victorium. Et quamuis multiplex sit ignis, Bonauentura tamen in triplici differētia ponit. Est enim ignis purus, ut est in propria materia. & est ignis incorporatus, ut est in materia aliena, ut in terra, vel aere. & est ignis carbo, ignis flamma, ignis in vsu humano. & est etiam ignis non tantum incorporatus, sed permixtus, ut ignis sulphureus, & fumosus, & talis tenebrosus est, & talis est in inferno. Est & ignis conflagrationis, qui in iudicio apparebit per mundū. Alius datur ignis fulguris expressi de nubibus. Alius, qui de terra p vertices montium eructat. Alius est ignis violentus, sicut de silice, vel de lignis excussus, per violentiam, sed non ex omnibus lignis secūdum Senecam, sed ex lauro, & hędera, & moro, & alijs in hunc vsum pastoribus notis, & ita multiplex diuersitas ignis apparet. In sequenti erit sermo de igne inferni Deo duce, atque fauente.

DE IGNE INFERNI.
Lectio CLXXXVIIII.

LOquuturus hodierna die de igne inferni Nbilissimi Audit. via ressolutiua ut procedam, sic dicā, quòd iste ignis vrit, & non comburit, vel consumit, quia pabulum nō requirit, ut D. Bonauentura inquit. Infert passionem, & non mortem. Insuper ut Thomas dicit Argentinen. In spiritum damnatum agit, sicut diuinę uoluntatis instrumentum. Vnde Scotus ait: Ignis est instrumentum Dei cruciando. Affliguntur autem Dęmones ab isto igne, ut Paluden. scribit. Animę verò damnatorum per veram tri-

stitiam,

ſtitiam, quã de hoc concipiunt, quòd ſciunt, ſe reſumptis corporibus in illo igne æternaliter cruciandos. Ordinatur nanque iſte ignis in inferno corporeus ad reprobos cruciandũ. Et quamuis Deus poſſet, ſi uellet, eos punire pęna ſpirituali tantum, tamen congruè uoluit eos punire pęna ſpirituali, & corporali, vt ſicut dicit Iſidorus lib. primo de ſummo bono. Qui mente tractauerunt, ꝙ corpore perfece runt, ſimul & anima puniantur, & corpore. Et ille ignis gehennæ, quãtum ad illud, quod in eo de eſſentia ignis eſt, eiuſdem ſpeciei eſt cum igne elementari. Materia tamen, quo ad diſpoſitionem diuerſa videtur, ratione cuius diuerſa actio competit, quæ igni elementari non conuenit. Eſtq; ignis ille perpetuus per potentiam ſupernaturalem, hoc exigente ordine diuinæ iuſtitiæ. Nec damnatorum corpora conſumentur per illum ignem, ratione paulò ante dicta. Nec obſtat, quòd huiuſmodi ignis corporeus ſit, quia ſpiritus ſeparatos dum affligit, hoc fieri dicitur, inquantum diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum eſt. Et cum reproborum punitio ſit iuſta, propterea iuſtitiam dicitur imitari æternam, & exemplar ſuum in mente diuina habere. Et non tantum damnati affliguntur ab igne, ſed etiam ab alijs elementis, immo etiam à corporum cęleſtium influentia, iuſtum enim eſt, vt quia creatori rebelles fuerunt, quòd omnis creatura eis in vltione contrarietur, iuxta illud Sapien. quinto. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, &c. Et quia ignis eſt maximè actiuus, quàm aqua, ideo ſub nomine ignis Dominus comprehendit omnem pęnam, quam à rebus patientur corporeis. Vnde dicitur apud Matthęum. Ite maledicti, &c. Ignis ille infernalis dicitur quidem corporalis conſiderando ſecundum ſe, & in ſua pro

pria substantia: at quantum ad passionem, quam infligit his, qui ex ordine diuinæ iustitiæ actioni suæ subijciũtur, spiritualis sic dicitur, ut Thomas Argentinus scribit. quia, ut communiter dicitur, huiusmodi passionem actione reali non infert, sed intensione naturali. & iste ignis infernalis materiam stabilem habet, ita quod nouo cibo non indigeat, seu fomento, sicut ignis, qui est apud nos. Testatur, & ignem infernalem esse corporeum Augustinus, cum ait: Gehenna ista, quæ stagnum ignis, & sulphuris dicta est, corporeus est ignis. & Greg. in libr. Dialogorum ait: Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo. Istæ tamen flammæ non lucent, quia totaliter fumo sulphureo sunt obtenebratæ, & denigratæ, propter quod secũdum Isidorum in libro Etymol. Infernus dicitur, quasi intus furnus, idest niger. & talis ignis in medio terræ ex diuina ordinatione, seu secundum ordinem diuinæ iustitiæ tenetur. & quamuis igni naturaliter cõueniat ferri sursum, attamen sine aliqua violentia per superiorem causam in terra perpetuò potest detineri. à quo liberet nos Deus gratia sua, & bonis operibus mediantibus. Amen.

DE IGNE PVRGATORII, ET CONFLAGRATIONIS.
Lectio CLXXXX.

DE duplici igne loquuturi in præsenti sermone nostro, ut puta purgatorij, & conflagrationis, quid utriusq; perpendemus. Nam ignis purgatorius dicitur ille, per quem animæ purgantur in charitate decessæ, habentes aliquid expiabile,

propter

propter quòd summo Iudici oportet satisfacere. Hunc Doctores nostri temporis ignem purgatorium materialem esse fatentur, qui calidissimus, & obscurissimus est. Vnde idem ignis existentes in inferno, & purgatorio comburit, de quo Ricardus ait: Quia autem illi, qui sunt in purgatorio puniuntur, vt purgentur, & ignis naturam habet purgatiuam, ideo videtur aliquibus, quòd animæ in purgatorio à nullo alio elemẽto, nisi ab igne puniantur. Vnde pęna multò asperior, & durior, quàm quęcunq; pęna, quæ in hoc mundo esse pòssit, ibi est: ibiq; animæ plus, vel minus, secundum quòd magis, vel minus punitionem meruerunt, affliguntur. Insuper secundum quòd magis, vel minus pro eis oratur. Interdum etiam per Dei specialem dispensationem animæ in certis quibusdam locis, & in certis huius mundi spatijs, in quibus peccata fecerunt, vt scribit Gerson affluens, & locuples Theologus, purgantur. & hęc de igne purgatorij. Superest modo agere de igne conflagrationis, qui ante iudicium veniet, & durabit post iudicium, & secundum Doctores mundum multis malis, & vitijs infectum purgabit. Qui secundum Bedam ad tantã altitudinem ascendet, ad quantã aquę diluuij ascenderunt, vt aerem purget infectum. Quòd aũt mundus isto habeat purgari igne, magis hoc tenetur authoritate sacræ scripturæ, & Sanctorum, quàm ratione. Eritque iste ignis eiusdem speciei, seu naturæ, cum igne isto elementari, nõ tamen huius ignis motus illi naturaliter conuenit, sed vt diuinæ uoluntatis instrumentum. Hunc autem ignem dupliciter considerare possumus, vno modo vt urit corpora, quibus applicatur, & hoc sibi conuenit naturaliter, sicut alteri igni corporibus applicato. Alio modo, vt specialiter agit

ter agit in talia corpora, quæ per peccata erunt maculata, & hoc sibi conuenire dicitur per supernaturalem virtutem ipsum ignem mouentem, tanquam suum instrumentum, & in hoc cum alijs conuenire non dicitur, licet non distinguatur ab alijs specie, vel genere per huiusmodi supernaturalem virtutem. Hęc autem virtus supernaturalis, nec intrinseca est, nec ipsi igni essentialis, quia vel est virtus ista diuina uoluntas immediatè, vel virtus Angelica ignem hunc applicans talibus locis, quibus Deo placet applicari. Et iste ignis ante iudicium incipiet, dicitur enim in Psalmo. Ignis ante ipsum pręcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Sequetur etiam iudicium, quia prolata sententia contra impios, Christo dictante: Ite maledicti in ignem æternum, &c. tunc iste ignis, vt instrumentũ executiuum sententiæ Iudicis à propinquioribus locis circunstantibus concurrens, inuoluet omnes impios, & cum impetu uehementi descendet cum ipsis in infernum. Vnde tunc implebitur verbum Domini, quo ait Deuteronom. 22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. His addi potest illud, quod de duobus legitur ignibus futuris. Quorum vnus purgabit electos, iudiciumq; pręcedet. Alter verò reprobos cruciabit. Bonauentura inquit, si dicantur duo ignes, quantum ad substantiam, siue duo ratione duorum effectuum, dicendus est tamen ignis futurus ad elementorum probationem. Purgabit ergo mundum primò, reprobos deinde cruciabit. & hęc pro pręsenti satis.

DE

AN IGNIS INFERNI CORPOREVS. Lectio CLXXXXI.

DE pertinentibus ad damnatos hodierna die loquuturi, quęsita duo proponemus: quorum primum. An ignis inferni corporeus sit dicendus. Insuper: An damnatorum corpora post resurrectionem ab igne patientur, & qua passione. Quo ad primum, pro negatiua parte sic arguitur. Si esset corporeus, tunc ex necessitate naturæ equaliter in omnia damnatorū corpora ageret: at hoc non fit, sed differenter secundum culpæ modum, non ergo corporeus. Minor, vt suspecta, authoritate Gregorij quarto Dyalog. ita dicentis probatur, Vnus quidem est Gehennæ ignis: at non vno modo omnes cruciat peccatores, sed vnusquisq; inquātum exigit culpa, tantum sentiet de pęna. Insuper locus locato deberet correspondere: at infernus non est locus corporeus: igitur, &c. Minor probatur per Aug. xii. super Gen. vbi dicit. Spiritualem arbitror esse locum, ad quem anima defertur post mortem nō corporalem. Deniq; Damascenus lib. quarto Cap. vlt. fateri videtur, quòd impij, & peccatores in ignem ęternum tradentur non materialem, qualis est, qui est apud nos, sed qualem vtique nouit Deus, non ergo corporeus. In oppositum communis ecclesiæ doctrina se habet, & Gregorius quarto Dyalogorum, qui apertè dicit, ignem gehennæ corporeum esse. Pro determinatione itaque huius quęstionis primæ duo supponenda, quorùm primum est, quòd ignis inferni sit corporeus. Alterum respicit locum inferni, qui communiter tenetur, quòd sit infra terram. His ita positis, ad rationes nunc quid

dicendum

dicendum superius formatas audite. Prima etenim debet intelligi ex virtute suæ naturæ: at ex parte instrumẽti diuinæ iustitiæ aliter euenit. æqualiter ergo omnes cruciat ex parte sua: at vt eius actio modificabitur ab agente principali, tunc qui plus peccarunt, plus punientur. Ad secundum dicitur, quòd Aug. loquebatur de anima separata, quæ locum non exigit. Vel dicatis, quòd ille locus, ad quẽ animæ post mortem deferuntur, non sit corporeus, non quidem secundum se, sed ratione continentiæ, quia anima corporaliter in eo non existit. Vel aliter dicatis: Augustinum loquutum fuisse opinando, non determinando. Ad argumentum vltimum dicitur, q̃d. Damascenus non negat ignem illum simpliciter esse materialem: at sub hoc sensu tantum, quatenus ille non lucet, vt ignis, qui apud nos est, lucet. Insuper quia ille fomentis non indiget, sicut ignis noster, licet eiusdem speciei sit, quò ad substantiam. Explicata prima quęstione, altera subsequitur, dum quęritur. An damnatorum corpora ab igne tali propria passione habeant post resurrectionẽ pati. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quòd non, quia tunc damnatorum corpora incorruptibilia erunt: ergo impassibilia. Insuper cęli motus cessabit in tempore illo: quare propria passione damnatorum corpora pati ab igne non dicentur, quia cessante principio actionis omnis realis, cessabit similiter & passio: ergo. Quęstio ista apud fideles minimè dubia est, quo ad conclusionem: fides enim tenet, quod damnati grauissimè affligentur non solum in anima, sed etiam in corpore, & non solum vna sensibili pęna, sed & pluribus secundum illud Iob. xxxiiii. ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium. De modo autem passionis est diuersitas. Pro dilucidatione,

passionis

passionis distinctio premittenda erit, ex qua, quid tenendum sit de facili apparebit. Cum itaq; pati sit quoddam recipere, hinc duplex datur modus passionis, vno modo naturaliter secundum esse naturale, quo modo calor ignis dicitur recipi in aere, vel in ligno, & secundum hunc modum receptionis datur vnus modus passionis, qui naturæ passio vocatur. Alio modo aliquid recipi solet in alio per modum intentionalem, vti colorum similitudo in aere, vel in oculo recipitur, & secundum hunc modum receptionis datur alia passio, quæ animæ dicitur. His ita positis, ad argumenta nunc respondendum, & primo ad primum, quòd damnatorum corpora verè patientur ab igne per veram, & naturalem alterationem calefactionis, quæ tunc esse poterit. Nunquam tamen corrumpentur diuina virtute faciente, quòd alteratio talis precisè maneat in limitibus suis, ita quòd ad eam minimè sequatur corruptio, vt damnatis eueniet, quibus vita naturæ perpetua ad perpetuam pene durationem erit. Ad argumentum secundum de celi motu, qui tunc cessabit, dicitur: quòd huiusmodi cessatio motus celi veram non impediet naturalem corporum alterationem, quia ad eam non dicitur requiri, quamuis ad alterationem generationis, & corruptionis, & aliarum mutationum requiratur. Vel aliter dicatis, quòd celi motus non sit per se principium alicuius realis actionis, licet requiratur ad alterationem actionum: vel sic, quòd argumentum currat naturaliter: at hic nos supernaturaliter loquimur, dum de damnatorum pena verba facimus. & hec de pollicitis.

AN ANIMAE DAMNATORVM PATIENTVR AB IGNE?

Lectio CLXXXXII.

QVęrenda mihi alia duo se se offerunt, quæ, quantæ vtilitatis vobis futura sint, in progressu sermonis mei percipietis. Solet ergo primò quęri. An damnatorum animæ dicantur pati ab igne. Insuper: An in inferno sit ignis pęna tantum. Quantum ad primum, pro parte negatiua sic arguitur, vt corpus immediatè pati passione propria non dicitur à spiritu: ergo nec spiritus ab vllo corpore: quare damnatorũ animæ ab igne pati minimè dicentur. Insuper Aug. super Gene. xii. ad literam dicit, quòd non sunt corporalia, sed corporalibus similia, quibus animæ corporibus afficiuntur, siue benè, siue malè: ergo. Deinde secũdum eundem ibidem: Agens nobilius est, & pręstantius patiente: quare corpus spiritu foret nobilius, si ab igne damnatorum animæ pati dicerentur: at hoc est falsum: non ergo, &c. Pręterea corpus non dicitur agere in distans, nisi mediante propinquo, sed tàm Dęmones, quàm separatæ animæ quandoq; sunt extra locum inferni circa nos, cum quandoq; hominibus appareant, nec tamen sunt sine pęna debita, nec videmus, quòd intermedia ab igne patiantur: ergo. In cõtrarium se habet illud saluatoris apud Matthęum capite xv. Ite maledicti in ignem æternum, &c. similiter Aug. xxi. de Ciuitate Dei dicit: Adherebũt spiritus (licet incorporei) corporeis ignibus cruciandi, accipientes ab ignibus pęnã, non dantes ignibus vitam. His itaque pręmissis, ad rationes formatas respondendum, dimissis

varijs opinionibus de modo patiendi, quo animæ separatæ ab igne inferni dicuntur affligi. Prima ergo ratio concedi potest loquendo de passione propriè dicta, quæ est abiectio formæ conuenientis, & receptio formæ disconuenientis: quo modo nullus spiritus pati potest à corpore cõsimili passione: at loquendo de alio passionis modo per detentionem, & afflictionem nulla est ratio. Ad secundum dicitur, quòd Aug. loquebatur inquirendo, non asserendo, quia dixit oppositum lib. xxi. de Ciuitate Dei. Ad tertiam conceditur, quòd principale agens sit patiente nobilius: at instrumentale non sic, & ideo non oportet, quòd ignis in afflictione animæ sit nobilior anima. Ad vltimam respondetur sic, quòd ille ignis Dęmones non affligit, vel animas separatas per imissionem: at nõ probat, quin affligat per detentionem. Et hęc de prima quęstione. Post quam solet quęri secundò. An in inferno sit tantum pęna ignis. Mihi primo aspectu videtur esse dicẽdum, quòd sic: Nam locus purgatorij pars quędã inferni dicitur, sed ibi non est, nisi pęna ignis: ergo. Insuper varietas pęnarum videtur prestare refrigerium, sed in inferno nullum erit refrigerium: ergo. In oppositum se habet Esaias dicens vltimo damnatis, quòd vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, in inferno igitur nõ solum pęna ignis erit, sed & vermis. Pro dilucidatione huius difficultatis secundæ est sciendũ, quòd si pęna spiritualis, quæ pęna vermis dicitur, pęnis corporalibus cõparetur, sic ipsa simpliciter maior, & grauior cęteris ponetur, quia per talem vermis pęnam visione Dei reprobi priuantur, maius, delectabiliusuè esse potest, cum itaque quodcunque bonum corporale excedat, hinc maior pęna illa dicetur vermis. Si verò fiat compa-

ratio inter pęnas corporales adinuicē, sic inter eas illa ignis maior, quia magis actiuus, & ideo magis afflictiuus. His ita positis, de facili formatis rationibus occurrendū. Neganda ergo prima venit, propter dissimilitudinem de purgatorio, & de inferno, quia purgatorij pęna solum ordinatur ad purgandum, per satisfactionē pęnæ, quæ purgatio fit optimè per ignem, qui maximè purgatiuus est: at inferni pęna est ad damnatos affligendum, propter executionem diuinæ iustitiæ, qui, sicut peccauerunt contra Dominum omnium, nec pęnitentiam egerunt, propterea ab omnibus aliquo modo affligi debent, quòd fit per, pęnas supradictas. Ad secundam negatur, quòd diuersitas pęnarum pręstet damnatis refrigerium, nisi quando paulatim ab vna receditur, & ad alteram transfertur, vt puta ab igne ad aquam. At si subito fiat transitus de summo vnius pęnæ ad alteram in summo, tunc refrigerium non est, sed benè mutatio supplicij in supplicium. & hęc pro pręsenti.

AN DAMNATI MAGIS VELLENT NON ESSE, QVAM IN MISERIA PAENAE ESSE? Lectio CLXXXXIII.

VT *ad Dei Optimi Maximi honorem, nostramq; vtilitatem huic operi finem imponamus, tandem quęsita duo examinanda hodierna die proponemus, quibus explanatis erit finis. Primo ergo quęremus. An damnati plus vellent non esse, quàm esse in miseria pęnæ. Insuper, An damnatorum pęnas videant beati. Quantum attinet ad primum, pro parte affirmatiua*

sic

ſic arguitur. Damnatorum miſeria omnem pęnalem huius mundi miſeriam rationabiliter non eſſe appetunt, igitur à fortiori damnati ad ſuæ pęnæ miſeriam fugiendum. Pręterea ſuper illud Hier. xx. Maledicta dies, in qua natus ſum, gloſa dicit, quòd melius eſt nõ eſſe, quàm malè eſſe. Vnde de Iuda dicitur, bonũ illi eſſet, ſi natus nõ fuiſſet, quòd intelligitur de pęna, ad quam reſeruatur: damnati ergo plus deberent velle non eſſe, quàm ſic eſſe. Pręterea dicitur Apoc. ix. In diebus illis deſiderabunt homines mortem, & fugiet ab eis: ergo. In cõtrarium ſe habet Aug. iii. de lib. arb. ſcilicet maius eſſe, habere eſſe, & miſerũ, quàm omnino non eſſe, eligendum ergo magis eſt eſſe, quàm non eſſe. Pro dilucidatione huius difficultatis primæ eſt primò ſciendum, duplicem inueniri miſeriam, culpæ vnã, pęnæ alteram. De illa culpæ aliàs ſumus loquuti, nunc de altera, ſcilicet pęnæ. Inſuper notandum, quòd miſeria mala non eſt, niſi inquantum aliquod bonum tollit: at omnino non eſſe plus de bono tollit, quàm miſerum eſſe, peius ergo eſt non eſſe ſimpliciter, quàm miſerum eſſe, illud igitur magis fugiendum. Pręterea eſt notandum, quòd damnati ſunt illi, qui adiudicati ſunt ad pęnam temporalem, vel ęternam, & hoc demeritis ſuis: nam ſi ad Deum volare voluiſſent, triplicem conſiderationem habere debuerunt, ſcilicet effectuum diuinorum, ex qua cõſurgit ſtupor: Dei iudiciorum, ex qua inſurgit timor: Dei beneficiorum ex qua exurgit amor. Quantum ad primum Pſal. ait: Mirabilia teſtimonia, &c. omnes creaturæ ſunt Dei effectus. Vnde ſicut effectus teſtimonium ſuæ cauſæ reddit, quia cauſam manifeſtat, vt pictura artẽ perfectam, ſi pulchra ſit, ita cum Dei creaturæ mirabiles habeant virtutes, & innumerabiles,

rabiles, pulchritudinem, ordinem, durabilitatem, hinc mentem potuerunt eleuare suam ad Deum. Verum quia noluerunt, iccirco damnati iure merito sunt. Consideratio secunda Dei, scilicet iudiciorum, mentem eleuare potest. Cum enim quis cõsiderat, quod populus Iudeorum, qui à Deo peculiaris dilectus, reprobatus est, & Gẽtilis, qui reprobus, & Idolatra fuit electus, sibi ipsi vnusquisq; timere habet: at hoc mali noluerunt, ideo nunc meritò damnati sunt. Demum ex beneficiorum consideratione, quæ infinita sunt, anima in Deum eleuari potest: at peccatores, & reprobi, vt ingrati, beneficia considerare noluerunt, propter hoc damnati. His ita premissis, de facili nunc erit respondere obiectis. Dicamus ergo ad primum, quòd eligentes nõ esse propter miseriam presentis vitæ, vel futuræ, rationem non videntur sequi, nisi erroneam. Et quando dicitur in cõtrarium, O mors, &c. tunc dici debet, quòd loquatur scriptura de fidelibus, qui post esse presentis vitæ expectant esse in alia vita. Ad secundum dicitur, quòd habet intelligi de malo culpæ, non penæ. Tertium desumptum ex Apoc. concedatur secundum obnubilatam rationẽ. Ad illud verò Iudæ postpositum dicatis, intelligendum esse, quo ad peccasse, vel sic, quòd si natus nõ fuisset, sed cõceptus solum, non habuisset, nisi originale peccatum, nec meruisset, nisi penam damni puerorum, quæ mitissima est: at postea per sua peccata meruit grauissima actualia penam grauissimã sensus damnatorum. & hec de prima in ordine dicta sint satis questione. Solet queri secundò. An beati damnatorum penas videant. Mihi primo aspectu videtur esse dicendum, quòd non: nam vt mali gloriam bonorum non vident, neque beati penas malorum. Insuper, si

beati

beati damnatorũ pęnas viderent, tunc vel lętarentur, vel eis compaterentur, nullum horum: ergo. Minor patet quò ad vtrunque, quia ibi nil charitati contrarium est: ergo non lętantur de malis damnatorum. Nec ibi compassio, quia beati non essent. Verũ quia oppositum dicitur Esaiæ vltimo, Egredientur, & videbunt cadauera eorum, qui pręuaricati sunt in me. Iccirco pro decisione huius quęstionis nouissimæ primò sciendum, quòd visio duplex datur, scilicet corporalis, & intellectualis: quo stante, nunc ad argumenta dicendum, & primò ad primum, quòd assumptũ est falsum. mali etenim videbunt beatorum gloriam, & corporali visione, quantum ad corporis gloriam. Ad secundum dicitur, quòd beati pęnas damnatorum videntes secundum se non lętantur: at videntes in eis diuinæ iustitiæ ordinem impleri sic. Et hęc de toto opere nostro ad gloriam, & honorẽ Dei benedicti, qui finis est omnium, cui, si quid boni in his libris sit dictum, fideliter ascribendum. Si quid verò, quod sacro Sanctæ Ecclesiæ Chatolicæ, aut repugnet, aut non consentiat, esto indictum.

FINIS.





ERRATA MAGIS PRINCIPALIA LIBRI quarti, absente autore sic corrigenda; minus verò principalia, V. g. punctorum, literarum, & interrogationum, lectorum iudicio subijcienda.

Pag.	Linea,	Errori.
3.	2.	*incidisse, incidisset.*
8.	23.	*Occan, Occam.*
9.	4.	*Rilardus, Ricardus.*
22.	23.	*tantum, tantam.*
24.	3.	*seruiebat, seruiebant.*
24.	13.	*consequi. consequi?*
25.	25.	*lucæ, luce.*
26.	26.	*multiplicatione, multiplicatione.*
27.	2.	*astualis, actualis.*
35.		*Distinctio 2. Dist. 3.*
37.	4.	*humetare, humectare.*
42.	5.	*natralis, naturalis.*
56.	25.	*Dominis, hominis.*
59.		*Distinctio 2. Dist. 4.*
60.	2.	*contra prędicto, contra prędicta.*
Eadem pag. lin.	12.	*ex prędestinati, & prędestinati.*
65.	25.	*nunc licet, nam licet.*
69.	37.	*si dubitat, sic dubitat.*
70.	7.	*anima impressum, animæ impressum.*
Eadem pag. lin.	8.	*qui cognoscitur, quo cognoscitur.*
75.	35.	*irruerunt, incurrerunt.*
79.	27.	*prodisse, prodesse.*
80.	25.	*efficere, efficeret.*
84.	26.	*potuit, patuit.*
† 85.	3.	*ibi, nam Christus, quando effectum (desunt hęc omnia) sacramenti sine sacramento intulit, deinde sequitur hoc potuit.*
85.	26.	*quæ nulla. quæ nulli.*
86.	*circa*	*inscriptionē ibi, quibus licent, quibus liceat.*
Eadem pag. lin.	20.	*speslat. spectat.*
88.	18.	*mondum, nondum.*
Eadem pag. iuxta lin. pen.		*sanctificatis. sanctificatis?*
90.	*circa finem.*	*& viam veram seruet, vt viam veram seruet.*
91.	16.	*moniale, moniales.*
98.	*circa finem.*	*ad audaster, ad audacter.*
100.	25.	*hęc pro, & pręsenti, & hęc pro pręsenti.*
101.	19.	*esse necessarium, nō esse necessarium.*
102.	*circa finem.*	*Chrisna, Chrisma.*
106.	13.	*ab ea, ab eu.*
† 108.	25.	*tertium vltimum, tertium, & vltimum.*
110.	19.	*sacramenti, sacramētis.*
118.	19.	*tentationis, tentationi.*
120.	*circa finē.*	*substinuit, sustinuit.*
138.	3.	*nam, Num.*
139.	18.	*his lectis, his sectis.*
† 142.	*circa medium.*	*vt posset, vt pes, & manus.*

146.

Pag. Linea, Errori.

146. 16. *permament, permanent.*
† 153. 26. *tamen, non tamen.*
155. *circa finem. tam parum quãtitate, tam parua quantitatē.*
† 156. 19. *ipsis sacramentalibus, in ipsis sacramentalibus.*
† 160. 20. *inhęsionē, per inhęsionē.*
175. *circa finē. Christini, Christiani.*
† 176. 11. *quam insinuandam, ad quam insinuandam.*
177. 16. *cum diffinitionem, cum diffinitionum.*
189. *circa finē. in altera, in altero.*
181. *circa finē. valentis, Valeatis.*
† 182. 4. *viatoris bona opera, quæ per sequens peccatum deficiunt, per veram pęnitentiam iterum reuiuiscunt. hęc ibi addenda, quia desunt.*
183. 7. *reprobatū, reprobatur.*
186. *circa medium. rerum, reum.*
188. 31. *dolore, dolere.*
204. *Distinctio 15. Dist. 16.*
205. 19. *quasi, quali.*
209. 10. *& si, & sic.*
222. 19. *incensum, intentum.*
223. 25. *ab bonum, ad bonum.*
† 235. 3. *Spiritus contribulatus. adde, &c. Vbi glosa sic dicit. Spiritus contribulatus, & contritus est sacrificium, quo peccata soluuntur.*
240. 2. *dimittetur, dimittitur.*
Eadem pag. lin. 3. accedite, audite.
246. 15. *quantum cognitionem, quam cognitionem.*
248. 3. *quorum, quarum.*
262. 6. *eum, eam.*

Pag. Linea, Errori.

Eadem pag. 16. quędam authoritate, quadam authoritate.
266. 7. *caluis, clauis.*
267. 5. *proposito, propositio.*
268. 5. *hominum, hominem.*
† 279. 1. *post, & posset.*
Eadem pag. lin. 16. recondatur, recordatur.
281. 2. *quia sit, quin sit.*
288. 8. *in cōfessionē, ī cōfessione.*
† 299. 5. *ad argumēta, desunt hęc verba formata, nunc dicendum, & primò, ad primum.*
300. 8. *indicat, inducat.*
Eadem pag. lin. 17. semper, super.
Ibidem. lin. 19. forma, formata. itē lin. 26. qui gradus, quia gradus.
304. 7. *& distincte, vt distincte,*
† 313. 1. *assumptum patet, quia ordines sunt plures, hęc verba superflua sunt, quia bis apposita.*
Eadem pag. lin. 26. ad primum, ad primam.
314. 22. *sit, sic.*
321. 2. *percontari, percunctari.*
327. 14. *pro remissionem, pro remissione.*
347. 2. *secondo, secundo.*
359. 4. *enudeabim⁹, enucleabim⁹.*
369. 12. *posposito, post posito.*
374. 1. *delucidaturus, dilucidaturus.*
376. 20. *conhere, contrahere.*
† 377. 3. *liceat, non liceat.*
378. 5. *Vincta, facta.*
Eadem pag. lin. 23. furio, furia.

379.

Pag.	Linea,	Errori.
379.	9.	*sub suis, sub his.*
381.	22.	*cum eo, cum ea.*
391.	9.	*de minoribus, de minoribus verum.*
399.	21.	*pectent, pectinent.*
401.	6.	*differunt, differant.*
422.	24.	*Pater, Patet.*
432.	19.	*loquemur, loquamur.*
433.	21.	*nac, lac.*
439.	3.	*ad, ac.*
440.	14.	*meritus, meritis.*
454.	5.	*indicij, iudicij.*
458.	8.	*malo, mala.*
469.	3.	*vno modo, illud quo. lege sic, vno modo pro eo, quod.*
Eadem pag.	lin. 4.	*alio modo illud, lege sic pro eo, quod.*
474.	21.	*inotetis, instetis.*
478.	9.	*perfecta, perfecta.*

FINIS.